JUAN DE LA ANUNCIACIÓN (O.C.D.)

Collegii Complutensis Fr. Discalceatorum B.M.V. de Monte Carmeli, artium cursus / ad breviorem formam collectus & novo ordine... dispositus per F. Johann ab Annuntiatione... ; tomus tertius, completens duos Aristotelis libros De generatione & corruptione... -- Coloniae Agrippinae : Sumptibus Huguetan, 1693

[8], 390, [13] p., a4, A-Z4, 2A-2Z4, 3A-3D4, 3E2 ; 4°

Port. a dos tintas, con anagr. calc. de la Orden de Predicadores, Franciscanos y Carmelitas. -- Texto a dos col.

1. Aristóteles. Acerca de la generación y la corrupción-Crítica e interpretación 2. Aristotele. Sorkuntzaz eta bihurdikaz -Kritika eta interpretazioa 3. Metafísica 4. Metafisika I. Colegio de Carmelitas Descalzos (Alcalá de Henares) II. Título

R-6419 Ejemp. falto de port. y del cuaderno de [8] p. -- Datos tomados de CCPB, 54947. -- An. ms. en h. de guarda. -- Enc. perg.

R-6420
R-6419

COLLEGII COMPLVTENSIS FR. DISCALCEATORVM B. M. V. DE MONTE CARMELI, ARTIVM CVRSVS.

TOMVS TERTIVS.

DISPVTATIO I.

PROOEMIALIS.

In Libros de Generatione, & Corruptione.

VT compositionis methodum (quæ disciplinis tradendis aptissima est) in illis libris, quos Philosophiæ dicauit, indiuulsè obseruaret Aristoteles; prius disseruit de ente mobili in communi, & de accidentibus ipsum consequentibus: quod abundè præstitit in octo Physi-

corum libris. Deinde considerauit ens naturale, quatenus est mobile motu locali: quia motus hic vniuersalior est aliis motibus, & in cunctis ferè entibus naturalibus reperitur: in cuius contemplatione insudauit Philosophus in libris de Cœlo, & Mundo. Præterea in his duobus libris de Generatione, & Corruptione (quorum expositionem aggredimur) tractauit de ente mobili motu generationis substantialis, & de aliis, quæ ipsi generationi annectuntur. Sic enim ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia descendens, illum in edocendo Philosophiam ordinem obseruauit, quem natura ipsa omnium magistra in suis operationibus amplexa est: progreditur enim ab imperfectis, & potentialibus ad magis actualia, & perfecta. Sed priusquam ad explicanda ea, quæ Aristot. tradit, accedamus; oportet aliqua circa objectum, inscriptionem, & diuisionem huius operis prælibare. In quo tamen breuiter procedemus: nam illa, quæ poterant in præsenti discuti, constant majori ex parte ex iis, quæ alibi scripsimus, & præcipue in lib. Poster. disput. 19. quæst. 4. & in lib. Physic. disp. 1. quæst. 1.

QVÆSTIO

QVÆSTIO vnica.

Quodnam sit horum librorum objectum.

NOn procedit præsens difficultas circa rationem *sub qua* hujus tractatus, & totius habitus Philosophiæ: Illam enim statuimus loco proximè citato. Sed inuestigamus rationem formalem *quæ* propriam, & adæquatam, quæ his libris correspondet.

§. I.

Statuitur communior sententia.

1 DIcendum est objectum adæquatum horum librorum esse ens mobile ad formam siue substantialem, siue accidentalem; intrinsecam tamen mobili. Per hæc vltima verba excludimus corpus, quod est præcisè mobile ad *vbi*, vti se habet cœlum: nam licet *vbi* verè inhæreat mobili, resultat tamen ex aliquo extrinseco, nempe ex adjacentia loci. Conclusionem sic intellectam docent Aristot. in præsenti *capite primo*. Diuus Thom. *in proœmio* tàm hujus operis, quàm librorum Physicorum, Ægidius, Venetus, Marsilius, quos refert, & sequitur Rubio in præsenti, & alij plures.

Probatur ratione: quoniam illud est objectum formale, atque adæquatum respectu vnius partis alicujus scientiæ, quod continet omnia spectantia ad talem partem, & per se continetur sub objecto adæquato totius scientiæ, vt constat inductiuè in omnibus habitibus: sed ens mobile ad formam omninò intrinsecam ita se habet respectu huius partis, siue tractatus Philosophiæ: ergo est objectum formale, & adæquatum illius. Probatur minor: quia in primis ens mobile ad formam intrinsecam potest moueri omnibus motibus, pertinentibus ad hunc tractatum, videlicet generatione, alteratione, augmentatione, & aliis: ergo continet omnia, de quibus Aristot. tractat in præsenti opere. Deinde ens mobile ad formam intrinsecam continetur per se sub ente mobili absolutè, siue ad quamcumque formam: sed istud est objectum formale, & adæquatum totius habitus Philosophiæ: ergo ens mobile ad formam omninò intrinsecam continetur per se sub objecto adæquato totius Philosophiæ.

Confirmatur primò: nam cùm ens mobile radicaliter sumptum sit objectum adæquatum Philosophiæ; opus est, quod partes Philosophiæ diuidantur secundum differentiam mobilium, quatenus sunt radices diuersorum motuum: sed motus per se inspecti in hoc tractatu sunt generatio, alteratio, augmentatio, & alij, qui ad formam intrinsecam terminantur: ergo objectum pro-

prium, & adæquatum huius tractatus est ens mobile ad formam intrinsecam. ¶ Confirmatur secundò: nam ideò ens mobile per motum localem est objectum adæquatum respectu librorum de Cœlo, quia prędictus motus respicitur per se in illis libris: sed motus ad formam intrinsecam, quos nuper recensuimus, respiciuntur per se in præsenti tractatu: ergo objectum adæquatum illius est ens mobile, quod per eos motus tendit ad formam intrinsecam.

2 Sed objicies primò: sub objecto à nobis assignato continentur objecta propria, circa quæ versantur libri de Animalibus, de Meteoris, & de Anima: ergo hujusmodi libri erunt partes præsentis tractatus: consequens est contra communem sententiam Philosophorum: ergo objectum hujus tractatus non rectè designatur à nobis.

Respondetur, quod licet objectum huius tractatus contineat in esse rei objecta propria librorum, & sit quid commune, & quoddam totum potentiale respectu illorum; nihilominus quatenus est objectum præsentis operis, & terminat habitudinem illius, non continet objecta aliorum librorum: quia provt sic est quid actuale, specificum, & atomum. Cujus ratio est: quoniam hic tractatus non attingit ens mobile ad formam intrinsecam, vt est explicabile per passiones tàm communes, quàm particulares motus ad formam intrinsecam; quo pacto continet objecta illorum librorum, qui in objectione recensentur: sed versatur circa illud, quatenus est præcisè explicabile per principia communia motus ad formam intrinsecam, non descendendo ad aliquam speciem in particulari. Videantur quæ diximus *in lib. Physic. disp.* 1. *quæst.* 1. vbi similem objectionem diluimus.

3 Secundò objicies: sicut forma intrinseca, maximè si sit substantialis, est prior tempore, & dignitate, quàm forma extrinseca, qualis est vbicatio; ita motus ad formam intrinsecam est longè nobilior, quàm motus ad vbi: ergo si hic tractatus haberet pro objecto ens mobile ad formam intrinsecam, præcederet dignitate libros de Cœlo, qui versantur circa ens mobile ad formam extrinsecam, nempè ad *vbi*: consequens contradicit Aristoteli, & omnibus Peripateticis, qui hunc tractatum tertio loco, ordine, & dignitate post libros de Cœlo collocant: ergo objectum præsentis operis non potest esse ens mobile ad formam intrinsecam.

Respondetur ex D. Th. *in proœmio ad libros de Cœlo*, Aristotelem in ordinandis tractatibus Philosophiæ non attendisse principaliter ad dignitatem motuum; sed ad majorem, vel minorem eorum vniuersalitatẽ. Seruauit enim, vt suprà diximus, methodum compositionis, juxta quã ea, quæ sunt magis communia, debent prius tradi, quàm magis specialia, vt eleganter docet D. Th. in proœmio huius operis dicens: *De vnoquoque, quod in pluribus inuenitur, prius est considerandum in communi, quàm ad species descendatur; alioquin oporteret idem dicere multoties, ita scilicet quod in singulis id, quod est commune,*

mune, repeteretur, sicut probat Philosophus in 1. de partibus animalium, &c. Motus autem localis est vniuersalior aliis motibus; licet illos in perfectione non præcedat, sed potius subsequatur. Quamobrem tractatus de Cœlo, qui attingit ens mobile motu locali, debuit secundum ordinem doctrinæ præcedere præsens opus, quod mobile ad formam intrinsecam contemplatur.

§. II.

Referuntur opiniones contrariæ.

4 CONtra nostram conclusionem tres inueniuntur sententiæ. Prima asserit objectum adæquatum horum librorum esse præcisè generationem, & corruptionem substantialem. Ita Simplicius, Philoponus, & Boëtius. Quæ potest suaderi ratione: quoniam illud est objectum adæquatum, quod respicitur per se, & ratione sui; cætera verò ratione illius: hac quippè de causa Deus est objectum adæquatum Theologiæ, quia videlicet attingitur ratione sui, & est ratio attingendi alia: sed hic tractatus respicit generationem, & corruptionem ratione sui; alios verò motus solùm attingit, quatenùs se habent consequenter ad illas: ergo generatio, & corruptio substantialis sunt objectum adæquatum præsẽtis operis. Minor probatur ex D. Thom. *in proœmio primæ partis Philosophiæ*, vbi assignans pro objecto hujus tractatus illos motus, qui in solis corporibus inferioribus inueniuntur, inquit: *Inter quos principatum obtinent generatio, & corruptio: alteratio enim ordinatur ad generationem sicut ad finem: augmentum etiam consequenter se habet ad generationem. Et ideò necesse est, quod quia hi motus consequenter se habent ad generationem, simul cum eis de generatione, & corruptione tractetur.* Quibus etiam addimus, quod de nutritione agitur in præsenti, quatenus est quædam partialis generatio; & de elementis, quatenus sunt principia tàm generationis, quàm corruptionis: ergo omnia, quæ cadunt sub consideratione hujus tractatus, respiciuntur in eo per habitudinem ad generationem, & corruptionem; ac proindè eæ solæ mutationes erunt objectum adæquatum præsentis operis.

Confirmatur: nam inscriptio alicuius operis sumitur ab objecto illius adæquato: sed præsens opus inscribitur de Generatione, & Corruptione; siue, quod idem est, de Ortu, & Interitu: ergo generatio, & corruptio sunt objectum adæquatum hujus operis.

Respondetur ad argumentum, quod objectum Philosophiæ non est motus physicus, sed ens mobile prædicto motu; ipse autem motus respicitur solùm vt affectio, & actus prædicti mobilis. Quamobrem neque in hoc tractatu, qui pars Philosophiæ est, respicitur per modum objecti generatio, vel corruptio, vel alteratio, vel alius motus ad formam intrinsecam; sed solum attinguntur vt affectiones entis mobilis ad formam intrinsecam, quod est proprium objectum præsentis operis. Porrò ex prædictis motibus non solùm generatio, & corruptio respiciuntur vt affectiones propriæ entis mobilis

ad formam intrinsecam ; sed etiam consideratio aliorum motuum , vt puta nutritionis , & augmentationis, spectat per se ad opus præsens. Verum quidem est,quod ex prædictis affectionibus principaliores sunt generatio, & corruptio : hoc tamen non excludit , quod aliæ etiam pertineant per se ad hunc tractatum, licet non ita principaliter. Quod satis expressit S. Doctor , dum loquens de prædictis motibus dixit : *Inter quos principatum obtinent generatio, & corruptio :* Supponit quippe , quod cunctorum consideratio pertinet per se ad præsens institutum ; licet generatio , & corruptio vendicent sibi principem locum. Vnde alteratio, augmentatio , & alij motus respiciuntur ob duplicem titulum:primò ratione sui , vt affectiones propriæ entis mobilis : secundò ratione generationis , quia vel illam præcedunt,vel ad ipsam consequuntur. In quo distinguuntur à generatione : hæc enim solùm attingitur ratione sui , quia videlicet est principalior affectio etsi inadæquata entis mobilis ad formam intrinsecam. Quæ omnia illustrari valent exemplo secundarum intentionum , quæ pertinent per se ad objectum adæquatum Logicæ , quamuis seruent inter se aliquam subordinationem. Videantur quæ diximus *in Logica disp.* 1. *quæst.* 3.

Ad confirmationem respondemus , quod vt inscriptio alicuius tractatus recta sit sufficit, quod defumatur vel ab objecto adæquato , vel à principali affectione , & actu illius : hoc enim satis est , vt alia , quæ ad prædictum tractatum pertinent, sufficienter innotescant; maximè quando nectuntur per se cum affectione præcipua. Et ita contingit in præsenti : nam alteratio,augmentatio,& alij motus habent connexionem cum generatione : quocirca potuit hic tractatus insigniri illa inscriptione.

5 Secunda sententia docet objectum adæquatum huius operis esse materiam primam,quatenus est mobilis motu generationis substantialis. Hanc docent aliqui Recentiores, & probant ratione : quia objectum adæquatum huius tractatus est ens mobile media generatione substantiali : sed sola materia est,quæ transmutatur per generationem substantialem ; cùm sit vnicum,& adæquatum subjectum illius:ergo sola materia est objectum adæquatum hujus operis. Probatur major : nam sicut tota Philosophia respicit vt objectum adæquatum ens mobile vt sic ; ita præsens tractatus debet attingere per se aliquod mobile,quod speciali motu moueatur : sed generatio est motus per se inspectus in hoc opere : ergo hujus objectum adæquatum est ens mobile motu generationis substantialis.

Confirmatur primò : quia præcipua affectio entis mobilis,quę respicitur in præsenti , est generatio non sub ratione actionis , sed sub conceptu mutationis ; siquidem Philosophus non agit de motu, quatenus est actio , vel passio , sed quatenus motus est : atqui sola materia est subjectum adæquatum generationis in esse mutationis , & per illam transmutatur , vt infrà ostendemus *disp.* 2. *quæst.* 5. ergo sola materia prima

ma est objectum adæquatum hujus tractatus. ¶ Confirmatur secundò: nam sicut objectum totius Philosophiæ est ens mobile, non præcisè terminativè, idest, quod per motum fit, sed mobile subjectivè, nempè quod per motum transmutatur, & illum recipit: ita objectum hujus operis debet esse ens generabile, non solùm terminativè, idest, quod fit per generationem; sed debet esse generabile subjectivè, videlicet quod recipit generationem, & per illam transmutatur: atqui sola materia prima recipit in se generationem, & transmutatur per eam: ergo sola materia prima respicitur in hoc opere vt objectum adæquatum.

Respondetur ad argumentum negando majorem: quia licet generatio substantialis sit motus per se inspectus in hoc opere; attamen non attingitur vt motus adæquatus, & cuius notitia vnicè intendatur: sed hoc etiam competit aliis motibus, & affectionibus, quæ ens mobile ad formam intrinsecam comitantur. Neque hinc sequitur, quod objectum peculiare huius tractatus confundantur cum objecto adæquato totius Philosophiæ: nam istud non est ens præcisè mobile ad formam intrinsecam; sed comprehendit omne ens naturale, & mobile motu physico. Per quod patet ad probationem illius majoris.

Ad primam confirmationem constat ex nuper dictis, quod licet generatio sit motus præcipuus, de quo agitur in præsenti; nihilominus alij etiam motus inspiciuntur per se, etsi non ita principaliter: quamobrem ens naturale vt mobile per omnes hos motus est objectum adæquatum præsentis operis. ¶ Ad secundam dicimus, quod sicut objectum adæquatum totius Philosophiæ est ens mobile completum, videlicet totum substantiale, quod ex materia, & forma constituitur, vt statuimus *in lib. Physic. disp.* 1. *quæst.* 1. eo quod sola materia prima non est per se cognoscibilis, & consequenter neque scibilis aut objectum alicuius habitus. Ita ob eandem rationem nequit in sola materia objectum peculiare, & adæquatum huius tractatus constitui: sed prædicta ratio debet attribui enti mobili completo, quod includit in se materiam, quæ est subjectum generationis vt mutatio est. Vnde negandum est, quod objectum adæquatum hujus operis sit præcisè ens mobile subjectivè per generationem: est enim ens mobile completum, quod prædictum subjectum includit.

6 Tertia sententia defendit objectum adæquatum horum librorum esse elementum, provt mobile est ad formam substantialem. Ita Auerroës 1. *de Cælo comment.* 3. & alij. Probatur primò ex Aristot. *lib.* 1. *de sensu, & sensibili cap.* 4. vbi hunc tractatum appellat *commentationem de elementis.* Deinde suadetur ratione: quia totus ferè liber secundus in contemplatione elementorum consumitur. In primo autem agitur de eorum mixtione, & ob eius intelligentiam tractatur etiam de generatione, augmentatione, alteratione, & aliis motibus: ergo signum satis manifestum est, quod objectum adæquatum horum librorum est corpus simplex, siue elementum.

Ad hæc tamen facile est obuiam ire: nam quia Philosophus plura in hoc opere discutit circa elementa, potuit meritò illud commentationem de elementis appellare. Hinc tamen non concluditur, quod elementum sit objectum adæquatum illius; sed sufficit quod sit objectum partiale. Vnde etiam constat ad rationem: negandum enim est, quod in primo libro tractetur de generatione, corruptione, & aliis motibus, quatenus præcisè inueniuntur in elementis: differitur quippè de illis, prout conueniunt enti mobili ad formam intrinsecam in communi accepto, & quatenus abstrahit ab elementali, & mixto. Alios dicendi modos circa objectum huius operis consultò omittimus, & quia minoris momenti sunt, & quia nullo innituntur fundamento, quod facilè non elidatur ex dictis.

7 In calce hujus quæstionis animaduertendum est hos libros juxta translationem antiquam inscribi de *Generatione, & Corruptione:* sed secundum versionem Franciſci Vatabli titulus *de Ortu, & Interitu* illis præfigendus est. Et licet nonnulli voces has confundant, & pro eodem vsurpent; re tamen ipsa plurimùm distinguuntur: nam *Generatio* commune quid est viuentibus, & non viuentibus; ortus autem, propriè loquendo, solum in viuentibus reperitur. Oriri enim est secundum aliquid substantiale, & per modum cujusdam exitus procedere à generante: quod generationi inanimatorum adaptari non valet; ad hanc quippè minimè desideratur, quod aliquod principium substantiale decidatur à generante, sed sufficit inducere præuias dispositiones accidentales. De quo videndus est Angelicus *Doct. in* 3. *d.* 8. *q.* 1. *art.* 1. sed quamquam in rigore hoc ita sit; vsu tamen communi factum est, vt generatio, & ortus pro eodem accipiantur, & inanimata etiam dicantur, & si minus propriè, oriri. Quamobrem tractatus hic, qui generationem in communi acceptam tanquam præcipuam affectionem entis mobilis ad formam intrinsecam contemplatur, potest rationabiliter non solùm *de Generatione, & Corruptione,* sed etiam *de Ortu, & Interitu* insigniri titulo.

LIBER

LIBER PRIMVS
DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

TRACTATVM hunc in duos libros partitus eſt Ariſtoteles. Quorum primum in ſex deinde præcipuas diſtribuit partes. In priori egit de generatione, & corruptione: in ſecunda de alteratione: in tertia de nutritione: in quarta de augmentatione: in quinta de actione, & reactione: & in ſexta de mixtione: quæ omnia decem capitibus complexus eſt. Nos autem Philoſophi textum nec ſubijciemus, nec ſcholijs illuſtrabimus: ſed quod luce indiget, per ſubſequentes diſputationes curabimus elucidare; & quod notationem meretur, eiſdem diſputationibus, vt res poſtulauerit, inſeremus.

DISPVTATIO II.

De Generatione ſubſtantiali in communi

1 GENERATIONI ſubſtantiali in communi conſideratæ, quæ alios motus hîc conſideratos dignitate præcellit principem in hoc tractatu dicamus locum. Ad illius autem perfectam notitiam comparandam, ſuppoſitis his, quæ circa cauſam efficientem, & finalem ſtatuimus *in libr. Phyſic. diſp.* 10. *& diſput.* 14. ſolùm deſideratur, vt alias eius cauſas inueſtigemus, nimirùm materialem tùm receptiuam, tùm diſpoſitiuam, & formalem, tàm intrinſecam, quæ eſt ipſius generationis eſſentia, quàm extrinſecam, quæ illius terminum importat. Quibus elucidandis præſens diſputatio deſeruiet.

QVÆSTIO I.

Vtrum generatio ſubſtantialis ſit poſſibilis?

2 QVæſtio *an eſt* aliis præmitti debet: & ideo oportet generationis poſſibilitatem ſtatuere, priuſquam reliqua ad ipſam ſpectantia determinemus. Sed vt maiori luce procedamus, obſeruandum eſt ex D. Thom. in præſenti *lect.* 9. ſolius ſubſtantiæ productionem poſſe dici generationem abſolutè, & abſque addito, productionem vero formæ accidentalis tantum appellari generationem cum addito, & ſecundum quid. Quoniam cùm generatio ſit via ad *eſſe*, debet ab illo nomen, & ſpeciem deſumere: porrò eſſe ſubſtantiale, ad quod terminatur generatio ſubſtantialis, eſt *eſſe* ſimpliciter; *eſſe* vero accidentale, quod terminat generationem accidentalem, eſt dumtaxat *eſſe* ſecundum quid: quocirca generatio ſubſtantialis eſt generatio ſimpliciter, & abſolute, & generatio accidentalis ſolùm eſt generatio ſecundum quid, & cum addito. Vnde fit, quod generatio abſolutè prolata ſtet pro ſola generatione ſubſtantiali. Cæterùm quia ſpecies ſubſtantiæ imperfectioris comparatiue ad perfectiorem ſe habet vt priuatio,

tio, atque ideo vt ens diminutum: & è conuerso accidens perfectius, licet sit ens secundum quid, comparatum ad accidens imperfectius, habet rationem entis simpliciter: idcirco generatio substantiæ imperfectæ potest dici generatio secundum quid respectu eius, quæ attingit perfectiorem substantiam: & generatio accidentis perfectioris valet appellari generatio simpliciter respectu illius, quæ ad imperfectius accidens terminatur. Ad quod attendens Aristot *in hoc lib. cap.* 3 appellauit generationem ignis generationem simpliciter: generationem vero terræ generationem secundum quid: & è conuerso generationem accidentis perfectioris nuncupauit generationem simpliciter; generationem autem imperfectioris generationem secundum quid. Quę maxime illustrat Angelicus Doct. his verbis: *In omnibus substantijs, & accidentibus diuersificatur generari non simpliciter, sed secundum quid, secundum diuersum ordinem entis ad non ens, vel perfecti ad imperfectum. Vnde quodammodo in substantijs dicitur generatio simpliciter, si generetur ignis; non autem si generetur terra: & in qualitate dicitur generatio simpliciter, si generetur sciens; non autem si generetur nesciens.* Sed quamvis hæc ita sint, attamen absolutè loquendo generatio substantiæ, licet imperfectæ est generatio simpliciter; generatio verò formæ accidentalis, quantumvis perfectissimæ, solùm est generatio secundum quid ob rationem supra traditam. Quamobrem quoties nomine generationis, secluso alio addito, in hoc opere vsi fuerimus, sola generatio substantialis intelligenda venit.

§. I.

Communis, & vera sententia defenditur.

2 DIcendum est generationem substantialem esse possibilem. Hæc conclusio statuitur, & propugnatur ab Aristot. in præsenti, *cap.* 3, admittiturque communiter à Philosophis. Illius autem veritas satis apparet ex dictis *in lib. Physic. disp.* 4. *quæst.* 2. vbi ostendimus formas substantiales posse educi de potentia materiæ; eductio quippe formæ substantialis est reipsa substantialis generatio, vt ex se liquet. Sed ijs relictis, & aliis, quæ *ibidem disp.* 2. statuimus circá principia generationis, suadetur deinde conclusio duplici ratione.

Primo: quia appetitus naturalis debet terminari ad possibile, aliàs frustrà esset inditus à natura, cùm non posset obtinere id, quod appetit: sed viuens perfectum appetit naturaliter generare sibi simile: ergo generatio substantialis est possibilis. Probatur minor: quia viuens perfectum appetit naturaliter perpetuitatem in suo esse: sed hanc nequit consequi in se ipso; siquidem aliquando corrumpitur: ergo appetit generare, sibi simile, vt in illo meliori modo, quo potest conseruet esse.

Respondebis viuens non corrumpi substantialiter; sed solùm quoad accidentia: atque ideo duntaxat appetere productionem accidentium

ſibi ſimilium. ¶ Sed contra : nam forma ſubſtantialis nequit, ſaltem naturaliter, ſine ſuis proprietatibus conſeruari : ſed operationes, & potentiæ vitales, quæ ſunt proprietates formæ animatæ, aliquando pereunt, vt experientia conſtat : ergo datur corruptio ſubſtantialis, per quam vel forma ſubſtantialis pereat vel ſaltem à materia ſeparetur. ¶ Confirmatur : quia ſeruato ordine rerum, & citra miraculum ex accidentibus propriis alicuius ſubſtantiæ rectè ad cognitionem ipſius ſubſtantiæ proceditur : ſed videmus accidentia propria alicuius ſubſtantiæ v. g. equi aliquando deficere ; & accidentia propria alterius ſubſtantiæ, vtputa cadaueris, denuò produci : ergo ſignum eſt, quod vnum compoſitum ſubſtantialiter corrumpitur, & aliud compoſitum recens ſubſtantialiter generatur.

3 Secundo probatur eadem concluſio alia ratione : quia poſſibilitas mediorum ad aliquem finem infert poſſibilitatem iſtius : ſed generatio ſubſtantialis eſt finis, in quem ordinatur alteratio, & hæc eſt poſſibilis ; ſiquidem euidenter experimur aquam alterari ab igne : ergo poſſibilis eſt generatio ſubſtantialis.

Reſpondebis negando, quod generatio ſubſtantialis ſit finis, in quem alteratio ex natura ſua ordinetur : plures enim dantur alterationes, ad quas nulla conſequitur generatio ſubſtantialis, vt videre eſt in illuminatione, & diffuſione ſpecierum intentionalium. ¶ Sed hæc ſolutio facilè impugnatur animaduertendo, quod non loquimur in præſenti de alteratione perfectiua, quæ procedit à corporibus, non quatenus corpora ſunt ; ſed quatenus attingunt ordinem ſubſtantiarum ſeparatarũ & participant aliquid ab illis ; eò quod ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, vt tradit D. Th. *q.* 5 *de potent. a.* 5. & huiuſmodi ſunt illuminatio, atque diffuſio ſpecierum. Sed loquimur de alteratione phyſica, & corruptiua, quæ fit cum expulſione contrarij : quo pacto videmus aquam v. g. pati ab igne, & terram ab aqua. Hæc autem poſterior alteratio nequit non reſpicere vt finem generationem ſubſtantiæ : tùm quia per hanc alterationem deſtruũtur qualitates conſeruatiuæ formæ præexiſtentis, atque ideò infert corruptionem prædictæ formæ : conſtat autem id, per quod corrumpitur forma præexiſtens, eſſe medium aptiſſimum ad nouæ formæ generationem, ſiquidem corruptio vnius eſt generatio alterius : ergo alteratio phyſica ordinatur vt medium ad generationem ſubſtantialem tanquã ad finem. Tùm etiam, quia alteratio phyſica producit diſpoſitiones, per quas materia inclinatur, & determinatur ad nouam formam ſubſtantialem, vt apparet in calefactione producente calorem vt ſeptem, per quem materia ligni vltimò diſponitur ad formam ignis : ergo ſicut huiuſmodi diſpoſitiones ordinantur ex natura ſua ad formam ſubſtantialem ; ita alteratio illas inducens debet eſſe medium ordinatum ex natura ſua ad formam ſubſtantialem ſicut ad finem. Vnde ſicut alteratio phyſica eſt poſſibilis ; ita debet eſſe poſſibilis generatio ſubſtantialis : illamque re ipſa inferet alteratio, quoties fuerit

fuerit in esse perfecto, siue in summo, qualis est calefactio vt septem.

4 Sed obijcies: stat bene, quod media sint possibilia, & quod repugnet finis: ergo ex possibilitate alterationis non rectè colligitur, possibilitas generationis. Suadetur antecedens, tùm quia grauitas corporum est medium per se ordinatum, vt omnia grauia collocentur in centro: & tamen impossibile est, quod seruato ordine vniuersi, omnia constituantur in illo. Tùm etiam quia habitus primorum principiorum ordinatur ad acquisitionem omnium scientiarum: & nihilominus intellectus noster secundum communem rerum cursum nequit omnes scientias acquirere.

Respondetur negando antecedens, quod neutra probatio euincit: non quidem prima, quia grauitas non est medium ad hoc, vt corpora omnia sint simul in centro; sed ad hoc, vt quodlibet corpus seorsim, & sublatis impedimentis quiescat in illo: quem finem semper assequitur, vt ex se liquet. Neque etiam secunda: quoniam homini pro hoc statu non debentur omnes scientiæ collectiuè sumptæ: vnde finis proprius habitus principiorum solùm est acquisitio vnius, vel aliquarum scientiarum pro hoc statu; vel omnium absolutè: ad hoc quippe satis est, quod omnes possint absolutè per illius lumen acquiri. Vnde non sequitur, quod prædicta media sint frustranea: quoniam illud solùm dicitur frustraneum, quod non consequitur suum finem, quando, & vbi, & pro illo statu, in quo sibi debetur. Id quod in grauitate corporum, vel habitu principiorum minimè reperitur; cùm proprios fines assequantur tempore, loco, & statu, in quibus sibi debentur.

§. II.

Antiquorum contraria fundamenta eliduntur.

5 NOnnulli ex Philosophis antiquis, quos in præsenti refert, & refutat Aristot. negauerunt possibilitatem generationis substantialis. Quorum positio potest suaderi primo: quoniam si generatio substantialis esset possibilis, deberet substantia genita fieri ex non ente simpliciter: consequens est absurdum: ergo generatio substantialis est impossibilis. Sequela ostenditur: quia vnumquodque fit ex suo contrario, sicut album ex non albo: sed substantia est ens simpliciter: ergo si generatur, debet fieri ex non ente simpliciter. Minor etiam liquet: nam quod est non ens simpliciter, est simpliciter nihil; sicut illud, quod est simpliciter ens, est simpliciter aliquid: sed virtute agentis finiti, quale solet esse principium efficiens generationis, ex nihilo nihil fit: ergo absurdū est, quod substantia genita fiat ex non ente simpliciter.

Confirmatur: quoniam id, quod ex aliquo fit, potest de illo prædicari, si vtrumque accipiatur in concreto; hac quippe de causa verificatur, quod lignum est arca, vel statua: ergo si substantia, quæ est ens simpliciter, fit

ex non ente ſimpliciter, poterit verificari, quod non ens ſimpliciter eſt ens ſimpliciter: hoc autem manifeſtam inuoluit contradictionem: ergo &c.

Ad argumentum reſpondetur ex D. Thom. in præſenti *lect. 6.* concedendo ſequelam: nam ſubſtantia completa, quæ eſt ens ſimpliciter, & terminus generationis, fit ex materia prima, quæ non eſt ens ſimpliciter; cùm ſit ens in pura potentia conſiſtens. Nec tamen ſequitur, quod fiat ex nihilo: quia licet materia non ſit ſimpliciter ens; eſt tamen aliquid, videlicet pura potentia receptiua formæ. Vnde licet ex eo, quod aliquid fit ſimpliciter ens, à fortiori colligatur, quod ſit ſimpliciter aliquid; ex eo tamen, quod non ſit ſimpliciter ens, minimè infertur, quòd ſit ſimpliciter nihil: *quia inter ens ſimpliciter, & nihil ſimpliciter datur medium*, videlicet ens per modum puræ potentiæ; quod licet re ipſa ſit aliquid, nihilominus non eſt ſimpliciter ens. Quod magis perſpicuum fiet obſeruando ex D. Thom. 1. *contra Gentes cap. 25. & quæſt. 1. de Veritat. art. 1.* quod hoc nomen *ens* non deſumitur à quidditate vt *res*, *& aliquid*, ſed ab actu exiſtendi. Vnde quia materia prima non habet ex ſe exiſtentiam, neque dici ens ſimpliciter: quia verò importat re ipſa quidditatem, licet imperfectiſſimam, & eſt vera pars compoſiti ſubſtantialis, nō eſt ſimpliciter nihil; ſed eſt aliquid.

Nec refert, ſi obijcias ex hac doctrina ſequi quod cùm compoſitum ſubſtantiale fit, debeat dici fieri ex non ſubſtantia, ſiquidem fit ex materia prima, quæ non eſt ſimpliciter ſubſtantia: conſequens eſt abſurdum; cùm materia ſit reuera quid ſubſtantiale: ergo non ſaluatur quod ens ſimpliciter fiat ex non ente ſimpliciter per hoc, quod fiat ex materia prima. ¶ Non, inquam, refert: nam ſi ſubſtantia ſumatur pro ſubſtantia ſimpliciter, dici debet, quod compoſitum fit ex non ſubſtantia; quandoquidem materia non eſt ſubſtantia ſimpliciter: & in hoc ſenſu concedimus ſequelam. Quam tamen negabimus, ſi ſubſtantia abſtrahat à ſubſtantia ſimpliciter, & à ſubſtantia per modum puræ potentiæ: nam materia hoc poſteriori modo eſt vera ſubſtantia: atque ideo in iſto ſenſu nequit dici, quod ſubſtantia ſimpliciter fiat ex non ſubſtantia.

Ad confirmationem reſpondetur ex eodem D. Thom. 7. *Metaphyſ. text. 25.* antecedens ſolùm verificari, quando ſubiectum non ſignificatur per terminum importantem priuationem formæ; ſecus autem ſi illam importet: aliàs ex vi prædicationis componeretur forma, & illius priuatio. Quamobrem licet hæc ſit vera: *lignum eſt arca, vel ſtatua*; hæc tamen falſa eſt: *lignum non figuratum eſt arca, vel ſtatua.* Materia autem ſignificata hoc nomine *non ens* importat priuationem formæ, & eſſe quare non verificatur, *quod non ens* ſimpliciter ſit *ens* ſimpliciter Sed ſaluatur bene, quod hoc *materiale*, ſit v. g. ignis.

6 Secundo arguitur: quoniam in quacumque tranſmutatione debet ſaluari idem numero ſubiectum, vt ſic poſſit vtrique termino tranſ-

mutatio-

mutationis substare, nempe termino *à quo*, & termino *ad quem*: ergo si generatio substantialis est possibilis, idem numero erit sub forma geniti, & corrupti; & consequenter idem numero erit genitum, & corrupum: nam quæ habent eandem numero materiam, sunt idem numero: consequens est euidenter falsum: ergo impossibilis est generatio substãtialis

Respondetur negando primam consequentiam: quia licet genitum & corruptum habeant materiam eandem numero negatiuè, non tamen positiuè & formaliter: hæc enim variatur pro diuersitate formarum, vt diximus *in lib. Physic. disp. 3. qu. 3.* Vt autem genitum, & corruptum essent idem numero absolutè, debebant habere materiam eandem numero positiuè atque formaliter, hoc est, sigillatam ad eandem formam, & quantitatem: quod tamen ex positione generationis minime infertur.

7 Tertiò arguitur quia materia prima habet speciem à forma: ergo si esset possibilis generatio substantialis, posset materia recipere per eam formas specie diuersas: ergo modo esset vnius speciei, & modo alterius: hoc autem est inconueniens, quia iam non esset eadem materia: ergo generatio substantialis repugnat.

Respondetur negando minorem subsumptam: non enim est inconueniens; sed potius valde consonum propriæ conditioni materiæ, quod recipiat successiuè plures specificationes positiuas pro diuersitate formarum, quibus substat. Cum enim materia prima solum habeat ex se vnitatem specificam negatiuam siue indifferentiam ad recipiendam speciem positiuam à forma, necessum est, quod succedentibus diuersis specie formis, sortiatur diuersam speciem positiuam: atque ideo licet materia maneat semper eadem negatiuè, vel transcendentaliter: attamen non est eadem quoad vnitatem positiuam specificam, vel numericam. Videantur quæ diximus in *lib. Physic. loco proximè citato.*

QVÆSTIO II.

Quid sit generatio substantialis.

SVpponimus ex communi Philosophorum sententia generationem substantialem, provt immediatè terminatur ad substantiam genitam, distingui realiter & essentialiter ab alteratione præcedenti quæ terminatur ad dispositiones accidentales: hanc quippe distinctionem satis liquidè ostendit diuersitas cum termini, cum subbiecti. Inuestigamus autem, in quo prædictæ generationis sic acceptæ quidditas sita sit.

§. I.

Prima conclusio ex mente Angelici Doctoris.

8 DIcendum est primo generationem substantialem vt condistinctam ab alteratione non esse actionem. Hæc proculdubio est

mens

mens D. Thom. locis ſtatim referendis: quem ſequuntur Caiet. 1. *p. qu.* 54. *art.* 3. Zanard. 7. *Metaph. q.* 6. Soto 3. *Phyſic. q.* 1. *concl.* 3. Fonſeca 5. *Metaph. cap.* 2. *qu.* 6. *ſect.* 3. & alij plures. Probatur primo auctoritate D. Thom *opuſc.* 32. *de natura materiæ cap.* 1. vbi inquit: *Quia in termino cuiuſlibet motus eſt quies quædam ſecundum naturam illius motus, ideo in fine alterationis quies eſt inductio formæ ſubſtantialis. Alteratio igitur, per quam ſpoliatur materia à forma priori, in ſe requirit ſubiectum actu exiſtens, quia ipſa eſt motus: in ſuo verò termino non requirit ſubiectum actu exiſtens. Terminus autem eius eſt generatio. Vnde generatio non requirit ſubiectum niſi in potentia tantum. Inde igitur manifeſtum eſt, quod generatio non eſt motus, ſed mutatio.* Vbi plura tradit Angel. Doctor, in quibus apertè oſtendit ſe noſtræ ſententiæ ſuffragari. Nam in primis docet *inductionem formæ ſubſtantialis*, ſiue generationem *eſſe quietem reſpectu alterationis*: conſtat autem quietem non eſſe actionem diſtinctam à motu antecedenti, ad quem conſequitur: ergo ex mente D. Thom. generatio ſubſtantialis nō eſt actio ab alteratione diſtincta. ¶ Deinde aſſerit, quod generatio eſt: *terminus alterationis*: ſed implicat, quod vna actio ſit terminus alterius actionis: nam cum actio per ſe ipſam ſit formale *fieri*, nequit fieri per aliud *fieri*, nec egredi per alium egreſſum; ſicut nec vnio poteſt vniri per aliam vnionem, nec relatio referri per aliam relationem; ergo ſecundum D. Thom. generatio non comparatur per modum actionis ad alterationem præcedentem. ¶ Præterea docet, *quod generatio non requirit ſubiectum niſi in potentia tantum*, hoc eſt materiam primam: ſi autem generatio eſſet actio, & conſequenter verum accidens, non poſſet recipi in ſola materia, ſed deberet recipi in compoſito; ſiquidem in ſententia S. Doct. quam *infrà* ſtatuemus *quæſt.* 6. materia prima nequit eſſe ſubiectum immediatum alicuius accidentis. ¶ Tandem concludit, *quod generatio non eſt motus, ſed mutatio*: at actio prædicamentalis, cum ſit formaliter tranſiens, eſt verus motus, vt conſtat ex dictis *in lib. Phyſic. diſp.* 16. *quæſt.* 2. ergo ſi generatio eſſet actio prædicamentalis, vt Aduerſarij defendunt, non poſſet non eſſe motus: ergo cum D. Thom. diſertis verbis aſſerat contrarium, plane ſequitur generationem ſubſtantialem ex mente ipſius non eſſe veram actionem ab alteratione præcedenti diuerſam. Videatur idem Angel. Præceptor 1. *p. q.* 118. *art.* 2. *ad* 4. *&* 1. 2. *q.* 83. *art.* 1. *ad* 3. *& q.* 3. *de potentia, art.* 9. *ad* 5. *&* 5. *Metaph. lect.* 2. *& quæſt. vnica de Anima art.* 12. & aliis in locis: in quibus loquitur omnino conſonè ad omnia tradita in loco, quem modo ponderauimus.

9 Deinde ſuadetur eadem concluſio ratione, primò: quia ad productionem formæ ſubſtantialis v. g. ignis in materia ligni, non requiritur noua actio diſtincta ab alteratione antecedenti, nempe à calefactione, per quā materia ligni diſponitur ad formam ignis: ergo generatio non eſt actio diuerſa ab alteratione antecedenti. Conſequentia eſt euidens. Antecedens autem ſuadetur: quia id ipſum habet calefactio in actu ſecundo, quod habet calor in actu primo: ſed a

sed ad producendam formam ignis non requiritur aliqua virtus proxima distincta à calore; sed sufficit calor vt subordinatus igni agenti tanquam principio radicali,& principali vt statuimus *in lib. Physic.disp.* 10. *quæst.* 4. ergo ad productionem eiusdem formæ non requiritur actio distincta à calefactione, sed sufficiet calefactio vt correspondens igni tanquam causæ præcipuæ. Vnde sicut calor, vt calor est, potest producere calorem; & quatenus est virtus ignis; potest producere substantiam: ita calefactio, vt correspondet calori, producet calorem, & quatenus corespondet igni, producet substantiam.

Confirmatur:nam alteratio præcedens potest attingere effectiuè formam substantialem denuò genitam: ergo non requiritur noua actio, in qua consistat generatio substantialis. Consequentia constat: quia propter rationem oppositam ponunt Aduersarij nouam actionem; existimant enim, quod alteratio præcedens nequit se se extendere ad attingendam formam substantialem. Antecedens autem probatur, tùm ex D. Thom. *quæst. vnica de Anima art.* 12. vbi illud satis perspicuè tradit his verbis: *Agens naturale in generatione agit transmutando materiam ad formam: quod quidem fit secundum quod materia primò disponitur ad formam, & tandem consequitur formam, secundum quod generatio est terminus alterationis.* Quælibet autem actio attingit effectiuè suum terminum: quocirca alteratio debet attingere generationem, & formam genitam, quas D. Thom. asserit esse terminum alterationis. Quod etiam expressit 1. *p. q.* 118. *art.*2.*ad* 4. dicens: *Homo generat sibi simile, in quantum per virtutem seminis eius disponitur materia ad susceptionem talis formæ:* ergo sentit, quod ex vi actionis dispositiuæ, siue alterationis producitur homo denuò genitus: quod non posset verificari, nisi alteratio attingeret effectiuè terminum generationis. Tum etiam ratione: nam qui ponit vltimam dispositionem ad aliquam formam, attingit ex vi eiusdem actionis ipsam formam: quippè cùm inter vltimam dispositionem antecedentem, & formam detur physica connexio; nequit non actio attingens vltimam dispositionem, attingere formam, quæ ad prædictam formam necessariò naturaliter consequitur.

10 Tertiò suadetur assertio alia ratione principali: quoniam nulla actio creata potest efficere immediatè substantiam: sed generatio vt condistincta ab altetatione attingit immediatè substantiam: ergo generatio non est actio ab alteratione diuersa. Minor & consequentia constant. Major autem probatur tum ex D. Thom. *loco cit. de Anima*, vbi inquit: *Quod si est aliquod agens, cuius actio immediatè, & directè terminetur ad substantiam, quod huiusmodi agens agit per suam essentiam: & sic non erit in eo aliud potentia actiua, & eius essentia:* ergo sentit, quod nullius agentis creati actio queit immediatè, & directè ad substantiam terminari. Tum etiam, quia principium immediatum, & terminus immediatus actionis creatæ de-

bent esse in eodem ordine vel substantiæ, vel accidentis: sed repugnat, quod actio agentis creati eliciatur immediatè à substantia, vt ostendimus *in lib. Physic. disp.* 10. *quæst.* 2. ergo repugnat quod terminetur ad substantiam immediatè. Probatur major: nam cum inter causam, & effectum requiratur similitudo, hæc debet attendi penes rationem formalem, & proximam operandi, & rationem formalem, & proximam terminandi: sed nequit hæc similitudo constitui in sola ratione entis; siquidem nullum agens creatum attingit terminum sub entis ratione: hæc enim vniuersalissima ratio est propria Dei: ergo requiritur similitudo in alia ratione: atqui rationes, quæ immediatè sequuntur post ens, sunt rationes substantiæ, & accidentis: ergo principium proximum, & terminus immediatus actionis creatæ debent esse in eodem ordine vel substantiæ, vel accidentis.

11 Nec refert, si dicas similitudinem hanc solùm requiri inter causam principalem, & effectum; secus verò inter rationem instrumentalem, ac proximam agendi, & terminum immediatum. Cùm enim virtus instrumentaria non assimilet effectum sibi; sed causæ principali, opus non est quod sit eiusdem rationis cum termino immediato. Quamobrem licet virtus sit accidens, poterit immediatè efficere substantiam. ¶ Non, inquam, refert: quoniam similitudo effectus cum causa principali debet saluari in termino primario intentionis; secus autem in termino primario executionis, siue immediatè attacto: hic enim, cùm sit minus principalis, debet assimilari virtuti minus principali; sicut effectus principalior virtuti principaliori. Vnde sicut repugnat, quod actio sit à substantia tanquam à virtute proxima, & minus principali; ita & quod attingat substantiam vt terminum proximum, & primarium executionis.

Confirmatur, & explicatur amplius: quoniam actio, quæ prius in executione non producit dispositiones accidentales; sed immediatè fertur ad substantiam, nequit attingere terminum sub ratione limitata, & consequenter est actio infinita: ergo repugnat, quod, actio creata producat substantiam immediatè. Suadetur antecedens: quoniam forma substantialis ideò fit hæc in indiuiduo, quia educitur ex materia dispositа per has potiùs dispositiones, quàm per alias: ergo actio non aliter respicit & producit formam hanc potiùs quàm aliam, nisi quia præuiè, & antecedenter producit tales, vel tales dispositiones: ergo actio, quæ prius non producit dispositiones accidentales; sed tendit immediatè in formam substantialem, nequit attingere terminum sub ratione limitata. Qua de causa sola actio Dei, quæ infinita est, attingit immediatè substantiam independenter à dispositionibus.

§. II.

Aliæ assertiones pro perfectâ quæstionis resolutione.

12 Dicendum est secundò generationem substantialem non esse essentialiter mutationem. Hanc conclusionem apertè indicat D. Th. 3. *p. qu.* 77. *art.* 3. illamque docent Caiet. & Nuño *ibidem*, Zanardus 7. *Metaph. quæst.* 7. & alij plures. Fundamentum est: quoniam cùm species sacramentales comburuntur, in instanti desitionis accidentium producitur à Deo, vel per conuersionem quantitatis, vel per puram creationem materia prima: quâ semel producta, statim virtute agentis naturalis, nempè ignis comburentis, generatur nouus ignis: sed huiusmodi generatio non est mutatio: ergo mutatio non est de conceptu essentiali generationis. Minor liquet: nam ad realem mutationem requiritur, quod materia præcesserit sub priuatione formæ (neque enim satis est, vt aliqui imaginantur, quod quantitas Eucharistica, quæ gerebat vices materiæ, habuerit priuationem formæ: nam ad realem mutationem requiritur realis identitas subjecti, quod subsit vtrique termino: quantitas autem, & materia non sunt realiter idem.) Constat autem, quod materia ibi producta nunquam habuit priuationem formæ genitæ: ergo prædicta generatio non est mutatio.

Respondebis primò, sufficere ad mutationem, quod materia præcesserit priuata pro aliquo signo, vel priori rationis. ¶ Sed contra: nam priuatio considerata in materia pro solo signo rationis non est priuatio realis, sed rationis; aliàs materia in eodem instanti reali haberet simul formam, & realem priuationem illius, quod est impossibile: sed ad mutationem realem requiritur, quod præcesserit priuatio realis termini *ad quem* in eodem subjecto; aliàs istud non transmutabitur realiter, sed per rationem: ergo &c. Videantur quæ diximus *in lib. Physic. disp.* 4. *quæstione* 3.

Respondebis secundò, prædictum ignem produci quidem per eductionem, non tamen per generationem. ¶ Hæc tamen euasio solis nititur verbis: tùm quia omnis eductio est realiter generatio, vt adstruunt communiter Doctores contra Rubium, & satis ex se liquet. Tum etiam, quia agens naturale generat ex vi actionis alteratiuæ, & vltimo disponentis materiam, vt diximus §. *præced.* sed alteratio, qua ignis alterat hostiam consecratam, est eiusdem rationis cùm alteratione, quæ alteraret hostiam non consecratam: ergo sicut tunc esset vera generatio, ita debet esse in nostro casu; licet mutatio non sit.

13 Dicendum est tertiò generationem substantialem, vt condistinctam ab alteratione antecedenti, & essentialiter consideratam consistere in pura resultantia ad formam substantialem terminata. Hanc assertionem amplectuntur

Auctores, quos pro præcedentibus dedimus, & meritò; cùm necessario colligatur ex illis: quoniam generatio substantialis, vt distincta ab alteratione præcedenti neque est noua actio, neque est essentialiter mutatio: ergo generatio essentialiter considerata est pura resultantia; quatenus posita vltima dispositione antecedenti, statim naturali sequela, & sine nouo influxu, sequitur forma, & perficitur compositum. Vnde si hæc resultantia sumatur actiuè, importat in recto vltimam dispositionem; in obliquo autem connotat actionem, per quam forma substantialis resultat ex vltima dispositione tanquam ex termino in executione primario: si autem consideretur passiuè dicit in recto formam substantialem; & connotat in obliquo actionem alternatiuam, & vltimam dispositionem, ex quibus prædictæ formæ resultant. Videantur quæ circa resultantiam passionum diximus *in lib. Physic. disp.* 10. *quæst.* 5.

14 Vltimo asserendum est generationem substantialem connaturali modo factam esse quandam mutationem. Hæc est omnino conformis menti Aristotelis, qui frequenter generationem per conceptum mutationis explicat, & definit, vt 8. *Physic. cap.* 7. *text.* 2. *Generatio est mutatio de non ente ad ens, siue de non esse ad esse.* Et *in hoc lib. cap.* 4. *text.* 23. *Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili permanente*, & *cap.* 5. *text.* 25. *Generatio est mutatio à substantia in potentia ad substantiam in actu.* Quæ verificari non valent, nisi generatio sit mutatio, saltem connaturaliter loquendo, & nullo præsuppositio miraculo. Vnde hæc conclusio est communis inter Philosophos.

Probatur ratione: quia generatio ex natura sua petit in suo subjecto priuationem formæ generandæ; cùm vnumquodque fiat ex suo contrario: sed vbi prius datur subjectum, & priuatio, & deinde sequitur forma; necessarium est mutationem exerceri: ergo generatio, connaturaliter loquendo, importat mutationem; quamuis supernaturaliter possit dari generatio, quin sit mutatio. Vnde potuit Aristot. definire citra vitium generationem per mutationem: quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem; & generatio est mutatio, non quidem semper exercita, sed per se petita. Maximè, quia Philosophus definiuit generationem connaturalem; illam quippè ignorauit, quæ miraculum præsupponit: generatio autem, vt connaturali modo facta, necessariò includit mutationem.

§. III.

Respondetur argumentis.

15 ADuersus primam conclusionem opinantur Auerr. 4. *Physic. comm.* 9. Alensis. 3. *part. quæst.* 7. *memb.* 6. Scotus *in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 9. Suarez *disput.* 18. *Metaph. sect.* 2. & plures juniores, qui asserunt generationem esse actionem, secluso intellectu, distinctam à tota alteratione præcedenti, & dici substantialem, non quia in se aliquid

aliquid substantiale sit, sed quia substantiam attingit. Quæ sententia potest probari primo ex Aristot. *in hoc libro, & lib.* 1. *Physic.* vbi præcipuè intendit distinguere generationem substantialem ab alteratione. Et 5. *Physic.* determinans dari per se motum ad tria prædicamenta addidit ad substantiam non dari motum, sed mutationem. In quibus locis apertè distinguit inter alterationem & generationem: ergo non rectè asseritur, quod generatio non est actio ab alteratione distincta. ¶ Confirmatur ex D. Th. 3. *contra Gentes c.* 69. vbi hunc dicendi modum videtur manifestè tueri dicens: *Si formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus, habent aliquas actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem: non est autem huiusmodi actio disponere materiam: quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formæ accidentales: igitur forma generantis est principium actionis, vt forma substantialis introducatur.*

Respondetur ad authoritates Philosophi, quod solùm intendit generationem, & alterationem inter se distingui, non quidem vt duas actiones; sed tanquam actionem, & mutationem ad illam actionem consecutam: quod nos libenter admittimus. Imò verò Aristot. in his locis satis manifestè indicat generationem, quatenus est mutatio à præcedenti alteratione diuersa, non esse actionem: siquidem recensens principia generationis solùm enumerat materiam, formam, & priuationem: & tamen si generatio esset actio, non posset non aliud principium respicere, nempè agens, à quo flueret immediatè.

Ad confirmationem respondetur mentem D. Thom. *in prædicto loco* solùm esse, quod causæ secundæ per suas formas substantiales concurrunt efficienter, principaliter, & per propriam actionem ad generationem substantialem; ita quòd hæc non sit vnicè reuocanda in Deum tanquam in causam principalem. Ad hoc autem non requiritur, quod generatio sit actio ab alteratione distincta: nam vna, & eadem actio & est actio v. g. caloris, & est actio formæ substantialis ignis. Nam quatenus subordinatur calori vt virtuti æquali, & principali respectu caloris producendi, est actio propria caloris, & dicitur alteratio, seu actio dispositiua. Cæterùm quatenus subordinatur formæ substantiali vt principio radicali, & principali respectu substantiæ generandæ, est actio propria eiusdem formæ substantialis, appellaturque generatio, siue actio generatiua. Ex quo tamen non sequitur, quod generatio vt condistinguitur ab alteratione, & est mutatio illam consequens, sit actio ad substantiam immediatè terminata.

16 Secundò arguitur ratione: quia noua eductio nouæ formæ nequit non esse noua actio; siquidem educere est agere: sed generatio, vt condistinguitur ab alteratione præcedenti, est noua eductio ab alteratione diuersa; cùm educat nouum terminum, nimirum formam substantialem: ergo generatio, vt condistinguitur ab alte-

ratione, est vera actio. ¶ Confirmatur: quia vera efficientia est vera actio: sed vera eductio est vera efficientia: ergo est vera actio: ergo cùm generatio, vt distinguitur ab alteratione, sic vera eductio, sequitur, quod sit vera actio.

Respondetur eductionem latiùs patere, quàm actionem; comprehendit enim tùm actionem, tùm resultantiam, siue emanationem physicam, vt videre est in resultantia passionum ab essentia, quæ est eductio; & tamen non est vera actio. Forma autem substantialis fit per resultantiam: quia est terminus secundarius actionis generatiuæ, nempè alterationis: ac proindè ipsa eductio, per quam fit, non est actio, sed ex ipsa alteratione resultat. Per quod etiam soluitur confirmatio: nam huiusmodi eductio formæ substantialis solùm est efficientia secundum quid: efficientia autem secundum quid non est actio, sed emanatio, seu resultantia.

17 Sed replicabis: nam si ob aliquam rationem forma substantialis resultaret, secluſa alia actione, à termino alterationis, maximè quia ad illam consequitur: sed hoc non sufficit: ergo requiritur noua actio, in qua essentia generationis essentialiter consistat. Probatur minor: quia ad motum localem eius, qui in manu defert lucernam accensam, sequitur illuminatio: & ad creationem animæ in corpore sequitur eius vnio: & ad visionem beatam sequitur amor beatificus: & nihilominus illuminatio, vnitio animæ, & amor beatificus sunt actiones realiter distinctæ à motu locali, creatione animæ, & visione beata: ergo ex eo, quod generatio substantialis sequatur ad terminum alterationis, non sequitur quod sit pura emanatio, vel resultantia formæ. ¶ Et confirmatur: quia aliàs posset dici formam cœli resultare ab eius materia; siquidem creata materia, non potest non prædicta forma produci. Et similiter forma genita resultaret ex corruptione formæ præexistentis; cùm posita corruptione vnius formæ sit necessarium, quod altera generetur.

Respondetur ad resultantiam, & sequelam physicam vnius ex alio non sufficere, quod vnum sit post aliud vtcumque; sed requiri subsecutionem per se, hoc est, quod actio attingens vnum terminum ordinetur ad id, quod ex termino primario resultat. Per quod patet ad primam instantiam: nam motus localis non ordinatur per se ad productionem lucis; & ideò requiritur, quod illuminatio distinguatur ab eo. Similiter id, quod dicitur resultare, non debet esse extra actiuitatem principij productiui, vt per aliquam actionem operatur: quia tunc prædicta actio nequit se se extendere ad talem terminum. Vnde etiam occurritur aliis duabus instantiis: quoniam volitio est extra sphæram actiuitatis intellectus; & ideò importat diuersam actionem ab intellectione. Deus autem vt operans per creationem, nequit attingere vnionem.

nem animæ rationalis ad corpus; cùm prædicta vnio non fiat ex nihilo; sed ex materia præsupposita, & dispositа: atque ideò vnitio debet esse actio à creatione diuersa. Calefactio verò vt subordinata tàm calori, quàm igni, tendit ad producendum tùm calorem, tùm ignem, & habet vim ad vtrumque, vt constat ex supradictis: quocircà attingit immediatè calorem, & mediatè formam substantialem, quæ à prædicto calore tanquam ab vltima dispositione resultat.

18 Tertiò arguitur, & simul responsio præcedentis argumenti impugnatur: quoniam implicat, quod forma genita verè, & influxu physico resultet à termino, qui non est in instanti intrinseco generationis, vt ex se constare videtur: atqui vltima dispositio antecedens non est in instanti generationis: ergo repugnat, quod forma substantialis resultet ex prædicta dispositione: ac proindè erit necessaria noua actio, quæ dictam formam immediatè attingat. Minor est certa apud Thomistas: nam vltima dispositio antecedens recipitur in composito corrumpendo: nullum autem accidens, quod fuit in composito corrupto, manet in instanti generationis; sed fit resolutio vsque ad materiam primam, vt infrà dicemus *quæst.* 6. ergo vltima dispositio antecedens non est in instanti generationis.

Respondetur negando majorem primi syllogismi: quia ab eo, quod non est, si tamen immediatè anteà fuit, potest aliquid verè, & per sequelam physicam resultare, si inter vtrumque detur connexio naturalis, vt in præsenti contingit. Nam ex vna parte vltima dispositio naturali necessitate inducit formam: & ex alia parte vltima dispositio, & forma genita nequeunt inter se coëxistere; cùm illa recipiatur in composito corrumpendo, pereatque cum illo; hæc verò sit pars compositi denuò geniti. Quocircà forma substantialis nec debet, nec valet resultare ex vltima dispositione, quæ in illo instanti sit, sed quæ fuit in tempore immediatè antecedenti. Vnde licet passio ab essentia resultans debeat illi coëxistere, illamque perficere: id tamen non est vniuersaliter requisitum in omni, quod ex alio resultat; maximè cùm resultat per modum finis primario intenti, & in alio subjecto recipiendi: tunc enim assecuto fine, cessat intrinsecè via, & dispositio, quæ erat in tempore antecedenti, & ad inducendum prædictum finem ordinabatur. Quæ possunt illustrari exemplo omnium, quæ per motum producuntur: attinguntur enim verè, & effectiuè per motum antecedentem, qui tamen termino producto non coëxistit. Et si dicatur motum per vltimum sui mutatum esse attingere terminum, illique coëxistere; de ipso mutato esse fiet idem argumentum: nam mutatum esse producitur ex vi motus antecedentis; licet non coëxistant inter se: idemq; contingit in omni via ad aliquem

quem terminum. Quamobrem cùm alteratio antecedens, & illius terminus immediatus comparentur per modum viæ ad formam ſubſtantialem, ſatis eſt, quod fuerint tempore immediatè antecedenti, vt ex vi eorum ponatur forma in inſtanti ſequenti. Maximè cùm diſpoſitiones antecedentes relinquant materiam determinatam, & ſigillatam ad formam, & in prædicta ſigillatione virtualiter perſiſtant.

19 Quartò arguitur: quia actio nihil aliud eſt, quam motus provt egreſſus ab agente, vt docet Diuus Thomas 1. *p. quæſt.* 41. *articulo primo:* ſed generatio, vt diſtinguitur ab alteratione, eſt egreſſus formæ ſubſtantialis cum motu: ergo eſt vera actio. Probatur minor: quia in primis, tranſacta alteratione, forma ſubſtantialis egreditur verè ab agente: deinde generatio eſt verus motus, vt diximus *in lib. Phyſic. diſp.* 16. *quæſtione ſecunda:* ergo in generatione vt diſtincta ab alteratione præcedenti adeſt verus egreſſus ab agente cum motu.

Reſpondetur ad veram actionem non ſufficere quemcumque egreſſum; ſed deſiderari, quod ſit egreſſus effectus primarij: egreſſus quippè termini ſecundarij ſolùm eſt extenſio actionis, quæ ad effectum primarium terminata eſt, atque ideò non conſtituit nouam actionem, ſed ſolam dimanationem, ſiue reſultantiam termini ſecundarij à primario. Aliàs jam terminus ſecundarius non eſſet ſecundarius, ſed primarius, vt ex ſe liquet. Vnde cum forma ſubſtantialis ſit terminus in executione ſecundarius, non petit nouam actionem ab alteratione diſtinctam: & conſequenter illius egreſſus non eſt actio, ſed pura reſultantia; licet connaturaliter loquendo ſecum afferat quandam ſimplicem mutationem.

20 Vltimò ſuadetur hæc ſententia: quia actiones ſunt inſtitutæ à natura, vt per illas conſequatur, quæ maximè intendit: ſed forma ſubſtantialis eſt per ſe intenta à natura: ergo debet vendicare ſibi actionem propriam, per quam immediatè fiat, quæ non poteſt eſſe alia, quàm generatio. Maximè, quia id, quod intenditur ſecundariò, fit ſecundariò, & ex vi actionis ad aliud per priùs terminatæ: ergo quod intenditur primariò, debet fieri primariò, & per actionem quæ ad ipſum terminetur immediatè.

Reſpondetur negando conſequentiam: nam ex ipſa magna perfectione formæ ſubſtantialis, ob quam maximè intenditur à natura, prouenit, quod nulla actio creata valeat immediatè producere, vt conſtat ex ſupradictis *num.* 10. Ad id verò, quod additur dicendum eſt illud, quod intenditur ſecundario tàm intentione operantis, quàm operis, vti ſe habent proprietates eſſentiam conſequentes, ſolùm fieri ſecundario. Contingere tamen poteſt, quod aliquid non ſit de primaria intentione operantis; & nihilominus ſit de primaria intentione operis: & hoc modo ſe habent diſpoſitiones antecedentes; quæ proindè debent attingi per actionem primariò, ſiue immediatè.

diatè. Sicut è conuerso potest aliquid esse de primaria intentione operantis, & de secundaria intentione operis: quo pacto se habet forma substantialis; & consequenter non attingitur immediatè, & primario per actionem, sed solum secundario, & per resultantiam.

21 Contra secundam conclusionem sentiunt Rubio *in hoc lib. tract. 1. quæst. 2.* Conimbr. *cap. 4. quæst. 9. art. 1.* & alij Iuniores, qui asserunt generationem substantialem esse essentialiter nouam mutationem ab alteratione antecedenti distinctam. Quorum præcipuum fundamentum est, quod Aristot. frequenter definierit generationem per mutationem tanquam per conceptum genericum, & illi essentialiter superiorem. Cæterum hoc fundamentum iam debilitauimus *suprà num. 14.* vbi propriam Philosophi mentem explicuimus.

Sed potest deinde hæc opinio suaderi: quoniam ad veram mutationem tria principia sufficiunt, nempè subiectum, forma, & priuatio: sed hæc inueniuntur in omni generatione: ergo omnis generatio est essentialiter mutatio. ¶ Respondetur negando minorem: quia priuatio non est principium generationis essentialiter consideratæ, sed solum connaturaliter sumptæ: vnde si fiat præternaturaliter, & supposito aliquo miraculo opus non est, quod priuatio exercitè interueniat; quamvis sit per se debita generationi.

22 Sed replicabis: quoniam priuatio est principium per se generationis, cum vnumquodque fiat ex suo contrario, vt statuit Aristot. 1. *Physic.* sed ad hoc non sufficit, quod priuatio solum connaturaliter loquendo, concurrat ad generationem: ergo essentialiter desideratur illius concursus. Probatur minor: quia connaturaliter loquendo, sicut materia supponitur cum priuatione formæ generandæ; ita supponitur cum forma præexistente: & tamen hæc non est principium per se generationis: ergo vt priuatio sit illius principium per se debet esse necessaria nedum connaturaliter, sed etiam essentialiter. ¶ Respondetur negando minorem, quam probatio non euincit: quia licet priuatio non sit de essentia generationis; requiritur tamen, per se loquendo, ad illam, eo quod vnumquodque fit, per se loquendo, ex suo contrario: atque ideo priuatio queit sortiri veram rationem principij per se respectu generationis. Forma autem præexistens non petitur ex vi generationis; hæc quippè eodem modo fieret, etsi nulla forma præexisteret in materia: sed desideratur aliunde, nempè quia materia nequit in rerum natura absque omni forma consistere: quamobrem forma præexistens non est principium per se generationis; sed ad hanc concurrit per accidens, licet ad alia munera desideretur per se.

QVÆSTIO III.

Quid sit terminus generationis substantialis.

AD perfectè cognoscendam, quidditatem generationis substantialis multum confert præsentis quæstionis resolutio: qua de causa illam immediatè præcedenti coniungimus. Obseruandum autem est terminum communiter diuidi in terminos *qui*, & *quo*. Prior est, qui fit vt *quod*: quo modo se habet compositum ex natura, & subsistentia, vel etiam existentia resultans: & hic terminus solet appellari *totalis*. Posterior est, qui solum fit vt *quo*, & constituit, ac actuat terminum *qui*: qua de causa dicitur communiter *terminus formalis siue specificatiuus*. Quem possumus adhuc bipartiri: nam alius est *partialis* in ipsa ratione termini *quo*, vt forma equi: & alius est *totalis*, vt equinitas, siue natura integra coalescens ex materia, & forma vnitis. Vnde cum omnia hæc attingantur per generationem, videndum est, quid se habeat per modum termini *qui*, & quid per modum termini *quo* tam in intentione, quam in executione. Hic autem non loquimur de generatione, quatenus est actio alteratiua; quo pacto terminatur immediatè ad dispositiones antecedentes, vt constat ex iis, quæ præcedenti *quæst.* statuimus: sed procedit difficultas circa generationem, prout est resultantia vel instantanea mutatio.

§. I.

Statuitur terminus qui *generationis.*

23 DIcendum est primo compositum ex natura totali, & subsistentia coalescens, siue quod idem est, suppositum esse terminum *qui* generationis primarium in executione. Ita Aristot. 7. *Metaph. text.* 26. & 27. & *lib.* 8. *text.* 3. D. Thom. *ibidem* & 3. *p. quæst.* 35. *art.* 1. necnon 1. *p. quæst.* 45. *art.* 4. vbi inquit: *Fieri ordinatur ad esse rei: vnde illis propriè conuenit fieri, quibus conuenit esse: quod quidem conuenit propriè subsistentibus, siue sint simplicia sicut substantiæ separatæ; siue sint composita, sicut substantiæ materiales: illi enim propriè conuenit esse, quod habet esse & quod est subsistens in suo esse.* Idem repetit in aliis pluribus locis. Vnde hic dicendi modus est communis inter Thomistas.

Probatur ratione fundamentali: quoniam ille est terminus *qui* generationis primarius in executione, qui immediate, & per modum subiecti *quod* recipit existentiam: sed hoc solum competit supposito: ergo suppositum est terminus *qui* generationis primarius in executione. Maior est certa: quia *fieri* ordinatur ad *esse*; & produci nil aliud est, quam recipere existentiam ex influxu causæ efficientis: ergo ille est terminus *qui* generationis primarius in executione, qui immediatè & per modum subiecti

subiecti *quod* recipit existentiam. Minor etiam liquet: nam cum existentia sit vltima actualitas lineæ substantialis nequit immediatè communicari nisi supposito constituto ex natura totali, & subsistentia; quod proinde maxime accedit ad vltimam existentiæ actualitatem. Vnde dixit D. Thom. *3. p. q. 17. art. 2. quod esse pertinet ad naturam, & ad hypostasim: ad hypostasim quidem sicut ad id, quod habet esse: ad naturam autem sicut ad id, quo aliquid habet esse.*

24 Confirmatur primo: nam sicut actiones, ita & passiones sunt suppositorum: sed quod generat vt *quod* non est natura totalis, sed suppositum: ergo suppositum, & non natura totalis, est quod generatur vt *quod*, seu per modum termini *qui*. ¶ Confirmatur secundo: quia vt communiter docent Theologi, cum D. Thom. *3. p. q. 24. art. 1.* humanitas Christi Domini nequit dici filia, vel prædestinata; sed huiusmodi denominationes conueniunt Christo quatenus subsistenti in natura humana; & vt in ea subsistens prædestinatur, vt per eandem subsistentiam subsistat in natura diuina: ergo solum suppositum potest habere rationem termini *qui* generationis. Patet consequentia: quia alias nulla esset ratio, cur humanitas Christi non diceretur filia, & prædestinata.

Confirmatur tertio: quoniam id, quod habet rationem formæ, nequit esse terminus *qui*, vel subiectum *quod* generationis, vt ex ipsis terminis constare videtur; quandoquidem terminus *qui* constituitur per formam, & consequenter nequeunt esse idem omnino: atqui natura totalis v. g. equinitas habet rationem formæ respectu equi geniti: ergo non est terminus *qui* prædictæ generationis; sed huiusmodi ratio solum conueniet supposito, quod generatur. Minor liquet: nam sicut album est album per albedinem; ita equus est equus per equinitatem: ergo sicut albedo est forma constituens album; ita equinitas est forma constituens equum. Quam rationem tradidit Aristot. *7. Metaph.* vbi D. Thom. *lect. 6.* illius mentem illustrat his verbis: *Palam igitur est, quod non fit species rei generatæ, nec aliquod aliud quodcumque sit, quod oporteat vocare formam in rebus sensibilibus. Et quia generatio est eius, quod fit, palam est, quod nec generatio est formæ, sed compositi: nec iterum quod quid erat rei generatæ generatur, nisi per accidens.*

25 Sed obijcies primò: terminus *quo* primarius in executione est, qui primario mandatur executioni: sed priusquam fiat suppositum, producuntur forma & natura totalis: ergo suppositum nequit esse terminus primarius in executione. *Secundò*: terminus *qui* generationis accidentalis est sola forma, non vero concretum resultans: hoc enim, cum sit ens per accidens, nequit terminare generationem accidentalem, quæ est vna per se: ergo pariter terminus *qui* generationis substantialis non est suppositum, sed sola forma, vel natura. *Tertio*: propter quod vnumquodque tale, & illud magis: sed suppositum terminat ge-

nerationem ratione formæ, vel naturæ: ergo hæc est præcipuè terminus primarius in executione, ac proinde terminus *qui*.

Hæc tamen facilè diluuntur: ad primam enim obiectionem respondemus formam, seu naturam solum fieri vt *quo*, & cum addito: vnde licet vtcumquè suppositum præcedant, non impeditur, quod terminus primarius executionis sit solum suppositum: hoc enim fit simpliciter, & vt *quod* atque ideo per modum termini *qui*. ¶ Ad secundam negatur antecedens: nam concretum accidentale est terminus *qui* generationis accidentalis: quippè cum hæc sit generatio secundum quid, non petit, quod terminus eius *qui* sit ens per se; sed sufficit, quod hoc saluetur in illius termino *quo*. Generatio autem substantialis, cum sit generatio simpliciter, attingere debet terminum, qui sit ens, & vnum simpliciter: quod soli supposito competit. ¶ Ad tertiam negatur consequentia: nam illa maxima solum verificatur, cum potest fieri reflexio eiusdem prædicati supra absolutum, vt si dicas: *Luna est lucida propter solem, & hic est lucidus: ergo sol est magis lucidus*. Hoc autem non habet locum in præsenti: nam licet suppositum generetur vt *quod* propter naturam, vel dependenter ab illa; hæc tamen non generatur vt *quod*: & ideo non sequitur, quod magis generetur vt *quod*, & simpliciter: quia non saluatur absolutum, & consequenter nec datur locus comparatiuo.

26 Dicendum est secundo terminum *qui* generationis primarium in intentione esse suppositum vt existens; siue compositum ex supposito, atque existentia coalescens. Hæc est D. Thom. *locis suprà citatis, & 1. p. quæst. 3. art. 4.* quem sequuntur communiter Doctores. Probatur breuiter: nam illud debet esse in aliqua linea terminus primarius intentionis, quod est vltimum in executione, & habet rationem supremæ, & vltimæ actualitatis: sed existentia est vltima, & perfectissima actualitas in linea substantiæ, & vltimò executioni mandatur, aliaquè omnia censentur esse in potentia, vsquedum adsit existentia, per quam formaliter, & completè constituantur extra causas: ergo compositum ex illa, & supposito resultans debet esse terminus *qui* generationis substantialis primarius in intentione.

§. II.

Explicatur quid sit terminus quo generationis.

27 Dicendum est tertio terminum *quo* generationis totalem esse naturam integram ex materia, & forma compositam: partialem vero esse formam substantialem, per quam constituitur natura. Hæc conclusio satis liquido deducitur ex Aristot. & D. Thom. *locis supra citatis*, & est communis apud Thomistas. Fundamentum est: nam terminus *quo* est id, per quod constituitur terminus *qui*: sed terminus *qui*

generatio

generationis subſtantialis, nempe ſuppoſitum conſtituitur per naturam & per formam: per illam quidem tanquam per formam totalem; per iſtam vero ſicut per formam partialem: ergo vtraque habet rationem termini *quo* generationis modo in concluſione præſcripto, videlicet natura termini totalis, & forma termini partialis. ¶ Confirmatur: quia forma ſubſtantialis eſt terminus *ad* quem generationis: ſed non eſt terminus *qui*: ergo eſt terminus *quo*: at non eſt totalis; ſiquidem non conſtituit per modum formæ totalis: ergo eſt terminus *quo* partialis generationis: & conſequenter natura, ſeu forma totalis erit terminus *quo* totalis eiuſdem generationis.

Vnde etiam colligitur formam ſubſtantialem non eſſe terminum primarium intentionis adhuc per modum termini *quo*: ſed id reſeruari naturæ, ſeu formæ totali. Quoniam forma ſubſtantialis ordinatur ad naturam, ſeu formam totalem ſicut pars ad totum & medium ad finem: ergo ſola natura poteſt habere rationem termini *quo* primarij in ordine intentionis.

28 Obijcies: terminus *quo* partialis exigit alium terminum *quo* partialem, cùm omnis pars dicatur per habitudinem ad aliam partem: ſed repugnat, quod in generatione detur alius terminus *quo* partialis præter formam; quandoquidem materia, de qua ſolùm poterat dubitari, nequit eſſe terminus generationis, cùm ingenerabilis ſit: ergo forma nequit eſſe terminus *quo* partialis. ¶ Reſpondetur formam dici terminum *quo* partialem generationis, quia non ſe ſola, ſed cum alia parte, nempe materia, conſtituit terminum *quo* totalem, ſcilicet naturam. Ad hoc autem non requiritur, quod alia pars ſit genita: ſicut neque ad hoc, vt ſuppoſitum generetur vt *quod*, requiritur, quod materia ſit genita vt *quo*.

§. III.

Referuntur opiniones contrariæ.

29 COntra ea, quæ hactenus ſtabiliuimus, duplex militat ſententia. Prima aſſerit terminum *qui* generationis adæquatum, & primarium eſſe naturam totalem, v. g. equinitatem, quæ præintelligitur ad ſuppoſitum: terminum vero *quo* eſſe formam ſubſtantialem conſtituentem naturam. Ita Rubio in præſenti *tract.* 1. *qu.* 3. & alij plures Moderni. Probatur primo ex D. Thom. 3. *part. quæſtion.* 35. *art.* 1. in corpore, vbi ait: *Natiuitas poteſt alicui attribui dupliciter: vno modo, ſicut ſubiecto; alio modo, ſicut termino. Sicut ſubiecto quidem attribuitur ei, quod naſcitur: hoc autem eſt hypoſtaſis, non natura. Sed ſicut termino attribuitur natiuitas naturæ: terminatur enim intentio naturæ ad formam, ſeu naturam ſpeciei.* Ergo ſecundum D. Thom. ſuppoſitum non eſt terminus generationis, ſed eſt præcisè ſubiectum prædicti termini.

Reſpondetur S. Doctorē loqui de ſubiecto denominationis, ſeu de eo, quod denominatur genitum, quale

asserit esse suppositum. In quo aperte nostræ sententiæ suffragatur: nam subiectum, quod generatur vt *quod*, est re ipsa terminus *qui* primarius generationis, vt ex se liquet. Quare cùm asserit naturam esse terminum generationis loquitur de termino *quo*, formali, & specificatiuo, qualem esse naturam libenter admittimus.

30 Secundo arguitur: quoniam terminus *qui* generationis est illud, quod habet esse vt *quod*: sed natura totalis habet esse vt *quod*: ergo est terminus *qui* generationis. Probatur minor: quia substantia totalis, & completa habet esse vt *quod*: at natura totalis est substantia completa, & totalis, vt liquet ex ipsis terminis: ergo &c. ¶ Confirmatur: quia illud fit vt *quod*, seu per modum termini *qui*, quod immediate recipit existentiam: sed hoc conuenit immediate naturæ totali, & præintelligitur ad suppositum: ergo natura totalis est terminus *qui* generationis. Suadetur minor: quia suppositum constituitur per subsistentiam: sed existentia præcedit subsistentiam: ergo existentia solùm potest conuenire immediatè naturæ totali: hæc enim præcedit subsistentiam, & suppositum. Probatur minor, tùm quia subsistentia resultat à natura: resultantia autem præsupponit existens illud principium, à quo terminus resultat: ergo existentia præcedit subsistentiam. Tùm etiam, quia subsistentia est modus particularis existendi: sed modus supponit rem, cuius est modus: ergo subsistentia supponit existentiam.

Ad argumentum neganda est minor primi, & secundi syllogismi: quia equinitas v. g. non est substantia completa vsque dum terminetur per subsistentiam: & ideò nequit habere esse vt *quod*, sed solum vt *quo*. Cuius signum est, quod in prædicamento non collocatur equinitas, sed equus: quia videlicet equinitas non est substantia completa; sed solùm habet rationem formæ respectu suppositi; quod est substantia completa; & consequenter ipsum potest habere esse vt *quod*, & terminare generationem per modum termini *qui*.

Ad confirmationem respondetur existentiam esse vltimam actualitatem lineæ substantiæ: & ideo nequit immediatè communicari naturæ, sed soli supposito, quod importat naturam terminatam subsistentia: per hanc quippe fit natura proximè capax existendi: quia ante illam non datur subiectum *quod*, & totale aptum ad existendum. Probationes autem in contrarium adductæ parùm vrgent; non prima, quia licet ad resultantiam accidentis supponatur subiectum, vel principium existens, eò quod accidens supponit substantiam vltimo completam in sua linea; ad resultantiam tamen modi substantialis, qualis est subsistentia, sufficit, quod illius principium sit existens in toto illo instanti reali; & quod pro aliquo priori habeat actualitatem essentiæ saltem vialiter, siue in egredi, vt in resultantia ipsius existentiæ necessariò admittendum est. Non secunda: quoniam subsistentia non pertinet ad ordinem essẽdi participialiter, sed

nomina-

nominaliter, hoc est, non spectat ad ordinem existendi, sed ad lineam essentiæ substantialis per modum termini illius: quamobrem præsupponitur simpliciter ad existentiam.

31 Tertio arguitur: nam causa principaliter concurrens ad generationem nequit non attingere terminum *qui* primarium illius: sed non semper attingit suppositum: hoc igitur non est terminus *qui* primarius generationis; sed sola natura totalis habebit rationem prædicti termini. Minor ostenditur in generatione humana Christi Domini, in qua B. Virgo non potuit efficere suppositum; cùm hoc sit increatum, nec valuit attingere per modum causæ principalis vnionem humanitatis ad verbum diuinum; cùm sit modus ordinis altissimi, nempe hypostatici: & tamen B. Virgo se habuit vt causa principalis illius generationis; siquidem est vera mater Christi: ergo.

Respondetur negando minorem: cuius probationi vt occurramus obseruandum est ex D. Thom. fœminam non concurrere actiuè immediatè ad generationem, sed solùm passiue: quia semen eius est quid imperfectum in ratione seminis; atque ideo nequit elicere actionem generatiuam: sicut calor remissus, quamvis sit eiusdem speciei cum calore intenso, nequit tamen ob suam imperfectionem efficere ignem; sed id calori perfecto reseruandum est. Influit tamen fœmina actiuè remotè in generationem, quia actiuè concurrit ad præparationem ac formationem seminis, vel alterius materiæ ad generationem prolis requisitæ: sed proxime solum concurrit ministerialiter, nimirum ministrando materiam, ex qua fœtus virtute actiua patris formandus est. Vnde licet B. Virgo non potuerit efficere principaliter suppositum diuinum, vel vnionem hypostaticam, vt argumentum rectè concludit: attigit tamen principaliter ministerialiter tanquam terminum *qui* suppositum Verbi Diuini vt subsistens in natura humana: quia ministrauit materiam ex qua virtute Spiritus Sancti formata est humanitas, cui vnitum est suppositum diuinum. Hæc quippe ministratio exercita est in eodem instanti vnionis Verbi ad humanitatem; nec vllo modo cessauit ante prædictam vnionem, sed per illam completa est, vt inquit D. Augustus. *lib. de Fide ad Petrum cap.* 18. *Firmissime crede, & nullatenus dubites carnem Christi non fuisse conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur à Verbo.* Quamobrem B. Virgo attigit ministerialiter ipsum suppositum diuinum vt subsistens in humanitate, & tanquam terminum *qui* illius generationis. Quod sufficit, vt dicatur mater Christi eo rigore, quo aliæ fœminæ dicuntur suorum filiorum matres: eæ quippe eatenus concurrunt ad generationem, quatenus ministrant materiam, ex qua per virtutem actiuam masculi proles gignitur. Videatur D. Thom. 3. *part. quæstion.* 31. *art.* 5. *& quæst.* 32. *art.* 4. *& quæst.* 33. *art.* 3.

32 Secunda sententia docet terminum *quo* generationis non esse formam; sed vnionem formæ ad materiam. Hanc defendunt Hurtado

disp.

disp. 11. *Physic. sect.* 6. §. 37. & alij Recentiores. Et potest suaderi primo: quia sicut terminus *qui* generationis debet generari vt *quod*; ita terminus *quo* debet generari vt *quo*: sed forma substantialis non semper generatur, vt patet in generatione humana; siquidem anima rationalis est ingenerabilis: ergo forma non habet rationem termini *quo*; ac proinde sola vnio erit terminus *quo*: hæc enim semper producitur per generationem.

Respondetur negando majorem: quia opus non est, quod terminus *quo* fiat per generationem; sed sufficit, quod per illam communicetur termino *qui*. Forma enim, vel natura solùm desideratur ad generationem, vt per hanc communicetur suppositò: vnde satis est, quod prædicta forma sit communicabilis; licet aliàs supponatur producta, vel sit improducibilis: quippe hac ratione natura diuina est terminus *quo* in generatione Verbi Diuini, licet ipsa non generetur, vt tradit D. Thom. 1. *p. qu.* 39. *art.* 5. Et ob eandem causam anima rationalis est terminus *quo* generationis humanæ. In quo satis distinguuntur terminus *qui*, & terminus *quo*: ille enim acquirit *esse* per generationem; atque eo debet per illam produci: hic autem desideratur, vt constituat terminum *qui*, ac proinde sufficit, quod illi vniatur, & communicetur; quamvis aliàs præsupponatur productus, & per generationem non fiat.

33 Sed replicabis: quoniam iuxta hanc solutionem terminus *quo* generationis humanæ est anima; non quidem secundum se, sed vt communicata suppositò: communicatur autem formaliter per vnionem: ergo vnio erit terminus *quo* prædictæ generationis. Ad hæc: actiones essentialiter distinctæ, quales sunt creatio, & generatio nequeunt habere eundem formaliter terminum: sed anima rationalis secundum se est terminus formalis creationis: ergo terminus generationis non est eadem anima secundum se sumpta; sed ipsa vt vnita: atque ideo vnio erit formalis terminus generationis.

Respondetur ad replicam negando consequentiam: licet enim forma communicetur suppositò per vnionem; hæc tamen solùm desideratur per modum conditionis, non vero per modum rationis formalis in prædicta constitutione, & compositione: hanc enim exercet forma per suam entitatem: vnde ipsa, & non vnio est terminus formalis *quo* prædictæ generationis. Maxime, quia terminus *quo* est id, quod communicatur termino *qui*, seu suppositò: id autem quod communicatur est forma; & vnio solùm se habet vt exercitium in tali communicatione. ¶ Id verò, quod additur, facile euanescit: nam anima terminat creationem sub ratione entis factibilis ex nihilo; generationem autem, quatenus communicatur materiæ, media istius transmutatione; atque ideo sub diuersa ratione *sub qua*. Vnde licet sit eadem in esse rei; multiplicatur tamen in esse termini; quod satis est, vt possit terminare actiones diuersas.

34 Arguitur secundo: quia ge-

neratio

neratio substantialis est essentialiter vnitio ; si enim agens naturale educeret formam de materia, cui tamen eam non vniret, nulla daretur generatio defectu vnionis : at vnitio specificatur ab vnione, sicut calefactio à calore, & illuminatio à luce : ergo generatio specificatur ab vnione : constat autem, quod specificatiuum generationis est illius terminus *quo* : ergo vnio est terminus *quo* generationis.

Respondetur, quòd generatio non denominatur vnitio per ordinem ad suum specificatiuum, quod est forma ; sed per habitudinem ad exercitium vnibilitatis formæ, quod est vnio. Frequenter enim contingit eandem actionem subire denominationes diuersas per ordinem ad diuersos terminos ; licet non specificetur ab omnibus : quod videre est in actu voluntatis diuinæ, qui dicitur amor respectu obiecti primarij, & productio respectu secundarij. Vnde ex eo, quod generatio denominetur vnitio per respectum ad vnionem, non sequitur, quod hanc primario respiciat, vel attingat per modum termini *quo*. Præsertim cùm possit appellari vnitio per comparationem ad vnibilitatem formæ, quam vnit, & ab ea prædictam denominationem sortiri.

35 Arguitur vltimo : quia si forma esset terminus *quo* generationis, & consequenter specificatiuus illius, vbi esset eadem forma, esset eadem specie generatio, seu mutatio : consequens est absurdum ; siquidem generatio, & resurrectio hominis distinguuntur specie, licet communicent eandem formam ; quia attingunt diuersam vnionem : ergo vnio, & non forma, est terminus *quo* formalis, & specificatiuus generationis.

Respondetur concedendo sequelam intellectam de forma, quæ sit eadem non solùm in esse rei ; sed etiam in esse termini : & deinde negatur minor, quia licet tàm generatio, quàm resurrectio attingant eandem formam per modum termini *quo* ; nihilominus respiciunt illam sub diuersa ratione formali *sub qua*. Generatio enim attingit animam sumptam secundum connaturalem habitudinem, quam dicit ad materiam, & ad dispositiones antecedentes, medijs quibus se communicat. Resurrectio autem respicit eandem animam sumptam secundum potentiam obedientialem, quam habet, vt reuniatur materiæ per subiectionem ad virtutem agentis supernaturalis. Quæ rationes satis dissident inter se, & multiplicare queunt animam in ratione termini *quo* vtriusque mutationis vt ex se liquet.

QVÆSTIO IV.

An materia informata forma corporeitatis sit subiectum generationis?

HAbita notitia quidditatis, & termini generationis, reliquum est, vt illius subiectum inuestigemus: quod per sequentes quæstiones præstare curabimus. In præsenti autem discutiemus, vtrum generatio recipiatur in composito resultante ex materia prima, & quadam forma corporeitatis, quam aliqui arbitrantur esse materiæ coæuam, & ab illa inseparabilem. Vnde consequenter docent per generationem produci formam tribuentem quidem gradus inferiores, & specificos; non autem gradum corporis, aut alios superiores: ij enim in eorum sententia supponuntur in materia, vt generationem valeat recipere. Quod, an verum sit? determinabimus in hoc loco; breuiter tamen: quia huius difficultatis major discussio pendet ex pluribus, quæ trademus in lib. de Anima.

§. I.

Defenditur communis sententia.

36 DIcendum est non dari in materia prima formam corporeitatis, quam modo descripsimus, & consequenter generationem substantialem non recipi in composito ex prædicta forma, & materia coalescente. Ita Aristot. in præsenti *text.* 24. vbi D. Thom. *lect.* 10. inquit: *Patet falsam esse opinionem, quam tradidit Auicembrom in libro fontis vitæ, quod in materia est ordo formarum, ita quod primo aduenit materiæ forma, secundum quam est substantia, & postea alia, secundum quam est corpus: & postea alia, secundum quam est animatum corpus: & sic de alijs.* Idem repetit S. Doctor 1. *part. quæst.* 76. *art.* 4. & 2. *contra Gentes, cap.* 51. & 58. Quem sequuntur omnes illius discipuli. Quod etiam tradunt, & amplectuntur Auer. *in præsenti comment.* 79. Alensis 1. *p. quæst.* 62. Durandus *in* 1. *dist.* 8. *q.* 4. Suarez *disp.* 15. *Metaph. sect.* 10. & communiter Doctores.

Probatur ratione: quoniam ex materia informata forma corporeitatis, & ex forma, quæ per generationem producitur, vel acquiritur, nequit fieri vnum ens per se: ergo nec datur forma corporeitatis, nec illa mediante recipitur generatio in materia. Consequentia liquet: quia tàm generatio substantialis, quàm forma substantialis ordinantur ad constitutionem vnius entis per se. Antecedens autem suadetur: quia plures formæ substantiales sunt plures actus, qui proinde constituunt plura entia in actu: sed ex pluribus entibus in actu nequit fieri vnum ens per se: ergo ex materia informata per formam corporeitatis, & ex forma specifica denuò genita non potest coalescere

compos

compositum substantiale, quod sit vnum ens per se.

37 Nec vim huius rationis infringes, si respondeas ex pluribus entibus in actu incompletis, & vialibus bene posse resultare vnum ens per se: forma autem corporeitatis, & forma specifica sunt quid incompletum: quocirca vtraque potest pertinere ad constitutionem vnius entis per se. ¶ Nam contra est: quoniam corpus substantiale est substantia completa; siquidem directè collocatur in prædicamento substantiæ, in quo certum est, quod sola entia completa directè constituuntur: ergo forma corporeitatis est actus completus intra lineam formæ: ac proinde ex illa, & ex forma specifica nequit componi vnum ens per se.

Confirmatur primo: nam hoc ipso, quod corpus sit substantia completa nequit non habere *esse* simpliciter: sed quod aduenit enti habenti *esse* simpliciter, aduenit accidentaliter, & solùm potest illi conferre esse secundum quid; quandoquidem id, quod habet esse simpliciter, nequit recipere esse simpliciter; aliàs iterum simpliciter fieret, quod est impossibile: ergo forma specifica distincta à forma corporeitatis nequit pertinere ad constitutionem vnius entis per se; sed habebit rationem formæ accidentalis.

Confirmatur secundo: quia forma corporeitatis constituit corpus non solùm in gradu generico corporis; sed etiam in specie atoma: ergo quidquid aduenit corpori per formam corporeitatis constituto, est præter eius essentiam; ac proinde impossibile est, quod ex forma corporeitatis, & ex alia forma specifica fiat compositum, quod sit vnum ens per se. Antecedens ostenditur: quoniam forma corporeitatis hoc ipso, quod existat à parte rei debet esse entitas indiuidua, & singularis, ac distincta ab omnibus aliis formis: sed quidquid habet vnitatem indiuidualem, à fortiori debet habere prædicata specifica atoma; hæc quippe mediant essentialiter inter genus, & indiuiduum: ergo prædicta forma constituet corpus non solum in gradu generico corporis, sed etiam in aliqua specie atoma. Patet consequentia: quia forma constituit compositum per exhibitionem suæ entitatis; ac proinde reducit illud ad eum gradum, in quo ipsa est.

38 Confirmatur tertio: quia forma specifica, v. g. ignis potest communicare materiæ gradum genericum corporis: ergo irrationabile est imaginari in materia aliam formam corporeitatis distinctam à forma atoma: natura enim studet compendio; & frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Antecedens suadetur, tùm quia compositum habens esse substantiale materiale nequit non esse corpus vt ex se liquet: sed compositum ex materia, & forma ignis habet esse materiale; cùm non sit substantia spiritualis, vt constat ex terminis: ergo est corpus: ergo forma specifica ignis potest communicare materiæ gradum corporis. Tum etiam: nam in gradibus essentialiter subordinatis forma, quæ communicat

gradum inferiorem, & magis perfectum, confert etiam superiorem, & magis potentialem: hac quippe de causa albedo tribuens esse album, tribuit etiam esse coloratum, & esse quale, & eadem entitas est per quam Angelus est v. g. Gabriel, & substantia spiritualis, & substantia completa: quod posset inductiuè ostendi in omnibus aliis formis, & entitatibus: ergo forma ignis, quæ communicat materiæ gradum specificum ignis, confert etiam illi gradum genericum corporis. Tum denique: quia sicut forma est vltima actualitas in linea essentiæ; ita existentia est vltima actualitas in linea substantiæ: sed ad actuandos, & terminandos gradus superiores, & inferiores substantiæ non requiruntur diuersæ existentiæ; cùm vnica dumtaxat, & simplex existentia inueniatur in composito substantiali, vt ostendimus *in lib. Physic. disp. 3. quæst. 4.* ergo ad communicandos omnes gradus essentiales superiores, & inferiores, qui reperiuntur in igne, sufficit vnica, & simplex forma eiusdem ignis. Vnde cùm generatio ignis non recipiatur in igne genito; vt modo supponimus, & admittitur ab Aduersarijs; planè infertur quod non recipiatur in materia actuata per formam corporis: siquidem eadem realiter est ignis, & corporis forma; vt constat ex dictis.

§. II.

Demoliuntur aduersantia fundamenta.

39 COntrarium nobis dicendi modum sequuntur Auincębrom *in lib.* fontis vitæ, Auicenna *lib. 1. sufficientiæ cap. 1.* B. Albert. *2. Metaph. tract. 2.* Ocham *quodl. 2. quæst. 6. & 10.* & alij; quibus etiam quantum ad generationem viuentium consentit Scotus *in 4. dist. 11. quæst. 3. art. 2.* Probatur primo: quia materia prima debet habere formam corporeitatis distinctam, v. g. à forma ignis, qui generatur: ergo generatio ignis sicut supponit materiam, ita supponit formam corporeitatis, & ea mediante, recipietur in materia. Consequentia constat. Et antecedens suadetur tùm ex D. Thom. *in 1. dist. 8. qu. 5. art. 2.* vbi docet, quod corporeitas est prima forma, quæ recipitur in materia, & quod ab illa nunquam denudatur: quod verificari nequit, nisi materia habeat formam corporeitatis distinctam à forma ignis. Tum etiam, quia si eadem esset forma corporeitatis & forma ignis, quidquid esset corpus, etiam esset ignis: quod tamen est falsum; cum plura sint corpus, & non ignis. Tum præterea, quia gradus corporis & ignis habent diuersas realiter proprietates: ergo petunt distinctas formas, à quibus illæ proprietates oriantur. Tum deinde, quia partibus definitionis correspondent partes rei ex Philosopho 7. *Metaphys. cap. 10.* ergo cum gradus genericus corporis,

corporis, & specificus ignis sint diuersæ partes definitionis, debent petere diuersas formas, quibus correspondeant. Tum denique, quia Aristot. 2. *Metaph. cap.* 2. probat in causis formalibus non dari processum in infinitum, quia prædictus processus nequit dari in prædicatis quidditatiuis: hæc autem ratio nullius roboris esset, si diuersi gradus corporis, & ignis non postularent diuersas formas.

Respondetur negando antecedens: ad | cuius primam probationem respondemus D. Thom. solum intendere, quod quælibet forma tribuat materiæ prius prioritate virtuali gradum genericum corporis, quam alium gradum specificum. Et quia, succedentibus diuersis formis, nunquam materia denudatur ab omni forma; ita nec denudatur à gradu corporeitatis: hunc quippè quæuis forma ipsi communicat; quamvis prædicti gradus non sint realiter positiuè idem, sed solum negatiuè. Quo etiam modo dicitur materiam nunquam spoliari existentia: quia licet hanc frequenter amittat destructa forma; statim acquirit aliud esse per alterius formæ generationem.

Ad secundam neganda est sequela: quia gradus corporis, & gradus ignis distinguuntur virtualiter inter se; licet sint realiter idem ob vnitatem formæ, à qua proueniunt. Vnde quamvis in igne corpus sit realiter identice ignis, corpus tamen, vt corpus, non est obiectiuè, & quidditatiuè ignis; sed gradus superior ad ignẽ, & ad alias species. Quamobrẽ plura possunt esse corpora, quin sint ignis.

Ad tertiam respondemus plures proprietates atomas, & adæquatas petere diuersas formas à quibus sint: proprietates autem inadæquatas, & conuenientes secundum diuersos gradus superiores, & inferiores posse ab eadem forma oriri: quia sicut predicata superiora, & inferiora conueniunt eidem formæ, ita prædicta forma valet radicare omnes proprietates, quæ consequuntur ad illa prædicata. Et hoc posteriori modo se habent accidentia propria corporis, & ignis.

Ad tertiam dicimus illud axioma Philosophi verificari in definitione physica, qualis est: *Homo est compositum ex corpore, & anima rationali*: hæc quippè datur per partes, quæ sunt veræ partes & à parte rei distinctæ. Quod si ad omnem definitionem extendatur illud dictum; glossandum est de partibus rei, quæ vel sint in re distinctæ, vt sunt partes physicæ; vel sint virtualiter diuersæ, vt plures gradus eiusdem formæ: optime enim componitur, quod sint partes rei; licet non distinguantur à parte rei.

Ad vltimam respondetur ex negatione infinitorum prædicatorum essentialium optime colligi ab Arist. negationem infinitarum formarum: nam cum quælibet forma conferat saltem vnum prædicatum essentiale, rectè deducitur formas non esse infinitas, si non dantur infinita prædicata Cæterum ex multiplicatione prædicatorum non infertur dari plures formas: quia vna, & eadem forma potest communicare plura prædicata.

4o Secundò arguitur: quia vnum

corpus non poteſt agere niſi in aliud corpus: ſiquidem agens, & paſſum debent ſaltem in ratione corporis aſſimilari: ergo generatio eſſentialiter ſupponit formam corporeitatis in proprio paſſo, vel ſubiecto: hoc autem eſt materia: ergo generatio recipitur in materia actuata per formam corporeitatis. ¶ Confirmatur: quia generans ſolum tendit ad aſſimilandum ſibi paſſum in his, in quibus erant diſſimilia: ſed non erant diſſimilia in ratione corporis; ſiquidem materia ſemper ſupponitur cum hoc gradu: ergo generans non producit gradum corporis, ſed ſolum formam ſpecificam: ergo iſtius generatio recipitur in materia conſtituta in actu per formam corporeitatis.

Reſpondetur ad argumentum, quod ſi loquamur de generatione conſiderata in eſſe actionis, quo pacto eſt re ipſa idem cum alteratione præcedenti, illius paſſum eſt compoſitum corrumpendum; quod quidem corpus eſt; ſed non per formam corporeitatis diuerſam realiter à forma ſpecifica vt conſtat ex dictis. Si autem generatio conſideretur vt diſtincta ab alteratione antecedenti, non eſt actio; ſed ſimplex quædam mutatio, vel reſultantia ſubſtantialis: & conſequenter non petit recipi in corpore ſed poteſt ſubiectari in ſola materia prima. ¶. Ad confirmationem dicendum eſt quod licet ignis v. g. ſolum per ſe primo intendat efficere alium ignem: quia tamen nequit producere ignem quin ſimul producat omnia prædicata quidditatiua illius, cum omnia hæc ab eadem ſimplici forma proueniant: ideo aſſimilat ſibi paſſum etiam in prædicatis corporis, & in aliis ſuperioribus. Ex eo autem, quod materia ſupponatur habere gradum corporis; ſolum conuincitur, quod agens non tendat per ſe vel ad deſtruendum gradum corporis præexiſtentem, vel ad producendum corpus, vt corpus. Cæterum quia ignis v. g. nequit deſtruere lignum quin deſtruat gradum corporis in eo repertum, vt pote cum ſint realiter idem: ideo expellendo formam ligni expellit etiam corporis gradum, & generando ignem, etiam generat corpus.

41 Tertio, & vltimo arguitur: quia illud eſt ſubiectum generationis quod manet poſt corruptionem; eo quod generatio, & corruptio verſantur circa idem ſubiectum, vt communiter tradunt Philoſophi: ſed ſubiectum, quod manet tranſacta corruptione, eſt compoſitum ex materia, & forma corporeitatis, quæ præexiſtebat ad corruptionem: ergo generatio ſubſtantialis recipitur in materia, mediante forma corporeitatis. Probatur minor: nam corpus Chriſti Domini fuit idem poſt mortem eius ac antea erat; vnde verificabatur: *Hoc corpus fuit natum de Virgine*: conſtat autem, quod nequit ſaluari identitas corporis abſque eadem forma corporeitatis: ergo poſt corruptionem compoſiti manet in materia prima eadem forma corporeitatis, quæ præexiſtebat.

Reſpondetur negando minorem, cuius probationi occurrit Angel. Doct. 1. *p. q.* 50. *art.* 5. his verbis: *Dicendum, quod hoc, quod dico ſimpliciter*

pliciter, potest accipi dupliciter. Vno modo secundum quod simpliciter idem est, quod absolutè: sicut simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur vt Philosophus dicit 2. Topicorum. Et hoc modo corpus Christi viuum, & mortuum simpliciter fuit idem numero: dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter; quia est supposito idem. Corpus autem Christi viuum, & mortuum fuit supposito idem: quia non habuit aliam hypostasim viuum, & mortuum præter hypostasim verbi Dei, vt supra dictum est. Alio modo simpliciter idem est, quod omnino, vel totaliter: & sic corpus Christi mortuum, & viuum non fuit simpliciter idem numero, quia non fuit totaliter idem cum vita sit aliquid de essentia corporis viuentis: est enim prædicatum essentiale non accidentale. Vnde consequens est, quod corpus, quod desinit esse viuum, non totaliter idem remaneat. Itaque, vt absolutè verificetur, quod illud sacrum cadauer erat corpus Christi natum de Virgine, sufficit triplex identitas, quæ in eo reperiebatur, nimirum identitas materiæ primæ hypostasis, & existentiæ; hæc quippè semper fuerunt eadem realiter; quamvis forma tribuens gradum corporis non fuerit eadem. Videatur Caietanus ad prædictum locum D. Thom. vbi rem hanc optime versat, & elucidat.

QVÆSTIO V.

Vtrum generatio substantialis recipiatur in composito denuò genito, an verò in solâ materia prima.

HÆc quæstio sicut & præcedens non procedit circa generationem consideratam in ratione actionis, quo pacto est re ipsa alteratio, & recipitur in composito corrumpendo; sed sumptam in esse resultantiæ, vel mutationis ad illam alterationem consecutæ. Nec inuestigamus subiectum denominationis, cui videlicet generario tribuit denominationem geniti; quod constat esse suppositum: sed subiectum inhæsionis; in quo nimirum generatio recipitur, & subiectatur. Porrò nomine *solius materiæ*, non intelligimus materiam, quæ pro aliquo instanti reali sit ab omni forma denudata: hoc enim supponimus esse impossibile ex dictis *in lib. Physic.* sed intelligimus materiam secundum quod pro aliquo priori præcedit formam substantialem; ita quod generatio non afficiat materiam, & formam simul sumptas, sed solam entitatem materiæ.

§. I.

Sententia Ariſtot. & D. Thom. ſtabilitur.

42 DIcendum eſt generationem ſubſtantialem non ſubiectari in compoſito denuò genito, ſed in ſola materia prima. Hanc apertè docent Ariſtot. & D. Thom. locis ſtatim referendis: quos ſequuntur Capreolus *in 2. diſt. 1. q. 2. art. 1.* Caiet. 3. *p. q. 35. art. 5.* Flandria 7. *Metaph. qu. 1. art. 4.* Soncinas *ibidem quæſt. 22.* Zanard. 5. *Phyſic. lect. 2.* & alij plures Thomiſtæ. Quibus etiam adhærent B. Albert. *in hoc. lib. tract. 2.* Suarez *diſp. 34. Metaph. ſect. 7.* Rubio *tractatu 1. quæſt. 4.* addens hanc eſſe communem Philoſophorum ſententiam.

Probatur primo ex Ariſtot. qui (vt alia eius teſtimonia omittamus) illam aperte tradit *in hoc lib. cap. 4. textu 24.* his verbis: *Porrò ſubiectum ortus, & interitus ſuſceptiuum, maximè quidem, ac propriè materies eſt.* Quæ ſic elucidat D. Thom. *Dicit, quod hyle, id eſt, prima materia eſt maximè proprium ſubiectum ſuſceptibile generationis, & corruptionis.* Idem tradit ipſe Angelicus Præceptor *in 2. diſt. 12. quæſt. 1. art. 1. ad 2.* vbi inquit: *Sicut in 1. de generatione dicitur; materia eſt immediatè ſubiectum generationis, & corruptionis.* Et *quæſt. 3. de potentia art. 3. ad 4.* ait: *Dicendum, quod in generatione eſt & mutatio, & relatio, quâ refertur genitum ad generans: ratione ergo mutationis non habet pro ſubiecto ipſum generatum, ſed eius materiam, ſed ratione relationis habet ſubiectum ipſum generatum.* Quod etiam docet *1. p. q. 45. art. 2. ad 2.* & in aliis locis.

Nec refert, ſi cum M. Bañez reſpondeas prædicta teſtimonia intelligenda eſſe de ſubiecto mutationis, & exercitij; non verò de ſubiecto informationis: licet enim generatio recipiatur in compoſito, munus tamen mutationis circa ſolam materiam exercet: quia hæc ſola tranſmutatur per generationem, & in hoc ſenſu dicitur ſubiectum illius. ¶ Non, inquam refert: quia in mutatione idem eſt informationis, & immutationis ſubiectum, ſiquidem nullum aliud ſubiectum immutat, niſi illud, in quo recipitur, & quod per ipſam actuatur; ſecundum illud Philoſophi 5. *Phyſic. text. 12. Quoniam cui ineſt, illud mutatur*: ergo ſi reſpectu generationis materia eſt ſubiectum mutationis, ſeu exercitij, etiam debet eſſe ſubiectum informationis. Deinde D. Thom. *in loco cit. ex 2. ſentent.* aſſerit materiam eſſe ſubiectum mutationis, ſicut compoſitum relationis: conſtat autem, quod compoſitum eſt ſubiectum relationis quoad inhærentiam: ergo materia eſt ſubiectum mutationis non ſolum quoad denominationem, ſed etiam quoad informationem alias comparatio, & diſtinctio, quam D. Thom. intendit inter generationem & relationem, nulla eſſet. Tandem S. Doctor aſſerit materiam eſſe ſubiectum *immediatum*, & *maximè proprium* generationis: atque ideo ita apertè noſtræ ſuffragatur ſententiæ, vt nullam fere expoſitionem admittat, niſi violentam. Vel dicant Aduerſarij quibus aliis verbis potuit magis

magis exprimi subiectum informationis ? Planè subiectum maximè proprium alicuius modi, vel formæ est, quod hæc recipit, & informatur per ea: vnde si generatio reciperetur in composito; istud & non materia esset subiectum maximè proprium illius: quod tamen directè contradicit menti & verbis D. Thomæ.

43 Secundò probatur conclusio ratione ex eisdem testimoniis desumpta: quoniam via ad terminum, & acquisitio formæ debent recipi in subiecto, in quo recipitur terminus, & forma acquisita; alias subiectum absque via, & acquisitione formam compararet, quod repugnat: sed generatio substantialis est via ad formam, & acquisitio illius; forma verò non recipitur nisi in sola materia: ergo generatio substantialis recipitur immediatè in materia, & non in composito denuo genito. ¶ Confirmatur: nam eductio formæ debet recipi in subiecto eiusdem, vt patet tum inductiuè; siquidem alteratio, augmentatio, & motus localis, quæ sunt eductiones qualitatis, quantitatis, & vbicationis, recipiuntur in substantia completa, quia hæc est subiectum alterabile, augmentabile, & mobile localiter, seu quod recipit qualitatem, quantitatem, & vbi. Tum ratione: quia repugnat eductionem esse in subiecto ex quo non educitur forma; vel non esse in illo, ex quo forma educenda est. Constat autem generationem substantialem esse eductionem formæ substantialis, & hanc recipi non in composito, sed in sola materia prima: ergo generatio non in composito, sed in materia debet subiectari.

44 Vltimo suadetur assertio: quia generatio substantialis, vt mutatio est, in eo debet esse tanquam in subiecto informationis, quod vtrique mutationis termino subijcitur: sed subiectum immediatum vtriusque termini huius mutationis, nempè priuationis, & formæ, est sola materia prima; non verò compositum denuò genitum; cum hoc nunquam fuerit sub priuatione formæ, vt ex se liquet: ergo materia, & non compositum est immediatum; ac proprium subiectum generationis non solum quoad denominationem; sed etiam quantum ad informationem. Maior suadetur, tum quia est expressa Philosophi 8. *Metaph. text.* 5. cuius mentem aperit D. Thom. *lect.* 1. his verbis: *Dicit quod necesse est in substantiis sensibilibus ponere materiam quasi substantiam, & subiectum: nam cum sit quædam mutatio secundum substantiam, scilicet generatio, & corruptio oportet esse aliquod commune subiectum, quod subiiciatur contrariis mutationis secundum generationem, & corruptionem, & hoc positis terminis, qui sunt forma, & priuatio: ita scilicet, vt quandoque sit actu per formam, & quandoque sit subiectum priuationis illius formæ.* Tum etiam inductione, quia subiectum motus localis quoad inhærentiam est illud, quod nunc est hic, & postea alibi: subiectum augmentationis est illud, quod nunc habet tantam quantitatem, & postea maiorem: & subiectum alterationis est illud, quod nunc v. g. infirmatur, & postea est sanum: ergo pariter subiectũ generationis substantialis quoad infor-

informationem est illud, quod nunc habet priuationem formæ, & postea formam.

§. II.

Enodantur argumenta contraria.

45 M. Bañez *in hoc lib. cap. 4. quæst. 11.* defendit quod generatio substantialis recipitur immediatè in composito denuo genito. Et potest suaderi primo: quia generatio debet immediatè recipi in eo subiecto cui impertitur suam intrinsecam denominationem; siquidem denominatio intrinseca non distinguitur à forma denominante: hac quippè ratione legitime deducitur albedinem subiectari in corpore; quia illud denominat intrinsecè album: at generatio substantialis communicat denominationem intrinsecam *geniti* composito denuo genito; non verò materiæ primæ, cum hæc sit ingenerabilis: ergo generatio non recipitur immediatè in sola materia, sed in composito denuo genito.

Respondetur negando minorem quoad primam partem: quia compositum non denominatur intrinsecè genitum à generatione tanquam à forma denominante; sed solum extrinsecè, & in genere causæ efficientis. Prædicta autem denominatio, si est intrinseca composito, prouenit à propria ipsius entitate, & à forma, per quam intrinsecè constituitur: generatio verò solum se habet tanquam connotatum requisitum, vt forma queat prædictam denominationem conferre. Portò generatio denominat intrinsecè materiam primam in qua immediatè recipitur; non denominatione *genitæ*, sed mutatæ: quia materia prima non producitur per generationem, sed mutatur.

46 Secundo arguitur: quoniam nullum accidens recipitur immediatè in sola materia, sed in toto: at generatio est entitatiue accidens; licet dicatur extrinsecè substantialis per respectum ad substantiam, quam attingit: ergo generatio non subiectatur in materia, sed in composito denuò genito. Suadetur minor; tum quia potentia, & actus illi directè correspondens debent esse in eodem ordine substantiæ, vel accidentis, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 77. *art.* 1. sed potentia generatiua in creatis est entitatiue accidens: ergo & generatio, quæ est actus illi directè correspondens. Tum etiam, quia generatio est mutatio, vel motus: hic autem ob suam imperfectionem nequit collocari in prædicamento substantiæ; sed est postprædicamentum: ergo &c.

Respondetur negando minorem intellectam de generatione sumpta in esse resultantiæ, vel simplicis mutationis, vt modo illam consideramus: sic enim accepta non est actio nec accidens; sed modus quidam substantialis spectans reductiuè ad prædicamentum substantiæ. Ad primam autem probationem in contrarium dicendum est maximam illam intelligendam fore de potentia, & actu per se primo inspecto ordine executionis; non verò de termino secundario, & resultantia illius, qualiter se habet generatio vt distincta ab alteratione:

alias

alias accidens neque in virtute substantiæ valeret substantiam attingere. Ad secundam respondemus solum conuincere, quod generatio non est entitas directè ponibilis in prædicamento; minime verò, quod non sit modus reductiue spectans ad prædicamentum substantiæ.

47 Arguitur tertio: nam id, quod non subsistit in se, nequit alia recipere, & sustentare: sed materia prima nullam habet ex se existentiam, aut subsistentiam: ergo nequit se sola recipere, & sustentare generationem. ¶ Confirmatur primo: quia id, quod solum habet esse vt *quo*, non valet esse subiectum *quod*: at materia solum habet esse vt *quo*: ergo non est subiectum *quod* generationis; sed id composito genito reseruandum est. ¶ Confirmatur secundo: quoniam materia prima eundem ordinem seruat in recipiendo & respiciendo suos actus; siquidem eos respicit, vt recipiat: sed prius respicit formam, quam generationem: ergo non recipit immediatè generationem, sed mediante forma, & consequenter generatio subiectabitur in materia informata, atque ideo in toto composito. Minor constat: quia potentia prius respicit actum specificatiuum, quam non specificantem: constat autem materiam primam non recipere speciem à generatione, sed à forma: ergo prius respicit istam quam illam.

Ad argumentum, & primam confirmationem simul respondemus, quod sicut materia prima licet nullam habeat ex se existentiam, vel subsistentiam neque sit vt *quod* sed solum vt *quo*, queit esse subiectum *quod*, siue adæquatum formæ substantialis; quia est pura, & prima potentia in genere substantiæ, & existit per esse totius compositi: ita potest recipere immediatè generationem: neque enim quoad hoc rationabilis disparitas designari valet, vt consideranti constabit.

Ad secundam confirmationem dicendum est materiam primam respicere primario ordine intentionis formam substantialem tanquam actum receptibilem vt *quod*; prius tamen ordine executionis respicere generationem tanquam actum *quo*, & vialem, medio quo acquirit formam substantialem. Ordo autem recipiendi est iuxta ordinem respiciendi in executione; siquidem receptio est executio prædictæ respicientiæ. Quamobrem materia prima prius, & immediatius debet recipere generationem, quam formam genitam. Quod potest declarari exemplo vnionis inter materiam, & formam: nam licet materia prius, hoc est magis intendat formam, quam vnionem, & ab illa mutuetur speciem; hanc tamen prius recipit, eò quod est causalitas, per quam in facto esse substernitur formæ, & eam sibi annectit.

48 Sed replicabis: nam materia prius in executione debet habere *esse* simpliciter, quam *esse* secundum quid; siquidem illud supponitur ad istud, & non è conuerso: sed forma substantialis communicat *esse* simpliciter; generatio verò solum potest confer-

re *esse* secundum quid: ergo materia prius in executione respicit, & recipit formam, quam generationem. ¶ Respodetur, quod si loquamur de *esse* existentiæ; generatio nullam materiæ communicat existentiam: nam cum sit modus substantialis, valet optimè existere per existentiam compositi: & in hoc sensu negandum est suppositum: si autem sermo sit de *esse* entitatis, seu essentiæ, nullum inconueniens est, quod materia prius recipiat entitatem diminutam generationis, quam formam substantialem: vtraque enim entitas spectat ad idem genus substantiæ, & aliás generatio est via ad formam, & eductio illius: quo circa debet illam in executione præcedere, vt videre etiam possumus in vnione substantiali, & magis constabit ex dicendis *quæst. sequenti.*

49 Vltimo arguitur: quia non repugnat, quod terminus productus per aliquam actionem sit subiectum illius: vt enim exerceat vtrumque munus, sufficit, quod sit prius actione in genere causæ materialis, & posterius ea in genere causæ efficientis: in quo planè nulla datur implicatio, vt patet in corpore Christi Domini in Eucharistia, quod recipit & sustentat actionem conuersiuam, per quam ibi effectiuè ponitur: ergo compositum productum per generationem potest esse subiectum illius; & cum alias habeat omnes conditiones, vt sit subiectum, vt pote gaudens propria existentia, & subsistentia; nulla est ratio, quare actu non recipiat, & sustentet immediatè generationem.

Respondetur, quod actio, quæ habet rationem motus, nequit recipi in termino à se producto, sed in mobili, eo quod motus debet præcedere suum terminum non solum in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ materialis; alias non esset actus entis in potentia qua vt in potentia ad terminum, sed actus entis omnino perfecti, & in actu. Quapropter (quidquid sit de veritate antecedentis quantum ad actiones superioris ordinis, & quæ non sunt motus, qualis est conuersio) cum generatio, etiam vt distinguitur ab alteratione, sit motus, seu mutatio Physica, nequit recipi in composito à se producto; sed debet subiectari in sola materia prima, quæ per generationem mutatur, & formam acquirit.

QVÆSTIO VI.

An generatio recipiatur immediatè in materia prima nuda ab omni forma accidentali.

ALij aliter quæstionem hanc proponere solent, videlicet vtrum aliquod accidens recipiatur immediatè in materia prima? Sed vterque titulus in idem redit: nam si accidentia non recipiuntur in sola materia, sed in toto composito; euidens est, quod materia non substat generationi vt affecta quantitate, & aliis dispositionibus accidentalibus, sed nudè sumpta. Sicut è conuerso, si accidentia possunt recipi immediatè in materia, certum

certum videtur, quod hæc non recipit generationem, nisi vt affecta prædictis accidentibus: sunt quippe dispositiones ad ipsam generationem.

§. I.

Vera D. Thom. sententia auctoritate, atque ratione fulcitur.

50 Dicendum est nullum accidens recipi immediatè in materia prima; sed in toto composito: ac proinde generationem non subiectari in materia prima vt affecta immediatè dispositionibus accidentalibus, sed in eadem nudè sumpta. Posterior assertionis pars euidenter colligitur ex prima, vt supra obseruauimus: quocirca satis erit veritatem huius ostendere, vt illa liquido appareat. Docet autem nostram assertionem Philosophus *in hoc lib. text.* 24. vbi D. Th. *lect.* 10. *&* 8. *Metaphys.* vbi D.Th. *lect* 4. Quæ testimonia ideo non expendimus, vt alia Angelici Præceptoris proponamus, in quibus nostram sententiam ita aperte tuetur, vt nullam in contrarium expositionem admittat. Etenim 1. *p. quæst.* 76. *art.* 6. inquit: *Impossibile est, quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter quamcumque formam substantialem, & materiam suam.* Et *quæst.* 77. *art.*6. ait: *Impossibile est, quod quæcumque dispositiones accidentales præexistant in materia ante formam substantialem. Quod in quæst. vnica de Anima art.*9. sic ostendit: *Inter omnia esse est illud, quod immediatius, & intimius conuenit rebus, vt dicitur in lib. de causis. Vnde oportet, quod cùm materia habeat esse actu per formam, quod forma dans esse materiæ ante omnia intelligatur aduenire materiæ, & immediatiùs sibi in esse. Est autem proprium formæ substantialis, quod det materiæ esse simpliciter: ipsa enim est, per quam res est id ipsum, quod est: non autem per formas accidentales habet esse simpliciter, sed secundum quid, puta esse magnum, vel coloratum.* Idem repetit in aliis pluribus locis, quæ passim lector offendet. Vnde hanc sententiam sequuntur S. Doctoris discipuli, Capreolus *in* 2.*d.*13.*qu.*1.*&* *d.*18.*q.*1. Cajet. 1.*p.q.*76.*a.*6.*&* *de ente, & essentia cap.* 7. *quæst.* 16. Ferrara 4. *contra Gentes, cap.* 81. Flandria 7. *Metaph. quæst.* 17. *art* 10. Soncinas ibidem *quæst.* 15.*&* 17. *&* 18. Soto 1. *Physic. quæst.* 6. & alij innumeri. Quibus etiam consentiunt ex aliis. Albert. *in summa de homine, quæst. An nutritio fiat ex simili, quæst.* 1. Durand. *in* 1. *distinct.* 8. *parte* 2. *quæstion.* 4. Fonseca 5. *Metaphysic. capit.* 28. *quæstion.* 20. *section.* 2. & alij plures.

51 Fundamentum præcipuum huius assertionis desumitur ex D. Thom. *loco citat. ex* 1. *p. quæst.* 76. quod potest ad hanc formam reduci: nam materia prima prius est in potentia ad formam substantialem, quam ad accidentalem: ergo prius, ac immediatius recipit illam, quam istam. Consequentia liquet: nam quoties subiectum est in potentia ad formas, & respicit illas ordine quodam, prius, ac immediatius

debet recipere eam, quam primò respicit, & ad quam prius est in potentia. Antecedens autem ostenditur: quoniam cùm specificatio sit valde intima cuiuis rei, prius subiectum debet esse in potentia ad actum, à quo recipit speciem, quam ad alios: materia autem recipit speciem à forma substantiali; & non ab accidentibus: ergo prius est in potentia ad formam substantialem, quam ad accidentia.

Respondebis materiam primam esse prius ordine intentionis in potentia ad formam substantialem, quam ad accidentalem: sed quia id, quod est prius ordine intentionis, debet esse posterius ordine executionis; ideo materia debet prius in executione recipere formas accidentales, per quas disponitur ad formam substantialem, quam ipsam formam, ad quam eius intentio vltimò collimat. Quæ solutio firmari potest exemplo: quandoquidem materia prius hoc est magis, & intimius respicit formam substantialem, quam generationem, & tamen in executione prius recipit istam, quam illam.

52 Sed contra: nam esse simpliciter, & substantiale debet non solum in intentione, sed etiam in executione præsupponi ad esse accidentale, & secundum quid: sicut enim accidens supponit in executione substantiam, eique innititur; ita esse secundum quid, & accidentale debet in executione supponere esse simpliciter, & substantiale: ergo forma dans esse simpliciter, ac substantiale debet esse prior in executione, quam forma dans esse accidentale, & secundum quid: at sic est, quod materia prima in executione respicit vnam, & alteram formam secundum ordinem, quem ipsæ in executione seruant inter se: ergo prius in executione respicit, & recipit formam substantialem, quam accidentalem. ¶ Confirmatur primo: nam materia prius debet recipere actum primum, quam actum secundum, & actum dantem existentiam, quam actum inexistentem: constat autem, quod forma substantialis est actus primus, & dans existentiam; forma vero accidentalis est actus secundus, & inexistens: ergo materia prius respicit formam substantialem, quam accidentalem.

Confirmatur secundo: nam actus secundum quid petit recipi in subiecto, quod sit in potentia secundum quid; sicut actus simpliciter in subiecto, quod sit in potentia simpliciter: sed materia est simpliciter in potentia, cùm sit pura potentia; compositum autem substantiale solùm est in potentia secundum quid, cùm sit simpliciter in actu per formam: ergo forma substantialis, quæ est actus simpliciter, debet recipi in sola materia; forma vero accidentalis quæ est actus secundum quid, non debet recipi in sola materia, sed in toto composito: atque ideo materia prima nec in intentione, nec in executione respicit formam accidentalem, nisi mediante forma substantiali, & actuata per illam. Videatur Caietanus *loco citato ex prima parte*, vbi totam hanc rationem

nem

nem optime illustrat, & vrget.

53 Illa autem, quibus solutio hactenus impugnata fidit, nihil subsidij illi conferunt: nam id, quod est prius in intentione, solum debet esse posterius simpliciter in executione respectu mediorum, per quorum influxum effectiuum ipsa executio exercetur: sed non oportet, quod sit posterius omnibus illis, quæ in intentione præcedit alias proprietates compositi, quæ ad ipsum in intentione sequuntur, deberent illud in executione præire, quod est absurdum: visibilitas enim hominem supponit tam in intentione, quam in executione, vt ex se liquet. Accidentia vero quæ inueniuntur in instanti generationis, non influunt effectiue in formam: vnde non oportet, quod illam in executione præcedant; sed sunt simpliciter posteriora quam illa propter ea, quæ diximus, & dicemus. Illud autem exemplum generationis nihil conuincit: hæc enim non affert vllam existentiam propriam; sed coexistit per esse totius. Vnde non confert materiæ esse secundum quid antecedenter ad formam substantialem; sed potiùs per modum exercitij, & applicationis communicat illi *esse* simpliciter, videlicet esse formæ substantialis. Quamobrem generatio non ponit in numero cum forma; sed in respectu quem materia dicit ad formam, imbibitur respectus ad generationem tanquam ad viam, per quam forma ipsa acquirenda est. Forma vero accidentalis pertinet ad diuersum prædicamentum, & affert ex se proprium *esse* secundum quid, nempe inexistentiam: quapropter si semel reciperetur immediatè in materia, non posset non impedire, quod forma substantialis communicaret *esse* simpliciter primum. Et ideo materia debet diuerso respectu respicere formam substantialem, & accidentalem; illam quidem primariò, hanc vero secundario non solùm in intentione, sed etiam in executione, vt constat ex dictis.

§. II.

Expenditur aliud fundamentum veræ sententiæ.

54 SEcundo suadetur eadem sententia: quia illud debet esse subiectum *quod* accidentium, quod existit, & subsistit vt *quod*: sed compositum substantiale existit, & subsistit vt *quod*; non vero materia prima: ergo illud, & non hæc debet esse subiectum *quod* accidentium, & consequenter generatio recipietur in materia prima nuda ab omni forma accidentali. Consequentia liquet. Major etiam est certa: quia sicut ad sustentandum vtcumque accidentia requiritur esse vtcumque, ita ad sustentandum ea vt *quod* requiritur esse, & subsistere vt *quod*. Minor autem quoad secundam partem constat ex dictis *in libr. Physic. disputat. 3. quæst. 4.* vbi denegauimus materiæ primæ omnem existentiam propriam tàm totalem, quàm partialem.

Præ

Præterquam quod, etsi materia gauderet aliqua existentia partiali, adhuc non posset recipere, & sustentare accidentia, tùm quia subiectum recipiens accidentia debet habere *esse* simpliciter, & vt quod; sicut ea simpliciter recipit, & sustentat vt *quod*: existentia autem partialis, si competeret materiæ, solùm esset existentia secundum quid, & cum addito nempe partialis: ergo esset insufficiens ad hoc, quod materia posset in se recipere, ac sustentare accidentia. Tum etiam, quia cùm accidens sit ens secundum quid, debet supponere ens simpliciter, & ei inniti: at materia etiam affecta existentia partiali non esset ens simpliciter, sed ens partiale, ac dimidium entis: ergo esset impotens ad recipiendum, & sustentandum accidentia.

55 Dices: forma substantialis est majoris entitatis, & vt sic dicamus, majoris ponderis, quam forma accidentalis: & nihilominus materia queit recipere immediatè ac sustentare formam substantialem: ergo à fortiori poterit per suam entitatem recipere immediatè ac sustentare accidentia. ¶ Respondetur negando minorem quoad secundam partem: nam proprie loquendo, materia non sustentat formam substantialem, sed potius vice versa forma est ratio, per quam materia consistit in rerum natura. Hoc enim inter alia reperitur discrimen inter formam substantialem, & accidentalem, quod illa non recipit *esse* à subiecto, neque in eo supponit aliquam actualitatem: quocirca non sustentatur ab illo, sed potius ei confert primam actualitatem, ratione cuius ambo existunt, & subsistunt in composito. Forma vero accidentalis mutuatur esse à subiecto, eò quod habet esse debilissimum, & secundum quid, atque ideo proprie sustentatur ab eo. Præsertim, quod forma substantialis est actus primus; accidentalis vero est actus secundus: actus autem primus non debet in subiecto vllum esse, vel actualitatem supponere; aliàs jam non esset actus primus, vt ex se liquet: actus vero secundus nequit non supponere actum, & primum *esse*. Quamobrem materia prima, quæ nullum ex se habet esse, vel actum, recipit immediate formam substantialem, quamvis illam non sustentet; formam vero accidentalem nec recipere, nec sustentare potest.

56 Per quod facile euanescit aliquorum euasio, qui concedunt materiam primam non recipere accidentia ante formam substantialem; adstruunt tamen posse, habita forma, & illa connotata, recipere immediate accidentia eo plane modo, quo anima rationalis recipit immediatè voluntatem, connotando tamen, quod prius receperit intellectum. ¶ Nam contra est: quia materia, etsi connotet formam substantialem, adhuc tamen non existit, & subsistit vt *quod*; sed solùm vt *quo*: at subiectum recipiens immediatè vt *quod* accidentia debet esse, & subsistere vt *quod*: ergo materia, vt connotans formam, nequit accidentia immediatè recipere. Tum etiam, quia prædicta connotatio non communicat materiæ aliquam actua-

litatem.

litatem distinctam à forma substantiali, sed adhuc ex vi illius materia est in recto pura potentia connotans præcisè in obliquo formam seu actum; sed subjectum immediatum accidentium debet includere in recto, & vt *quod* actualitatem, & *esse* simpliciter: ergo sola materia connotans formam substantialem nequit esse subjectum immediatum accidentium.

Confirmatur quoniam illud est subjectum *quod* accidentium, quod operatur vt *quod* per ipsa accidentia; siquidem operatio illi debet sicut principio *quod* attribui, quod est subjectum *quod* tùm ipsius operationis, tùm potentiæ elicientis illam: sed principium operans vt *quod* non est sola materia, quantumlibet connotet formam; sed est suppositum, seu compositum ex materia & forma coalescens: ergo subjectum *quod*, & immediatum accidentium non est materia prima, sed compositum substantiale. Minor liquet: nam cùm operari sequatur ad esse; illud est operans vt *quod*, quod existit, & subsistit vt *quod*: hoc autem non competit materiæ primæ, sed composito substantiali: ergo, &c. Ad hæc: potentiæ vitales, vt sunt omnes sensus interni, & externi, nequeunt recipi in sola materia prima: nam cùm sint formæ vitales, debent inesse primo principio intrinseco vitæ, quod est anima: est enim de ratione vitæ in creatis conjunctio inhæsionis cum suo principio: ergo etiam quantitas, quæ est subjectum *quo* prædictarum potentiarum debet recipi in conjuncto ex materia, & anima; & non in sola materia. Patet consequentia: quia implicat quod subjectum *quo*, siue ratio recipiendi non sit in subjecto, in quo forma recipienda est: ergo si quantitas est subjectum *quo* potentiarum vitalium, & eæ recipiuntur immediatè non in materia, sed in composito; opus est, quod quantitas in eodem composito recipiatur, & non in sola materia.

§. III.

Satisfit rationibus opinionis aduersæ.

57 OPpositam sententiam amplexi sunt Auerr. *in lib. de substantia orbis, & 1. Physic. com. 66.* Simplicius *ibid. text. 69.* Philopon *in hoc lib. text. 33. & 40.* Aureolus, Ægidius, Gregorius, & alij antiqui; iisque posteà subscripsere Suarez *disp. 14. Metaph. sect. 3.* & alij plures ex Societate. Qui contendunt Arist. in suam trahere opinionem: *primò* nam 7. *Metaph. textu.* 8. satis expressit solam materiam esse subjectum quantitatis. *Secundò*: quia 3. *Physic.* docet quantitatem esse proprietatem materiæ: proprietas autem afficit immediatè rem, cuius est proprietas. *Tertiò* quoniam 2. *de Generat. textu. 6. & 7.* tradit, quod accidentia, in quibus genitum conuenit cum corrupto, manent in genito: quod minimè posset verificari, si inhærerent immediatè composito; hoc quippè corrumpitur. ¶ Confirmatur ex D. Th. 1. *p. q. 3. art. 2.* vbi inquit: *Quantitas dimensiua, quæ primò inhæret materiæ.*

Et 3. *p. q.* 9. *art.* 3. ait: *Per calorem disponitur materia ad recipiendam formam ignis, qua tamen adueniente, calor non ceſſat, ſed remanet.*

Reſpondetur ad primum teſtimonium, mirum eſſe, quod viri docti eo vtantur in ſui fauorem: continet enim objectionem Philoſophorum antiquorum, quam ibi inſerit, ac diluit Ariſtot. vt apertè deprehendet, qui textum legerit. Vnde D. Thom. exponens Philoſophum ſcripſit: *Decepit autem antiquos Philoſophos hanc rationem inducentes ignorantia formæ ſubſtantialis.* Et poſt pauca addit: *Totum ſubjectum, quod nos ponimus ex materia, & forma componi, ipſi dicebant eſſe primam materiam, vt aërem, aut aquam, aut aliquid huiuſmodi; formas autem dicebant eſſe, quæ nos dicimus accidentia, vt quantitates, & qualitates, quorum ſubjectum proprium* (perpende verba) *non eſt materia prima, ſed ſubſtantia compoſita, quæ eſt ſubſtantia in actu.*

Ad ſecundam reſpondetur quantitatem dici proprietatem materiæ, vel quia ad illam principaliter conſequitur, ſicut qualitas ad formam; vel quia habet magnam conuenientiam cum materia: nam ſicut hæc, ita & illa non eſt actiua, ſed paſſiua, ac receptiua. Hinc tamen non concluditur, quod quantitas recipiatur in ſola materia: ſicut neque ex eo, quod qualitas, v. g. riſibilitas ſit proprietas animæ, ſequitur, quod ſoli animæ inhæreat. Sed ſolùm infertur, quod ſicut qualitas conuenit compoſito, & in eo ſubjectatur ratione formæ: ita quantitas competat, compoſito, in illoque recipiatur ratione materiæ. ¶ Tertium teſtimonium ſolùm probat, quod accidentia, in quibus genitum, & corruptum conueniunt, maneant eadem, non quidem numero, ſed ſpecie: nam quæ erant in corrupto, pereunt ad deſtructionem illius; attamen generantur alia eiuſdem rationis, quæ conſequuntur ad formam genitam.

Ad confirmationem deſumptam ex teſtimoniis D. Thom. reſpondetur, quod in primo ſolùm intendit S. Doct. quantitatem inhærere materiæ priuſquam alia accidentia, non quidem tanquam ſubjecto *quod*, & immediato; ſed ſicut ſubjecto *quo*, & mediato: proximè verò, & tanquam ſubjecto adæquato inſunt dumtaxat toti compoſito ſubſtantiali. In ſecundo autem ſolùm docet remanere in genito eundem calorem in ſpecie cum calore, qui præexiſtebat in corrupto; non tamen eundem numero. Quæ eſt expreſſa doctrina S. Doctoris tùm ibi, tùm loco citato *ex* 2. *de Generat. textu.* 6. quem proximè expoſuimus, vbi inquit: *Dicendum, quod illud accidens, ſiue illa qualitas non remanet eadem numero, ſed eadem ſpecie*, &c.

58 Deinde arguitur ratione, primo: quoniam quantitas inhæret immediatè materiæ primæ, & ſupponitur ad generationem ſubſtantialem: ergo idem dicendum eſt de aliis accidentibus, quæ comitantur quantitatem, & ſunt diſpoſitiones ad generationem. Conſequentia conſtat à paritate. Antecedens autem ſuadetur, tùm quia generatio recipitur in materia, quatenus

quatenus ista præsupponitur facta *hæc*, & indiuidua: sed hæcceitas, ac indiuiduatio materiæ fit per quãtitatem: ergo quantitas inhæret immediatè materiæ, & supponitur ad generationem substantialem. Tum etiam, quia generatio est quid extensum, vtpotè actus correspondens potentiæ extensæ, nempè generatiuæ: ergo generatio recipitur in materia extensa: sed materia non extenditur nisi per quantitatem: hæc igitur inest proximè materiæ, & præcedit generationem. Tum denique: quoniam prius est materiam esse diuisam in diuersas portiones, quam subesse distinctis generationibus; alias plures generationes reciperentur in eadem numero materia, quod est absurdum: atqui materia ex se non est vna, nec plures; sed diuiditur per quantitatem, quæ est prima radix cujuscumque diuisionis materialis: ergo prius est, quod materia afficiatur quantitate, quam quod recipiat generationem; ac proindè quantitas inhæret immediatè materiæ primæ.

Respondetur negando antecedens: ad cuius primam probationem dicendum est materiam primam indiuiduari quidem per quantitatem, at non vt habitam, & exercitè inhærentem; sed vt præhabitam & materiæ debitam. Porrò quantitas vt præhabita, & præcontenta, quo pacto ad indiuiduationem desideratur, non distinguitur realiter à materia; sed est ipsa materia, quatenus ratione dispositionum antecedentium sigillatur ad peculiarem formam, & connotat ac respicit specialem quantitatem, vt tradunt N. Salmant. *tract. 1. disp. 1. dub. 3.* Vnde ad hoc, vt materia recipiens generationem sit *hæc*, & indiuidua, non est necessarium, quod pro illo priori habeat exercitè quãtitatem, sed sufficit, quod sigilletur ad illam. Quod ex professo ostendemus *disp. 14. q. 3.*

Ad secundam dicimus tàm materiam, quàm generationem habere in illo instanti reali extensionem à quantitate: cæterùm pro priori ad formam substantialem, nec materia, nec generatio habet vllam formalem, & actualem extensionem; sed præcisè explicant id, quod important ex se, & intra proprium genus, nempè materia conceptum puræ potentiæ, & subjecti; generatio verò conceptum resultantiæ, & viæ ad formam substantialem. Neque generatio est, vt hæc objectio innuit, actus directè, & immediatè correspondens potentiæ generatiuæ: sed est resultantia, aut simplex mutatio consecuta ad præcedentem alterationem; hæc verò alteratio est actus proprius, & immediatus potentiæ generatiuæ, vt suprà statuimus *quæst. 2.* ¶ Ad tertiam constat ex dictis ad primam: nam licet quantitas desideretur ad diuisionem materiæ; attamen non oportet, quod materia pro priori ad generationem habeat exercitè quantitatem, sed sufficit, quod illam præcontineat: quantitas quippè non est principium distinctionis substantialis materialis vt habita, sed vt præhabita.

59 Secundò arguitur: quoniam accidentia, quæ disponunt ad for-

mam ſubſtantialem generandam, debent afficere immediatè illud ſubjectum, in quo forma recipienda eſt; aliàs non poterunt illud diſponere, nec forma introducetur in ſubjecto diſpoſito, quod eſt abſurdum: at forma ſubſtantialis non recipitur in toto compoſito, ſed in ſola materia prima, vt ex ſe conſtat: ergo prædicta accidentia non in toto compoſito, ſed in ſola materia debent ſubjectari immediatè.

Confirmatur: nam vel diſpoſitiones introductæ ante inſtans generationis pereunt in illo; vel non? ſi non pereunt: ergo recipiuntur in ſola materia: ſi enim ſubjectarentur in compoſito, non poſſent non corrumpi ad corruptionem compoſiti præexiſtentis. Si pereunt: ergo non manet materia magis diſpoſita, ac ſi nunquam illæ diſpoſitiones præceſſiſſent: quandoquidem implicat manere effectum formalem, deſtructa forma. Ex quo vlteriùs ſequeretur primò naturam fruſtrà toto tempore antecedenti elaboraſſe v. g. in organizatione hominis; ſiquidem peracta organizatio periret in inſtanti generationis, & alia denuò produceretur. Fieret ſecundò prædictas diſpoſitiones corrumpi ſine corrumpente; vtpote quæ nullam habent oppoſitionem cum forma genita. Fieret tertiò, quod huiuſmodi accidentia perirent in illo inſtanti, in quo ſortiri debent ſuum complementum, nempè in inſtanti generationis, quod eſt vltimum reſpectu motus alterationis, per quem illa accidentia fiunt: hoc autem eſt abſurdum; quandoquidem res, quæ per motum producitur, recipit ſuam vltimam perfectionem in inſtanti terminatiuo motus.

Reſpondetur ad argumentum negando majorem: nam vt materia ſufficienter diſponatur ad formam ſubſtantialem, ſufficiunt diſpoſitiones tùm concomitantes, illæ videlicet, quæ recipiuntur in compoſito denuò genito, vt *quæſt. ſequenti* declarabimus: tùm antecedentes, nimirùm eæ, quæ in compoſito corrumpendo immediatè anteà fuerunt. Nam licet deſinant formaliter; manent tamen virtualiter in ſigillatione materiæ ad formam generandam. Vnde materia in inſtanti generationis non eſt indifferens, aut indiſpoſita; ſed relinquitur determinata ad illam formam, pro cuius generatione, & acquiſitione prædictæ diſpoſitiones introductæ fuerunt, & ex quibus ſigillatio ortum ducit.

6o Cæterùm hæc ſigillatio, cujus vſus, & notitia plurimùm apud Thomiſtas inualuit, non arridet Franciſco Suario pluraque aduerſus eam intorquet argumenta loco infrà referendo. Illa tamen in particulari conſultò non adducimus, nec diluimus, quia procedunt ex non intelligentia dictæ ſigillationis; vel ſaltem ex ſiniſtra: vnde ſatis erat ipſius naturam breuiter, & ſimpliciter exponere, vt illius Doctoris difficultates eneruemus. Igitur prædicta ſigillatio nil aliud realiter eſt, quam ipſa entitas materiæ primæ provt connotat, quod in tempore antecedenti, & ab hoc agente potius quam ab alio, illas, & non alias diſpoſitiones ſuſceperit:

susceperit: iis quippè connotatis, & absque alia additione sigillatur ad formam, hoc est, exposcit hanc potius, quam aliam formam. Nam cùm materia sit de se potentia sufficiens, & indifferens ad omnes formas; hoc ipso quod peculiariter in ea introducantur propriæ dispositiones ad formam v. g. ignis, determinatur, & quasi obligatur magis ad formam ignis, quam ad alias: ac proindè sigillatur ad talem formam. Quamobrem prædicta sigillatio importat in recto entitatem materiæ primæ non vtcumque; sed vt redactam ad exercitium connotandi tùm dispositiones antecedentes, tùm peculiarem formam recipiendam. In obliquo autem dicit prædicta connotata: quibus variatis, nequit non prædicta sigillatio variari: quia variato obliquo, opus est variari rectum in esse recti, siue in ratione connotantis illud obliquum. Porrò causa huius sigillationis est ipsum generans, seu producens dispositiones antecedentes, ad quas illa consequitur. Hæc est natura sigillationis Thomisticæ; nec aliud mysterium, aut portentosum monstrum in se retrudit.

Ad confirmationem respondetur eligendo primam partem dilemmatis: ad cuius primam improbationem constat ex proximè dictis, qualiter ex vi dispositionum antecedentium maneat materia magis disposita, quam si prædictæ dispositiones non præcessissent, cùm relinquatur sigillata ad determinatam formam. ¶ Ad primum inconueniens, quod additur, negamus sequelam: nam frustraneum dicitur, quod non assequitur proprium finem: finis autem naturæ in introductione dispositionum antecedentium non est, quod ipsæ perseuerent in genito; cum hoc sit impossibile: sed quod ex vi illarum resultent in instanti generationis tùm forma substantialis, tùm aliæ perfectiores dispositiones, vt puta nobilior organizatio: & istum finem semper assequitur; & consequenter non frustrà laborat. ¶ Ad secundum dicimus dispositiones antecedentes non corrumpi per se, & directè, nempè ob introductionem contrarij; sed per accidens, videlicet ad corruptionem subjecti, seu compositi, in quo præexistebant. ¶ Ad vltimum respondetur, quod sicut motus alterationis antecedentis ad generationem non terminatur per vltimum, & intrinsecum mutatum esse; sed perit in illo instanti ad destructionem subjecti: sic etiam qualitates per illum motum inductæ carent ob eandem rationem vltimo complemento, aut termino intrinseco; licet permaneant virtualiter tanquam in vltimo complemento extrinseco in forma genita, atque in dispositionibus consequentibus.

61 Vltimo arguitur: quia in homine quantitas subjectatur immediatè in sola materia prima: ergo habet entitatem, & vim sufficientem ad recipiendam quantitatem: & consequenter non solùm in homine, sed etiam in aliis erit subjectum immediatum illius. Conse-

quentia constat. Antecedens autem suadetur: nam cùm anima hominis sit spiritualis, & indiuisibilis, nequit recipere accidens corporeum, extensum, & diuisibile; aliàs per ipsum redderetur extensa, & diuisibilis: ergo in homine quantitas nequit recipi in toto composito ex materia, & anima rationali; sed debet immediatè recipi in sola materia prima.

Respondetur negando antecedens, cuius probatio non premit: quia licet anima rationalis sit entitatiuè, & formaliter indiuisibilis; attamen virtualiter, & vt *quo* est diuisibilis: constituit enim gradum corporis quantitati immediatè subjectum; cùm sit vera corporis pars. Vnde potest, & debet esse subjectum *quo* quantitatis, quin ex hoc reddatur in se ipsa extensa, & diuisibilis entitatiuè; sed ad summum poterit dici diuisibilis denominatiuè, & per modum subtracti, hoc est, *substans diuisibilitati, & extensioni quantitatis*, illamque sustentans per modum principij *quo*. Et planè si hoc argumentum conuinceret, probaret etiam potentias vitales corporeas, & earum actus recipiendos fore in sola materia prima hominis; cùm sint accidentia extensa, & diuisibilia: quod quàm absurdum sit constat *ex supradictis numer. 56.* Quæ instantia malè torquet Suarium, nec se tandem valet ab ea expedire.

§. IV.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

62 EX hactenus dictis liquidò colligitur in generatione, seu corruptione substantiali fieri resolutionem vsque ad materiam primam, hoc est, nullum accidens, quod fuerit in corrupto, remanere in genito; sed spoliari materiam primam ab omnibus, quæ anteà habebat. Ratio est: quoniam destructo subjecto proprio accidentis, nequit istud permanere, tùm quia indiuiduatur ab illo: tum quia aliàs migraret de subjecto in subjectum: atqui subjectum *quod*, & proprium accidentium est non materia sola; sed compositum substantiale ex materia, & forma coalescens, vt hucusque à nobis ostensum est: ergo omnia accidentia, quæ erant in composito præexistenti, corrumpuntur ad corruptionem illius; & consequenter nullum ex illis remanet in materia compositi denuò geniti: quod est fieri resolutionem vsque ad materiam primam.

Et huic doctrinæ præluxit Aristot. *cap. de substantia* dicens: *Non ergo existentibus primis substantiis, possibile est aliquid aliorum esse.* Quam auctoritatem inducit, & illustrat D. Thomas *Opusc.* 48. *cap.* 3. his verbis: *Ablato esse indiuiduorum, impossibile est aliquid aliorum remanere, vt Philosophus dicit in libro Prædicamentorum.* Idem docet & repetit Aristoteles *in hoc libro, textu.* 23. vbi inquit: *Quando autem totum*

tum transmutatur, non manente aliquo sensibili vt subjecto eodem, &c. Vbi D. Thom. *lect.* 10. *Dicit ergo primo, quod quando est transmutatio non solum secundum passiones, sed etiam secundum totam rei substantiam, in quantum scilicet materia accipit aliam formam substantialem, ita scilicet, quod non maneat aliquod sensibile, quasi sit idem subiecto numero ens actu*, &c. Et post pauca subjungit: *Sed dubitatur, vtrum eadem passio numero, quæ sit altera pars contrarietatis, possit esse in genito, & corrupto? Dicendum ergo, quod non manet idem numero accidens; sed id, quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subiecti, recedente forma, quæ prius erat talis accidentis; & aduenit simile accidens consequens formam de nouo aduenientem.* Vnde omnes Doctores, qui assertionem *suprà num.* 50. statutam tuentur, hanc etiam resolutionem vt legitimum illius consectarium amplectuntur.

63 Sed oppones nobis Angel. Doctorem *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *articulo secundo, quæstiuncula prima ad* 3. *&* 4. *& lib.* 4. *contra Gentes cap.* 81. vbi apertè docet materiam primam in corruptione substantiali non exuere quantitatem antiquam, sic enim ait: *Nullum principiorum essentialium hominis per mortem omninò cedit in nihilum: nam anima manet post mortem: materia etiam quæ tali formæ fuit subiecta, manet sub eisdem dimensionibus, ex quibus habebat, vt esset materia indiuidualis.* Ergo sentit Sanctus Doctor in corruptione substantiali non fieri resolutionem vsque ad materiam primam.

Respondetur eum Ferrara in eodem loco D. Th. non loqui ex propria sententia, sed secundum opinionem Commentatoris, & ad mentem illius: vt sic argumentis factis contra fidem, ex principiis ab eisdem infidelibus admissis vt optimus Dialecticus responderet, eosque ad credenda fidei mysteria faciliùs traheret. Cùm enim Auerroës doceat quantitatem recipi in sola materia prima, & consequenter neutiquam perire in corruptione substantiali; non est cur diffiteatur possibilitatem resurrectionis: manent quippè omnia principia desiderata ad integritatem eiusdem hominis, nempè eadem materia, eadem forma, & in illius opinione, licet falsa, quantitas eadem. Et in hac hypothesi procedunt verba D. Th. quæ referuntur in objectione. Cæterùm vt eidem difficultati secundum rem, & veram Philosophiam occurreret, respondit posteà: *Alio modo accipitur corporeitas prout est forma accidentalis, secundum quam dicitur corpus, quod est in genere quantitatis: & sic corporeitas nihil aliud est, quam tres dimensiones, quæ corporis rationem constituant. Etsi igitur hæc corporeitas in nihilum cedit, corpore humano corrupto; tamen impedire non potest, quin idem numero resurgat, eò quod corporeitas primo modo dicta* (scilicet forma, seu anima rationalis, quæ est radix gradus corporei) *non in nihilum cedit, sed eadem manet.* Quibus verbis, vt vides, nostræ suffragatur sententiæ,

tentiæ, & aduerſæ contradicit.

64 Deinde oppones noſtram doctrinam eſſe contra manifeſtam experientiam: cernimus quippè euidenter eadem accidentia, v. g. eandem numero figuram, & cicatricem eſſe in homine mortuo, quæ erant in eo, dùm viueret. Dicere autem, quod ſenſus in hoc decipitur, & per rationem corrigendus eſt, voluntarium planè videtur; ſiquidem ſenſus non fallitur circa ſenſibile proprium, & debitè approximatum, ex Ariſtotele 2. *de Anima*. Præſertim cùm nulla ſit adeò vrgens ratio, ob quam ſenſus debeat corrigi contra tam perſpicuum experimentum. Idemque argumentum vrget in herbis, & fructibus, in quibus licet per ſeparationem à radice vitam vegetatiuam amittant, adhuc experimur eundem calorem, ſaporem, odorem, & virtutem ſanatiuam: ergo in corruptione ſubſtantiali non fit reſolutio vſque ad materiam primam; ſed in hac perſeuerant plura accidentia ex illis, quæ exiſtebant in corrupto.

Confirmatur primò: quia etſi animal frigore pereat, habet poſt mortem aliquem calorem in viſceribus, & non parùm intenſum: ſed ſi eſſet calor numero diſtinctus à præexiſtente, non poſſet deſignari propria cauſa illius; quandoquidem aër circunſtans non continet illum calorem, cùm ſit valdè frigidus, vt ſupponitur: & aliàs ille calor non eſt diſpoſitio, vel accidens proprium formæ cadauericæ; atque ideò non debet à generante produci: ergo eſt idem numero calor, qui præexiſtebat in animali. ¶ Confirmatur ſecundò: nam ſi canis viuus ſurſùm projiciatur, & in medio aſcenſus moriatur, adhuc perſeuerat impulſus; aliàs non moueretur vlteriùs: & tamen non eſt deſignabilis cauſa noui impulſus; non quidem projiciens, quia longè abeſt; non cadauer, quia iſtud potius vergit in centrum; non denique aliqua cauſa vniuerſalis, quia hæc debet influere juxta exigentiam ipſius cadaueris: ergo dicendum eſt eſſe eundem numero impulſum, qui erat in cane viuo. ¶ Confirmatur denique, quoniam ſi in corruptione ſubſtantiali ſpoliaretur materia ab omnibus accidentibus præexiſtentibus, non eſſet vtilius vti cibis pretioſis, quam vilibus; ſiquidem materia nudè ſumpta eiuſdem rationis eſt in omnibus: conſequens eſt abſurdum: ergo.

65 Vt huic objectioni, & illius confirmationibus liquido ſatisfiat, duo breuiter prænotanda ſunt. Primum ſit diſpoſitiones conſequentes formam cadauericam debere aſſimilari diſpoſitionibus antecedentibus, quibus illa introducitur: quia ſunt complementum illarum. Porrò diſpoſitiones antecedentes, & inducentes formam cadauericam ſunt quatuor primæ qualitates elementorum propriæ, quæ exiſtunt in mixto viuenti ante mortem eius. Etenim prædictæ qualitates ſunt virtutes elementorum propriæ: atque ideò trahunt materiam mixtorum ad proprias elementorum formas, & ſpecies: quod,

vt

vt assequantur, formam cadauericã introducunt. Et cùm effectus inductus per virtutem instrumentariam attribuatur illi agenti, cuius est prædicta virtus ; idcircò causa principalis cadaueris sunt elementa, & præcipuè illud, cuius virtus magis in viuenti prædominabatur ante instans mortis. Aliæ autem causæ, vtputa jugulans, vel fulmen, solùm concurrunt per accidens, videlicet vel remouendo prohibens, vel applicando actiua passiuis. ¶ Secundum sit formam cadauericam esse simulacrum, & effigiem formæ viuentis : inducitur enim vt sit vicaria illius in hoc, quod est tenere materiam in esse ad hoc, quod sufficienter disponatur ad recipiendum formam elementi, pro qua nequiuit vltimò præparari existens sub forma viua : eò quod istius dispositiones facilè dissipantur. Quapropter cum simulacrum debeat referre exemplar, expoſcit forma cadauerica produci cum accidentibus similibus accidentibus formæ viuæ ; licet aliqua ex ijs sibi aliqualiter opponantur. Frequenter quippe ex necessitate, ac determinatione materiæ consequuntur compositum nonnulla accidentia, quæ illius conditioni aliquo modo repugnant. His suppositis.

Ad obiectionem respondetur negando antecedens : & ad probationem in contrarium dicendum est vnitatem, vel distinctionem numericam accidentium non esse sensibile proprium visus vel alterius sensus : vnde mirum non est, quod circa illa decipiantur. Sicut si quis continuò videret corpus album vsque ad instans A, & in hoc instanti Deus destrueret albedinem præexistentem, & aliam diuersam in eodem instanti produceret ; nullatenus visus perciperet hanc diuersitatem : & consequenter judicans esse semper eandem numero albedinem proculdubiò falleretur. Ratio autem, ob quam sensus in nostro casu corrigendus sit, satis vrgens est, vt constat ex hactenus dictis : quamobrem illi potius, quam sensibus apud Philosophos standum est.

Ad id, quod adducitur de virtutibus, & qualitatibus herbarum, ac fructuum respondemus qualitates secundas, de quibus procedit obiectio, resultare ex temperamento primarum. Hoc autem, etsi distinguatur numero à præexistente ante corruptionem ; attamen in eadem ferè proportione reperitur in ipsis dum viuunt, & dum priuantur vita. Cùm enim temperamentum, quod post mortem habent, causetur ab elementis ex vi temperamenti, quod habebant in vltimo vitæ tempore ; oportet, quod illi plurimum assimiletur. Quod in causa est, vt videantur eędem numero qualitates ; licet reuera non sint.

Ad primam confirmationem respondetur calorem repertum in cadauere animalis, quod frigore perit, produci ab igne ex vi caloris, qui tempore immediatè antecedenti ad mortem animalis in illius visceribus existebat ; & disponebat, ac trahebat materiam animalis ad formã ignis, cuius calor est secũdum se virtus : quamvis secundum aliam rationem, nẽpe vt refractus sit dispositio

congrua viuenti. Prædictus enim calor in illis partibus residens reliquit earum materiam sigillatam, vt in instanti mortis resultaret alter calor similis præexistenti. Cæterùm, quia ob eandem rationem in aliis partibus intensior frigiditas producitur, & hæc est magis connaturalis formæ cadauericæ; idcircò calor ille animalis mortui breui tempore euanescit. ¶ Per quod patet ad secundam confirmationem: ille enim impulsus vel producitur à proijciente canem, qui per impulsum antecedentem determinauit, ac sigillauit materiam ad habendum similem impulsum post mortem: vel fit à generante illud cadauer, qui cùm inueniat materiam sigillatam ad illum impulsum; debet attendens ad exigentiam materiæ illum producere; licet aliàs impertinenter se habeat ad cadaueris generationem.

Ad vltimam neganda est sequela: quamvis enim in corruptione cibi fiat resolutio vsque ad materiam; vtilius tamen est ad animalis vitam vti cibis optimis, quam vilibus: tùm quia in nutritione consequuntur in materia actuata per formam aliti accidentia similia eis, quæ habuit sub forma alimenti, vt constat ex nuper dictis. Tum quia cibi, quandiù retinent propriam formam, queunt ratione salubrium, vel nociuarum qualitatum stomacho, atque ideo toti animali plurimum proficere, vel officere.

QVÆSTIO VII.

Vtrum accidentia recepta in composito denuò genito, & ab eius forma dimanantia valeant disponere ad generationem, & receptionem illius?

EX dictis *quæst. præced.* constat accidentia, quæ inueniuntur in instanti generationis recipi in composito denuò genito, & ab huius forma dimanare. Vnde vlterius fit, quod prædicta accidentia supponant formam non solùm in genere causæ formalis, & materialis receptiuæ; sed etiam in genere causæ efficientis per dimanationem. Hinc autem discutiendum occurrit, vtrum non obstante prædicta suppositione, ac posterioritate, valeant adhuc ad formæ introductionem disponere, illamque in aliquo genere anteire? Cuius difficultatis resolutio non mediocrem lucem conciliabit ad intelligendum, qualiter materia disponatur pro receptione formæ; licet nullum accidens in se immediatè recipiat.

§. I.

Deciditur difficultas secundum mentem D. Thom.

66 Dicendum est accidentia recepta in toto composito denuò genito; & ab eius forma dimanantia verè, & propriè disponere materiam ad receptionem formæ: & consequenter prædicta accidentia in genere causæ materialis dispositiuæ præcedere formam substantialem; licet ad eam in aliis generibus subsequantur. Hæc est D. Thom. *locis statim referendis.* Vnde illam amplectuntur Bañez *in hoc lib. cap. 4. quæst. 10. art. 2.* & communiter omnes Thomistæ, qui asserunt gratiam sanctificantem esse priorem actibus Charitatis in genere causæ efficientis; & posteriorem illis in genere causæ materialis dispositiuæ. Quod aliis relictis, tradunt Caiet. Conrad. & Medina 1. 2. *qu.* 113. *art.* 8. Ferrara 3. *contra Gentes, c.* 153. Soto *in* 4. *d.* 14. *q.* 2. *art.* 6. Aluarez *lib.* 7. *de auxilijs, disp.* 66. & alij plures.

Probatur primò ex D. Thom. *qu.* 28. *de Veritate art.* 8. vbi loquens de dispositionibus concomitantibus formam genitam, vel communicatam materiæ, quæ in eius sententia recipiuntur in toto composito, vt constat ex dictis *quæst præced.* inquit: *In rebus naturalibus dispositio, quæ est necessitas ad formam, quodammodò præcedit formam substantialem, scilicet secundum rationem causæ materialis: dispositio enim materialis ex parte materiæ se tenet: sed alio modo, scilicet ex parte causæ formalis, forma substantialis est prior, in quantum perficit & materiam, & accidentia materialia.* Cùmque prædicta accidentia secundum ipsum S. Doctorem 1. *p. quæst.* 77. *art.* 6. fluant actiuè à forma substantiali per naturalem dimanationem; fit, quod ex eius mente forma substantialis præcedat illa in genere causæ formalis, & efficientis, & subsequatur ad ea in genere causæ materialis dispositiuæ. Idem expressè asserit loco proxime *cit. ex* 1. *parte, & in* 4. *dist.* 17 *quæst.* 1. *art.* 4. *quæstiuncula* 1. *&* 2. *& in* 3. *p. quæst.* 9. *art.* 3. *ad* 2. & alijs pluribus locis, quæ breuitatis gratia nec expendimus, nec adducimus.

67 Probatur deinde ratione: quia forma substantialis, vt connaturaliter recepta in materia dependet per se ab accidentibus, quæ in composito denuò genito immediatè recipiuntur: sed hæc dependentia nequit pertinere ad aliud causæ genus, quam ad genus causæ materialis dispositiuæ; siquidem accidentia in aliis generibus sunt posteriora, quam forma: ergo prædicta accidentia verè disponunt ad introductionem formæ substantialis; licet ad eam consequantur in genere causæ formalis, & materialis receptiuæ, & efficientis per dimanationem. Minor, & consequentia constant. Major autem suadetur, tum quia si connaturalis receptio formæ non penderet per se à prædictis accidentibus; posset forma absque illis connaturaliter introduci, quod est absurdum. Tum etiam,

quia connaturalis receptio formæ pendet per se ab illis accidentibus, per quæ materia vltimò determinatur ad formam, illique appropriatur: atqui materia vltimò determinatur, & appropriatur ad formam v. g. ignis per calorem vt octo (quem supponimus esse proprietatem ignis, atque ideo in ipso subiectari) siquidem nihil ita determinat materiam ad formam ignis, ac calor vt octo, qui est eius passio: ergo connaturalis receptio formæ pendet per se ab accidentibus concomitantibus, & in toto receptis. Tum denique: quoniam ad connaturalem receptionem formæ necessario, & per se desideratur id, per quod materia expurgatur à contrariis impedimentis: sed accidentia recepta in composito denuò genito concurrunt ad hoc, vt materia expurgetur ab omnibus impedimentis formæ contrariis, siquidem calor v. g. vt octo est, qui formaliter expellit omnem frigiditatem præexistentem, & reddit materiam expurgatam, & expeditam ad formam ignis: ergo connaturalis receptio formæ in materia nequit non per se dependere ab accidentibus comitantibus, & in toto receptis. Vnde prædicta accidentia non se habent præcisè tanquam ornamentum formæ, vt aliqui autumant; sed important verum influxum dispositiuum ad formæ introductionem desideratum.

Confirmatur: nam ideo accidentia recepta in toto non possent disponere materiam ad introductionem formæ; quia non subiectantur immediatè in eadem materia: sed non requiritur vniuersaliter, quod dispositio ad aliquam formam recipiatur immediatè in eodem subiecto, quod disponit: ergo accidentia recepta in toto poterunt disponere materiam ad receptionem formæ. Minor constat tùm ex D. Thom. 1. 2. *art.* 4. *ad* 3. Tum etiam in dispositionibus antecedentibus, quæ non recipiuntur immediatè in materia, sed in toto: & tamen disponunt materiam ad receptionem formæ. Tum denique, quia bonitas imaginationis est dispositio ad formam, quæ est in intellectu, nempe ad rectam cognitionem.

§. II.

Eadem veritas alia ratione communitur.

68 VT secundam, & valde fundamentalem nostræ assertionis rationem proponamus, aliqua prælibare oportet; quorum notitia non solum præsenti materiæ, sed aliis etiam poterit inseruire. Primò ergo animaduertendum est causas actu causantes posse ad inuicem esse causas, vt ex communi Philosophorum sententia obseruauimus *in lib. Physic. disp.* 15. *quæst.* 2. Vnde ex eo, quod vna sit prior alia in vno genere, non tollitur, quod sit eiusdem effectus, & posterior in altero: alias prioritas in vno genere esset prioritas absoluta ab omni dependentia; cuius oppositum ipsa mutua causarum connexio necessariò postulat. Cum autem dispositio peculiari modo influat

influat in effectum, debet peculiare causæ genus constituere & recenseri inter alias causas, sed, quia influxus illius non est adeò necessarius ad effectus constitutionem, vltimum inter alias causas vendicat locum.

Secundo obserua prioritatem esse duplicem, *à quo* videlicet, & *in quo* Illa est prioritas naturæ, seu causalitatis, & independentiæ, qua gaudet quælibet causa respectu effectus, licet coexistant eidem instanti, vt explicuimus *in lib. Physic. disp.* 8. *quæst.* 2. Posterior autem est prioritas temporis, seu durationis; secundum quam meridies dicitur prior vespere: atque ideo illa, quæ in eodem instanti accipiunt esse, nequeunt hoc modo esse priora, vel posteriora inter se. Quamobrem ex causis concurrentibus in eodem instanti generationis nulla vt actu influens queit esse prior alia prioritate *in quo* reali: sed quælibet erit prior suo effectu prioritate *à quo*; huic enim prioritati non obstat simultas durationis.

Tertio obserua, quod non obstante hoc causarum in eodem instanti concursu, seruant inter se ordinem influendo: nam causa finalis est simpliciter prior aliis, deinde efficiens, postea materialis, & aliæ iuxta ordinem, quem præscripsimus *in lib. Physic. disp.* 15. *quæst.* 2. Vnde intellectus inueniens fundamentum in prædicto ordine idem instans reale partitur in quatuor, vel quinque signa causalitatis: quorum primum attribuit fini, secundum agenti, tertium materiæ, quartum formæ, quintum, & vltimum dispositionibus. Huiusmodi autem signa non sunt instantiæ essendi vnum sine alio; cum omnes causæ in eodem instanti reali sint, & influant: nec sunt signa intelligendi causam actu causantem sine effectu; hoc enim est impossibile: sed sunt signa intelligendi ea, quæ pertinent ad vnum genus, non intelligendo ea, quæ pertinent ad aliud. Quod fit non per exclusionem positiuam; sed per cognitionem purè præcisiuam: ita vt dum intelliguntur ea, quæ pertinent ad vnum genus, non cognoscantur explicitè ex vi talis cognitionis pertinentia ad aliud genus; sed minimè negentur adesse ibi. Verbi gratia in genere causæ materialis quod intelligitur in recto, & per modum causæ est sola materia; forma verò, & alia intelliguntur in obliquo, & per modum effectus. Et quamvis materia dependeat à forma in illo instanti reali; id tamen non cognoscitur in signo causæ materialis: quia materia non dependet à forma in genere causæ materialis, sed formalis: non enim dependet à forma quatenus est subiectum eius; sed quatenus ab ea participat speciem, & existentiam. Similiter in genere causæ formalis quod intelligitur in recto est sola forma; materia verò, & alia intelliguntur in obliquo, & vt dependentia à forma. Et licet forma materialis in eodem illo instanti dependeat à materia; nihilominus non explicat hanc dependentiam in genere, seu signo causæ formalis, sed in alio, nempè in genere causæ materialis: quippè quæ non dependet, vt informans; sed vt educta, & recepta.

Idemque posset singillatim in aliis causæ generibus declarari; quod tamen omittimus breuitatis gratia, & & vt fastidium vitemus.

69 Hinc formatur sequens ratio: quoniam nullum est fundamentum, cur mutua prioritas, & dependentia inter alias causas inuenta, nequeat inter formam, & illius accidentia reperiri: sed, vt liquet ex modo præmissis causæ ad inuicem sunt causæ; ac proinde quod vna sit prior in vno genere, non impedit, quod sit posterior in alio; imo hæc inter se optime componuntur: ergo accidentia, quæ sunt effectus formæ in genere causæ finalis, formalis, materialis receptiuæ, & efficientis per dimanationem, valent optime in alio genere, nempe causæ dispositiuæ, præcedere eandem formam, & ad eius introductionem concurrere.

Confirmatur; & declaratur primo: nam ideo accidentia recepta in toto composito non possunt disponere ad formam, & illam præcedere in genere causæ materialis dispositiuæ: quia forma est prior simpliciter accidentibus: sed ex eo, quod accidentia disponant ad formam, illamque antecedant in genere causæ materialis dispositiuæ; non tollitur, quod forma sit prior simpliciciter accidentibus: ergo accidentia recepta in toto possunt, ac debent disponere ad formam, illamque in prædicto genere anteire. Probatur minor: quia prioritas in genere causæ dispositiuæ est prioritas secundum quid; vt pote omnium minima; prioritas autem in genere causæ finalis, efficientis, & materialis receptiuæ est prioritas simpliciter: ergo ex eo, quod accidentia præcedant in genere causæ materialis dispositiuæ formam, ad quam sequuntur in aliis generibus; non impeditur quod forma sit simpliciter prior accidentibus.

Confirmatur, & declaratur secundò: quia non repugnat, quod vna, & eadem res præcedat aliam in genere causæ materialis, & quod subsequatur ad illam in genere causæ efficientis: ergo id concedendum est accidentibus consecutis ad formam, & ad illius introductionem disponentibus. Antecedens suadetur tum exemplo aëris ingredientis per fenestram, quam ingrediens aperit: nam illius ingressus continuò effectiuè causat eam apertionem; atque ideo ipsam præcedit in genere causæ efficientis: & tamen apertio fenestræ disponit ad ingressum aëris quem proindè antecedit in genere causæ dispositiuæ: nisi enim fenestra prius in genere causæ dispositiuæ non patefieret, aër illam aperiens minime intraret. Tum etiam ad hominem: quia creatio, quæ apud Aduersarios est actio transiens, subiectatur in termino, quem producit: & consequenter præcedit illum in genere causæ efficientis; licet sit posterior eo in genere causæ materialis. Idemque posset ostendi in conuersione sacramentali, si est actio transiens, & recipitur in corpore Christi Domini, quod effectiuè attingit. Nulla igitur est implicatio in eo, quod vna res sit prior alia in genere causæ materialis; & posterior eadem in genere causæ efficientis.

70 Nec refert, si respondeas posse

posse quidem eandem rem esse priorem, & posteriorem, quam aliam in diuersis causæ generibus: non tamen in eodem: accidentia autem esse posteriora, quam forma in genere causæ materialis; siquidem in ea vt in subiecto *quo* recipiuntur: & consequenter non posse esse priora, quam forma in genere causæ dispositiuæ; eo quod dispositio pertinet ad genus causæ materialis, vt ex se liquet. Sic enim forma esset prior, & posterior accidentibus in eodem genere causæ, quod est absurdum. ¶ Non inquam, hoc refert: quia genus causæ materialis non est vnum in specie infima, sed subalterna: subdiuiditur enim in duplex genus proximum; nempe in causam materialem receptiuam, & causam materialem dispositiuam: eo plane modo, quo causa finalis secundum probabilem sententiam diuiditur in finem *cui*, & finem *cuius gratia*. Vnde sicut non repugnat, quod in eodem genere remoto, & subalterno causæ finalis Christus Dominus sit prior per modum finis *cuius gratia*, quam genus humanum; hoc quippè ad illius gloriam ordinatum est: & genus humanum sit prius per modum finis *cui*, quam Christus, siquidem istius Incarnatio cedit in vtilitatem illius. Ita nec repugnat, quod in eodem genere remoto causæ materialis forma sit prior per modum recipientis, quam accidentia: & quod hæc per modum disponentis sint priora, quam forma substantialis: recipere enim, & disponere non pertinent ad idem causæ genus proximum sed remotum, vt constat ex dictis.

§. III.

Soluuntur argumenta contraria.

71 NEgatiuam sententiam defendunt Auctores *quæst. præced. num.* 57. relati. Potestque suaderi argumentis satis implexis, quibus tantum detulit Suarius, vt asseruerit ea non posse probabiliter solui. Sed quantum ipse excesserit in hoc iudicio, conuincit sola auctoritas D. Thom. qui pro nobis est; liquidoque constabit soluendo prædicta argumenta: in quibus planè plus est obscuritatis, quam roboris. Illa tamen perspicuè extricabit, qui *priorum* naturam supra expositam probè calluerit: quibus verò eorum notitia non plenè illuxit, difficilis apparet nostra sententia; quia argumentis ex prioritate desumptis illaqueantur, & eorum fallaces tricas, hic inter arguendum præcipuè occurrentes, vitare minime noscunt.

Arguitur primo: quia accidentia dimanantia à forma substantiali supponunt illam receptam in materia; cum in ea tanquam in subiecto *quo* recipiantur: ergo nequeunt disponere ad generationem, & introductionem formæ. Patet consequentia: nam repugnat formam esse iam receptam, & adhuc desiderari aliquid ad receptionem illius; sicut aliquid esse productum, & requiri aliquid ad productionem eiusdem.

Confirmatur primo: quoniam prius est, quod hæc accidentia sint, quam quod causent & disponant, quippè quod nihil est, nequit exercere

cere vllam causalitatem: sed priusquam accidentia sint; iam forma est communicata materiæ, & compositum existit: igitur nequeunt disponere ad introductionem formæ, & generationem compositi. Minor liquet: quia hæc accidentia dimanant in genere causæ efficientis à toto composito, mediante forma: quælibet autem efficientia prærequirit existentiam principij: ergo priusquam hæc accidentia sint, forma est recepta in materia, & compositum existit.

Confirmatur secundo: quia in illo signo, in quo hæc accidentia disponunt materiam ad receptionem formæ, vel sunt recepta in materia, vel non? si primum: ergo afficiunt immediate materiam: siquidem in illo priori intelliguntur disponere materiam, antequam recipiat formam. Si secundum: ergo non poterunt disponere materiam; impossibile quippè est quod accidens disponat subiectum, cui non communicatur.

72 Vt hoc, & alia argumenta maiori cum luce diluamus, suppositis his, quæ circa prioritatem causarum statuimus, obseruandum est, quod forma dupliciter potest intelligi recepta in materia. Primò quantum ad essentialia receptionis: & hoc pacto non pendet ab accidentibus; posset enim absque illis absolutè vniri materiæ. Secundò quoad connaturalia receptionis: & hoc modo dependet ab accidentibus concomitantibus, vt *supra numero* 67. ostensum est. Essentialia autem in qualibet re præcedunt ea, quæ solum connaturaliter requiruntur: quamobrem forma, vt essentialiter ac substantialiter vnita materiæ, est prior simpliciter seipsa, vt connaturaliter illi communicata. ¶ Deinde aduerte accidentia consecuta ad formam posse sumi dupliciter, nempè vt effectus formæ, atque vt dispositiones ad illam. Primo modo exprimunt dependentiam ab ea: secundo modo à prædicta dependentia præscindunt; quamvis illam implicite, & transcendentaliter imbibant.

Hinc ad argumentum respondetur in forma, *accidentia dimanantia à forma supponunt illam receptam in materia*, distinguo antecedens: supponunt prioritate *in quo*, nego antecedens: prioritate *à quo* subdistinguo: supponunt formam vt priorem in genere causæ finalis formalis, efficientis, & receptiuæ, & quoad essentialia formæ: concedo antecedens. Supponunt in genere causæ dispositiuæ, & quoad connaturalia receptionis: nego antecedens. Et deinde negatur consequentia. Et termini satis liquent ex his, quæ hactenus obseruauimus.

Ad primam confirmationem respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: *Priusquam accidentia sint, jam forma est communicata materiæ, & compositum existit*, distinguo: Si ly *jam* & ly *priusquam* dicant prioritatem *in quo* nego minorem. Si designent prioritatem *à quo* subdistinguo: In genere causæ finalis, formalis, efficientis, & receptiuæ; & quoad essentialia receptionis, & compositionis: concedo. In omni genere, & quoad connaturalia: nego minorem, & consequentiam. Ex eo enim, quod,

hæc

hæc accidentia supponant formam in illis generibus, & quoad essentialia receptionis; solum sequitur, quod sint simpliciter posteriora, quam forma: hoc tamen non impedit, quod accidentia in genere causæ dispositiuæ, atque ideo secundum quid præcedant formam; & disponant materiam ad connaturalem prædictæ formæ introductionem.

Dices: forma pro illo priori, in quo causat huiusmodi accidentia, est connaturalis eorum causa, vt ex se liquet: ergo erit pro tunc connaturaliter recepta: sicut enim vt forma absolutè causet, debet recipi absolutè; ita vt causet connaturaliter, debet esse connaturaliter recepta: & consequenter erit prior accidentibus non solum quantum ad essentialia; sed etiam quoad connaturalia receptionis. ¶ Respondetur formam pro illo priori esse receptam connaturaliter, connaturalitate præcisè debita pro illo priori, & sufficienti ad hoc, vt forma sit principium eorundem accidentium: quæ connaturalitas coincidit re ipsa cum essentialibus receptionis. At pro illo priori non habet forma connaturalitatem perfectam, & debitam pro toto instanti: hæc quippè nullatenus desideratur in illo priori, vt accidentia dimanent à forma: vnde remanet eis locus, vt disponant ad receptionem connaturalem formæ, illamque præcedant, saltem secundum quid, & in infimo genere causæ.

Ad secundam confirmationem dicendum est accidentia in illo instanti reali esse realiter recepta immediatè quidem in cõposito; mediatè verò in materia, quam disponunt. In illo autem priori, in quo causant, propriè loquendo, non sunt recepta, & debet negari suppositum: quia illud signum non pertinet ad genus causæ receptiuæ, sed dispositiuæ tantum. Et licet accidentia sint re ipsa recepta in subiecto: eorum tamen receptio, & dependentia à subiecto non pertinet ad genus causæ dispositiuæ: sed ad genus causæ receptiuæ spectat. Quamvis enim accidentia, & recipiantur, & disponant: cæterum quatenus disponunt, non recipiuntur; neque è conuerso: quia in quantum recipiuntur, sunt effectus; & quatenus disponunt, sunt causa: nihil autem est causa, secundum quod est effectus; licet queat simul esse realiter causa, & effectus in generibus, & signis diuersis. Fatemur quidem prius simpliciter accidentia recipi, quam disponere: eò quod vt recepta pertinent ad genus causæ receptiuæ, quæ dispositiuam simpliciter antecellit. Quod tamen non impedit accidentia habere in suo genere rationem causę, & esse priora saltem secundum quid.

73 Secundò arguitur: quoniam implicat aliquid esse veram causam suæ causæ efficientis; cum enim hæc influat, quatenus est existens, nequit in suo *esse* à proprio effectu dependere: atqui accidentia recepta in toto comparãtur ad formam tanquã ad causam efficientem; cum ab illa effectiuè dimanent: ergo repugnat, quod sint vera causa prædictæ formæ, & consequenter non poterunt disponere ad introductionem illius.

Confirmatur primo: quia si hæc accidentia disponerent ad suã causam efficientem; in illo priori, in quo disponerent, haberent, & non haberent

esse: in quo datur manifesta contradictio. Haberent quidem *esse*: quia realiter causarent; & omnis causa prærequirit esse. Et non haberent *esse*: quia nihil valet habere esse ante suam causam efficientem, nisi illud esse sit increatum: sed accidentia pro illo priori supponuntur ad formam, quæ est eorum causa effectiua per dimanationem: ergo in illo priori nequeunt habere *esse*.

Confirmatur secundo: nam alias compositum substantiale non existeret ante accidentia; siquidem existere est sistere extra omnes causas, & dependentiæ modos: consequens est absurdum cum compositum sit causa effectiua eorundem accidentium; & vnumquodque efficiat secundum quod est in actu existendi: ergo.

Ad argumentum respondetur implicare quidem, quod aliquid sit causa effectiua suæ causæ efficientis; ita enim esset prius, & posterius illa in eodem genere causæ: minime tamen repugnare, quod aliquid concurrat materialiter dispositiuè ad suam causam efficientem, vt exemplis numero 69. adductis constat. Præsertim cum forma sit causa effectiua istorum accidentium vt absolutè siue essentialiter recepta in materia; quorum tamen solum est effectus in genere causæ dispositiuæ, vt connaturaliter materiæ vnita: & consequenter est prior simpliciter accidentibus; & secundum quid posterior; in quo nulla apparet implicatio.

Ad primam confirmationem respondemus accidentia in illo priori, in quo disponunt, habere *esse*, non quidem receptum illo signo, quod est proprium causæ dispositiuæ; sed in alio simpliciter priori, quod est proprium causæ efficientis. Nec inde sequitur quod illud *esse* sit increatum: ad hoc quippè desiderabatur, quod in nullo genere esset receptum; cum tamen fiat, & communicetur in genere causæ efficientis. Sed tantum infertur, quod in genere causæ dispositiuæ illud *esse* non producatur; quod planè necessarium est: nam producere, & produci non pertinent ad genus causæ dispositiuæ, sed efficientis. Producuntur ergo prædicta accidentia; imo verò prius simpliciter producuntur, & recipiunt *esse*, quam disponant: quoniam produci pertinet ad genus causæ efficientis; disponere verò ad genus causæ dispositiuæ: & quamvis causæ ad inuicem sint causæ; tamen, attentis omnibus, prius simpliciter est genus causæ efficientis, quam dispositiuæ. Hoc autem minime impedit, quod sub expressione causæ dispositiuæ non explicent, quod suum *esse* sit dependens; & possint, saltem secundum quid, præcedere formam, non quatenus hæc habet rationem causæ; sed quatenus est effectus: per hoc enim neutiquam negatur dependentia à forma, & efficienti; sed præscinditur ab ea in genere causæ dispositiuæ.

Ad secundam negatur sequela: quia vt compositum sit existens simpliciter, & provt requiritur ad hoc, quod sit causa istorum accidentium; sufficit, quod sit extra omnes causas, & dependentiæ modos proprij generis substantiæ: quod quidem habet simpliciter ante influxum istorum accidentium. Vnde nec sequitur,

quod

quod hæc non desiderentur ad connaturalem receptionem formæ; nec quod compositum non sit simpliciter ante illa: sed tantum concluditur compositum esse simpliciter prius accidentibus, quod concedimus; sed per hoc non excluditur, quod illa sint priora secundum quid.

74 Tertio arguitur: nam quælibet vera dispositio sicut determinat subiectum, ita etiam debet determinare agens ad peculiaris formæ productionem; sed accidentia dimanantia à forma nequeunt determinare agens ad prædictæ formæ productionem: ergo non sunt veræ dispositiones ad illam. Suadetur minor: quia hoc ipso, quod accidentia dimanent à forma, agens prius attingit formam, quam accidentia, vt ex se liquet: ergo accidentia illa non determinant agens ad attingendum talem formam; sed potius vice versa forma determinat agens, vt producat illius proprietates, & accidentia concomitantia.

Respondetur negando minorem: ad cuius probationem dicendum est nullam dari contradictionem in hoc, quod forma determinet agens ad producendum peculiaria accidentia; & quod eadem accidentia determinent agens ad ipsius formæ attingentiam: huiusmodi enim determinationes spectant ad diuersa causarum genera. Nam forma determinat in genere causæ formalis: ideo enim generans producit talia accidentia, quia forma illa exigit. Accidentia autem determinant in genere causæ materialis, tum quia se tenent ex parte materiæ, quam à contrariis dispositionibus vltimò expurgant: tum quia sunt terminus, & vltimum complementum antecedentium dispositionum, in quibus istæ virtualiter permanent. Vnde sicut dispositiones antecedentes determinabant vialiter agens in genere causæ dispositiuæ, vt peculiarem formam produceret: ita & in eodem genere hæc accidentia illud determinant in facto esse, vt eandem formam attingat.

75 Vltimo arguitur: nam qui ponit effectiuè vltimam dispositionem ad aliquam formam, attingit effectiuè ipsam formam: sed forma substantialis ponit effectiuè accidentia quæ ab ea dimanant, vt liquet ex terminis: ergo si huiusmodi accidentia sunt dispositiones ad formam, non poterit non forma attingere effectiuè se ipsam: consequens implicat contradictionem: ergo accidentia, quæ dimanant à forma, nequeunt ad illam disponere.

Respondetur maiorem esse veram intellectam de vltima dispositione antecedenti, ex qua forma actiuè resultat: tunc enim verificatur illud axioma: *Quod est causa causæ, est causa causati in eodem genere causæ.* Intellecta autem de vltima dispositione concomitanti, nequit vniuersaliter verificari: nam compositum, quod nequit propriam formam producere, valet actuatum per illam efficere ipsam dispositionem: sicut homo constitutus per gratiam, quæ à solo Deo producitur, efficit actum Charitatis, qui ad eandem gratiam disponit. Ita ergo licet forma attingat effectiuè hæc accidentia disponentia ad eandem

dem formam ; nequit tamen attingere effectiuè se ipsam, tum propter proxime tradita, tum ob defectum distinctionis formæ à se ipsa. Tum denique, quia forma attingit effectiuè accidentia ; hæc autem non effectiuè, sed dispositiuè attingunt formam : & consequenter variatur genus causæ, & non sequitur, quod forma attingat se ipsam ; vt videre etiam licet in mutua causalitate inter materiam, & formam.

Alia via, & quidem satis expedita possemus argumentis hactenus propositis occursum ire: quam indigitat Angelicus Præceptor pluribus in locis, & præcipuè 1. *p. qu.* 76. *art.* 6. *ad* 1. Illam tamen meditatò omittendam duximus in præsenti; cum ne fastidium ipsa prolixitate gignamus: tum quia difficultates adductæ satis apertè extricantur modo, quem hucusque fuimus prosecuti : & denique ne dum responsiones ingeminamus, plus ponderis, quam argumentis inest, eis videamur attribuere, & defatigari sub illo.

DISPVTATIO III.

De Corruptione simpliciter siue substantiali.

EA, quæ de generatione substantiali tota *disp. præced.* statuimus, facilem sternunt viam ad intelligentiam eorum, quæ circa corruptionem præsenti *disp.* dicemus. Habent quippè eæ mutationes mutuam inter se connexionem ; & vnius notitia alteri subsidio est : quocirca suppositâ cognitione generationis paucis hanc disputationem absoluemus. In qua non de qualibet corruptione ; sed de ea, quæ est talis simpliciter, hoc est, de substantiali sermo procedit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De existentia, quidditate, & termino corruptionis.

HÆc omnia sub vna quæstione conjungimus : nam eorum discussionem leui calamo tangemus ; & quia facilis est, & quia majori parte constat ex dictis.

1 Dicendum est primo verè dari corruptionem substantialem. Hæc est Aristot. D. Thom. & omnium Philosophorum, cuius veritas satis apparet *ex dictis disp. præced. à num.* 2. Ex quibus suadetur sic : quoniam est possibilis, atque existit generatio substantialis : ergo & corruptio. Patet consequentia, tùm quia generatio vnius est corruptio alterius. Tùm quia materia prima nequit simul habere duas formas : ergo dum per generationem acquirit aliquam, opus est, quod amittat antiquam, & consequenter, quod compositum præexistens substantialiter corrumpatur. ¶ Confirmatur : quia materia sublunaris respicit formas amissibiliter : ergo aliquando eas amittit. Probatur consequentia : quia aliàs vel non respicit illas amissibiliter ; vel illa potentia nunquam reducetur ad actum, quod est inconueniens. ¶ Ad hæc : destructis proprietatibus alicuius rei, necessarium est ipsam corrumpi ; eò quod naturaliter loquendo, nequit res absque proprietatibus conseruari : experimur autem, quod proprietates equi v. g. deficiunt aliquando : ergo signum perspicuum est, quod equus substantialiter corrumpitur.

2 Dicendum est secundo corruptionem substantialem esse veram mutationem, seu realem transitum materiæ primæ *ab esse* formæ substantialis ad *non esse* illius. Ita Arist. *in hoc lib. cap.* 3. cui subscribunt D. Thom. & communiter Philosophi. Probatur ratione : quia generatio, & corruptio sunt oppositæ mutationes ; sicut enim in generatione res trahitur de potentia ad actum ; ita è conuerso in corruptione de actu reuocatur in potentiam : atqui generatio est mutatio, seu transitus materiæ à *non esse* formæ ad *esse* eius : ergo corruptio est mutatio, seu transitus materiæ ab *esse* formæ ad *non esse* illius. Obserua tamen discrimen inter generationem, & corruptionem, quod illa queit diuinitùs dari absque transmutatione materiæ ; & ideo essentialiter accepta solùm importat naturalem sequelam seu resultantiam ; hæc autem nec diuinitùs potest existere, quin materia realiter transmutetur. Et ratio differentiæ est, quod generatio non præsupponit indispensabiliter materiam existentem sub priuatione formæ generandæ : potest enim optimè fieri, quod in eodem instanti reali creetur materia, & ex illa forma educatur, & compositum generetur. At corruptio essentialiter præsupponit formam, quæ corrumpenda est, & est terminus eius *à quo* ; alias non posset illam destruere, vt de se liquet. Vnde ad generationem non requiritur, quod fiat transitus

à priuatione ad formam: sed ad corruptionem desideratur, quod fiat transitus à forma ad priuationem: & oppositum non est intelligibile.

3 Dicendum est tertiò corruptionem substantialem sumptam in esse actionis non distingui ab actione generatiua; sed sufficere vnam, & eandem alterationem, quæ quatenus infert formam nouam, dicitur actio generatiua, & quatenus destruit præexistentem appellatur actio corruptiua. Hæc liquido deducitur ex his, quæ supra statuimus *disp. 1. quæst. 2.* & suadetur breuiter, tum quia repugnat actio creata, quæ immediatè terminetur ad *esse* formæ substantialis: ergo etiam repugnat dari actionem, quæ *non esse* illius immediatè attingat: ergo sicut forma generatur per resultantiam à termino alterationis antecedentis, ita forma præexistens corrumpetur ex vi eiusdem alterationis antecedentis quatenus ponit vltimã dispositionem incompossibilem cum ipsa forma. Tum etiam, quia calor v. g. potest attingere virtute propria calorem; & in virtute substantiæ *non esse* substantiæ, in quam agit: ergo pariter calefactio, provt à calore, producet calorem; & provt à substantia inferet non esse substantiæ corrumpendæ.

4 Obijcies *primo*: nam actiones debent multiplicari iuxta diuersos terminos, quos attingunt: sed *esse* formæ genitæ, & *non esse* formæ corruptæ distinguuntur realiter: ergo actio corruptiua attingens *non esse* distinguitur realiter ab actione generatiua attingente *esse*. *Secundo*: quia omnis mutatio, provt egreditur ab agẽte, est actio: sed generatio & corruptio sunt duæ mutationes realiter diuersæ, vt postea dicemus: ergo etiam distinguuntur realiter in esse actionis. *Tertio*: quoniam hominem v.g. corrumpi est verè pati: ergo hominem corrumpere est verè agere: ergo corruptio hominis est vera actio.

Sed hæc leuia sunt: & ad primam obiectionem respondetur majorem solùm verificari in terminis immediatis, adæquatis, & primario in executione attactis; non vero in terminis secundarijs, ac resultantibus, & huius postremi generis sunt *esse* & *non esse* substantiale: posita quippe vltima dispositione antecedenti, statim absque noua actione resultant. ¶ Ad secundam respondetur solam mutationem positiuam & immediatè ab agente egressam esse veram actionem: corruptio autem vt distincta ab alteratione antecedenti, nec est aliquid positiuum; nec immediatè fluit ab agente: quocirca nequit constituere nouam, & diuersam actionem. ¶ Ad tertiam respondetur, quod hominem corrumpi non importat veram passionem distinctam ab ea, quæ comitatur actionem, siue alterationem antecedentem; sed solùm dicit simplicem, ac priuatiuam materiæ primæ transmutationem: & consequenter neque corrumpere importat actionem ab alteratione distinctam. Eatenùs ergo corruptio est actio, quatenùs introducit nouam formã ad quam, ob incompossibilitatẽ, sequitur præcedentis expulsio.

Vltimo asserendum est *non esse* suppositi præexistentis esse terminum

num *qui* corruptionis : *non esse* autem formæ totalis , seu naturæ esse terminum *quo* totalem ipsius : ac denique *non esse* formæ partialis esse illius terminum *quo* partialem. Ita D. Thom. in 2. *dist.* 19. *art.* 1. *ad* 2. *& in* 3. *dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 5. & communiter discipuli S. Doctoris. Potéstque suaderi ex supra traditis *disput. præced. quæst.* 3. quoniam ita se habet *non esse* substantiæ ad terminandam corruptionem, sicut eius *esse* ad terminandam generationem : sed *esse* suppositi est terminus *qui* ; *esse* vero naturæ seu formæ totalis est terminus *quo* totalis; *esse* autem formæ partialis est terminus *quo* partialis generationis , vt constat ex loco proxime citato ; ergo in corruptione terminus *qui* est *non esse* suppositi; terminus *quo* totalis est *non esse* formæ totalis; & terminus *quo* partialis est *nõ esse* formę partialis

Dices : mutatio realis habet terminum realem ; aliàs non poterit identificari cum illo : sed *non esse* non est terminus realis : ergo vel corruptio non est mutatio realis , quod est falsum ; vel nequit terminari ad non esse. ¶ Respondetur corruptionem non esse mutationem positiuam , seu ponentem aliquid in subiecto ; sed esse mutationem realem priuatiuam , siue aliquid remouentem ab eo : quo pacto communiter dicitur dari cæcitatem , & tenebras à parte rei. Vnde ex hac parte non repugnat , quod corruptio identificetur cum *non esse* , quod est terminus illius ; si verum est omnem mutationem identificari cum eius termino *ad quem*. De quo diximus *in lib. Physic. disp.* 16. *qu.* 3.

QVÆSTIO II.

An corruptio sit mutatio naturalis , & per se intenta à natura.

PRo tituli intelligentia , & quæstionis decisione obseruandum est , quod *naturale* in præsenti , aliis acceptionibus omissis , stat pro eo, quod est iuxta inclinationem naturæ, & per se intenditur ab illa. Vnde vna pars quæstionis alteram necessario includit ; atque ideo vna erit vtriusque resolutio. Porrò *natura* , cuius nomine præcipue intelligimus virtutem operatiuam agentis , duplex est , nimirum vniuersalis , & particularis. Prior est virtus residens in aliquo vniuersali principio vt puta in corpore cœlesti ; quæ proinde respicit aliquem finem vniuersalem. Posterior autem est virtus competens agenti particulari , quæ consequenter intendit bonum particulare. Deinde animaduerte corruptionem posse considerari dupliciter : primo vt præcisè exprimit priuationem boni , atque ideo nudam rationem mali : quo pacto supponimus à nulla natura appeti : nemo quippe respiciens ad malum vt malum operatur. Secundo quatenus conjungitur cum aliquo bono , cuius perfectioni , & assecutioni deseruit: quo pacto induit aliquo modo rationem boni. Et in hac posteriori acceptione disquirimus: vt

corruptio sit per se intenta à natura, & connaturalis alicui principio.

§. I.

Statuitur D. Thomæ vera sententia.

7 Dicendum est primo corruptionem substantialem nullo modo intendi per se à natura particulari; ab vniuersali vero intendi per se secundo, quatenus conducit ad bonum vniuersi. Ita docent Ferrara 3. *contra Gentes, cap.* 94. Flandria 5. *Metaph. quæst.* 4. *art.* 2. *ad* 5. Bañez *in præsenti cap.* 4. & communiter Thomistæ. Et meritò, quia nostram assertionem aperte docet S. Doctor 3. *contra Gentes, cap.* 94. his verbis: *Ad aliud igitur tendit intentio particularis agentis, & vniuersalis: nam particulare agens tendit ad bonum particulare absolutè, & facit tam quantò meliorem potest. Vniuersale autem agens tendit ad bonum totius. Vnde aliquis defectus est præter intentionem agentis particularis, qui est secundum intentionem agentis vniuersalis. Et eodem modo corruptio, & diminutio est de intentione naturæ vniuersalis, non vero naturæ particularis.* Et 1. *p. qu.* 22. *art.* 2. *ad* 2. inquit: *Corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contrà naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ vniuersalis, in quantum defectus vnius cedit in bonum alterius, vel etiam totius vniuersi.*

In quibus verbis continetur fundamentum conclusionis, quod potest ad hanc formam reduci: quoniam agens vniuersale intendit bonum vniuersi; agens vero particulare solùm respicit bonum particulare: sed corruptio substantialis conducit, saltem per se secundo, ad bonum vniuersi, ad bonum autem particulare nullo modo per se conducit: ergo corruptio nullo modo intenditur ab agente particulari; ab vniuersali vero intenditur per se secundo. Major, & consequentia liquent ex ijs, quæ prænotauimus in limine quæstionis. Minor autem suadetur; quia bonum vniuersi consistit in pulchritudine, quæ ex varietate, ac inæqualitate partium illius resultat: sed corruptiones substantiales conducunt ad hanc varietatem, & differentiam: ergo corruptio spectat, saltem per se secundo, ad bonum vniuersi. Bonum autem particulare, seu intentum ab agente particulari, est hoc, vel illud indiuiduum; ad quod plane per accidens se habet corruptio alterius substantiæ: esset quippe eiusdem rationis, etsi nullum aliud indiuiduum corrumperetur.

8 Obijcies: pulchritudo, & ordo vniuersi constat ex alteratione generationis, & corruptionis rerum: ergo corruptiones eodem modo pertinent ad pulchritudinem vniuersi, ac rerum generationes: at generationes pertinent per se primo: ergo & corruptiones: ergo corruptio intenditur per se primo ab agente vniuersali; siquidem eo modo intenditur, quo ad perfectionem orbis spectat. ¶ Respondetur negando primam consequentiam: nam licet generationes, & corruptiones pertineant ad pulchritudinem vniuersi; aliter tamen,

&

& aliter : illæ enim simul cum ipsis rebus conducunt immediatè per se ipsas ad vniuersi decorem, atque ideò possunt intendi omninò per se primo : corruptiones autem, & rerum defectus non præstant ad pulchritudinem vniuersi vt aliquid per se bonum ; sed tanquam id, ex cuius comparatione priora illa bona magis eluceſcunt : quocirca nequeunt appeti per se primo, sed ad summum per se secundo. Quod satis expressit D. Thom. *quæst. 1. de malo art. 3. in solutione ad 18.* dicens: *Corruptio dicitur mutatio naturalis secundum naturam vniuersalem, quæ mouet ad generationem, vel corruptionem: ad generationem quidem propter se ; ad corruptionem autem, in quantum generatio sine corruptione esse non potest.*

Ex dictis relinquitur manifestum, quod corruptio est naturalis respectu vniuersalis naturæ ; cùm sit iuxta intentionem illius. Cæterùm respectu agentis particularis præternaturalis, siue innaturalis appellanda est, quia non intenditur per se ab illo ; sed rei per se intentæ, nempe generationi, conjungitur accidentaliter, quantum est ex parte intentionis agentis particularis. Videndum tamen supereſt, an corruptio possit dici naturalis respectu materiæ primæ, quæ est subiectum illius.

9 Dicendum est secundo corruptionem substantialem esse mutationem naturalem respectu materiæ primæ, ita vt hæc inclinetur secundario in illam. Sic docet D. Thom. 1. 2. *quæst. 85. art. 6.* his verbis : *Corruptiones, & defectus rerum sunt naturales, non quidem secundum inclinationem, quæ est principium essendi, & perfectionis, sed secundum inclinationem materiæ.* Quem sequuntur Curiel. ibidem. Gregorius Martinez *dub. 2.* & alij plures. Sed priusquam assertionem probemus, animaduertendum est materiam primam posse considerari dupliciter : primo quatenus subest determinatæ formæ & est pars particularis compositi v. g. equi ; quo pacto habet rationem causæ particularis, & subijcitur agenti particulari. Secundo quatenus præcisè dicit sua essentialia, & entitatem absolute acceptam : qua ratione sicut continet plures formas, ita habet rationem causæ vniuersalis, & agenti, seu naturæ vniuersali correspondet. Concluſio autem non intelligitur de materia priori modo considerata : quia de materia sic sumpta eodem proportionali modo philosophandum est, ac de forma, per quam compositum constituitur ; cùm vtraque sumatur vt pars determinati compositi : forma autem vtpote principium essendi minime intendit *non esse*, seu corruptionem; atque ideo idem asserendum est de materia, quatenus stat sub forma, & sumitur vt pars determinati compositi. Procedit igitur assertio circa materiam posteriori modo consideratam, & in hoc sensu suadetur : quoniam potentia respiciens per se plures formas incompossibiles inter se, ac proinde vt successiuè habendas nequit non respicere per se, saltem secundariò ipsam successionem, & quod ad ingressum vnius formæ expellatur alia: at sic est, quod materia prima sublunaris

est potentia ad plures formas substantiales incompossibiles inter se, & habendas successiuè : ergo materia prima respicit per se formarum successionem, ac proinde debet per se intendere, saltem secundariò aliquarum formarum corruptionem. Et quia hæc posterior materiæ acceptio procedit secundum ipsi essentialia, & consequẽter potior est, ac principalior; ideo absolutè dicimus corruptionem esse mutationem connaturalem materiæ.

§. II.

Satisfit argumentis in contrariũ.

10 ADuersus præcedentes conclusiones tres inuenimus sententias. Prima negat corruptionem esse vllo modo per se intentam à natura vniuersali. Ita Conimbr. *in præsenti cap. 4. quæst. 16. art. 5.* & alij. Quod potest suaderi primo ex D. Th. 1. *p. q. 19. art. 9.* vbi inquit: *Malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum. Et hoc apparet in quolibet appetitu: non enim agens naturale intendit priuationem, vel corruptionem; sed formam, cui conjungitur priuatio alterius formæ, & generationem vnius, quæ est corruptio alterius. Leo enim occidens ceruum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis.* ¶ Et confirmatur : nam in eodem loco in solutione ad primum docet : *Malum non ordinatur ad bonum per se, sed per accidens.* Et infrà *quæst. 49. art. 1.* asserit corruptionem, & alios defectus esse per accidens intentos : ergo ex mente D. Th. corruptio respectu nullius agentis est per se intenta.

Respondetur D. Th. in priori testimonio loqui de malo, vt habet rationem mali: quod euidenter constat ex textu, nam ante verba relata inquit : *Cum ratio boni sit ratio appetibilis; malum autem opponatur bono, impossibile est, quod aliquod malum, in quantum huiusmodi appetatur*, &c. Nos autem non loquimur de corruptione, quatenus præcisè est carentia boni, & exprimit rationem mali; quo pacto supponimus à nulla natura appeti vt constat ex supra præmissis : sed loquimur de corruptione, quatenus conducit ad pulchritudinem vniuersi; quo pacto inducit aliquam bonitatem, & appetitur per se secundo ab agente vniuersali. Vnde D. Thom. assertioni nostrę minimè contradicit ¶ Vt aliis duobus testimoniis occurramus obseruandum est quod intendi aliquid *per accidens* stat dupliciter : vno modo strictè, quo pacto excludit intentionem terminatam ad rem tàm immediatè, quàm mediatè. Alio modo large; qua ratione significat, quod aliquid intenditur non immediate, & primario; sed secundario, & per aliud, siue quod non est intentum ratione sui, sed in ordine ad aliud. Cum ergo S. Doctor asserit corruptiones, & alios defectus esse per accidens intentos, non sumit ly *per accidens* omnino strictè, & quatenus excludit omnem intentionem; sed largè, & quãtenus excludit intentionem primariam, denotátque corruptiones intendi ratione alterius. Quod est verissimum; sed nobis non aduersatur, vt constat ex dictis.

11 Deinde arguitur ratione: quoniam natura vniuersalis appetit *esse* rerum

rerum naturalium : ergo nequit appetere illarum *non esse*, seu corruptionem. Sicut quia calor intendit producere calorem, nullo modo intendit frigus ipsi calori contrarium. ¶ Confirmatur : quia nemo respiciens ad malum operatur: sed intendere est respicere: ergo nemo intendit malum; & consequenter nec corruptionem, quæ quoddam malũ est.

Respondetur ad argumentum negando consequentiam : nulla quippe est contradictio inter vtrumque appetitum : sicut enim natura vniuersalis appetit *esse* rerum ob decorem vniuersi ; ita potest appetere *non esse* illarum, si hoc conueniens fuerit ipsi vniuerso. Expedit autem ad vniuersi pulchritudinem, quod corruptibilia aliquando deficiant : sic enim & apparet meliùs eorum conditio, & aliarum rerum perfectio velut ex opposito viuidiùs elucet. Exemplum autem in contrarium adductum nihil conuincit : quia frigus nullo modo conducit ad finem proprium caloris agentis; corruptio autem conducit, saltem secundario, ad finem agentis vniuersalis. ¶ Confirmatio soluta manet ex ijs, quæ supra diximus : agens enim vniuersale nec intendit nec respicit malum corruptionis, vt malum est: sed intendit ac respicit corruptionem, quatenus conducit ad pulchritudinem vniuersi: quo pacto habet rationẽ boni.

12 Secunda sententia docet corruptionem intendi per se secundo à natura particulari. Hanc defendit Rubio *in præsenti cap. 4. tract. 2, q. 2.* Quam probat primo ex D. Th. *in 4. d. 36. q. 1. a. 1. ad 2.* vbi inquit : *Nihil prohibet esse aliquid contra naturam quantum ad primam intentionem ipsius, quod non est contra naturam, quantum ad eius secundam intentionem; sicut omnis corruptio, & defectus est contra naturam, vt dicitur in secundo Cœli, & Mundi : quia natura intendit esse, & perfectionem. Non tamen est contra secundam intentionem naturæ, quia ex quo natura non potest conseruare esse in vno, conseruat in altero, quod generatur corruptione alterius : & quando natura non potest perducere ad majorem perfectionem, intendit ad minorem ; sicut quando natura non potest facere masculum, facit fœminam.* Ergo sicut natura particularis, intendit per se secundo productionem fœminæ ; ita poterit sese extendere ad corruptionem.

Respondetur negando consequentiam : quia licet S. Doctor loquatur de intentione secundaria naturæ, intelligendus est in exemplis, quæ adducit, per distributionem accommodam ; ita vt defectus, & corruptiones sint de secundaria intentione solius naturæ vniuersalis : senium autem, & fœminæ productio sint etiam de intentione naturæ particularis. Ex quo enim natura nequit se conseruare in masculo, atque in ætate virili ; appetit se conseruare in fœmina, aut in ætate senili: hæc quippe habent rationem boni respectu naturæ particularis ; atque ideo queunt, saltem secundario, ab ea intendi. At corruptio accidit omninò fini intento à natura particulari ; & non habet rationem boni respectu eius : quocirca nec secundario appetitur ab illa.

13 Replicabis : nam illud, quod est omninò necessarium ad genera-

tionem indiuidui, quod est finis naturæ particularis, non se habet per accidens ad intentionem prædictæ naturæ; siquidem intendens primario aliquem finem intendit saltem secundario media ad illius assecutionem desiderata: sed ad generationem noui indiuidui requiritur omninò corruptio præexistentis; cùm materia nequeat simul substare duabus formis: ergo corruptio non se habet per accidens respectu agentis particularis, seu intenditur ab illo per se secundo. ¶ Ad hæc: illa, quæ sunt per accidens, contingunt vt in paucioribus, vt patet in monstris: corruptio autem semper conjungitur cum generatione, quæ est bonum per se intentum à natura particulari: ergo non se habet per accidens respectu agentis particularis.

Respondetur, quod agens naturale solum per se intendit ea, quæ per se desiderantur, & conducunt ad finem eius, prout ab ipso intenditur: non verò illa, quæ se habent accidentaliter ad eius intentionem: quantumvis ex aliis capitibus necessariò, & per se desiderentur. Vnius autem corruptio non desideratur ad generationem alterius ex vi ipsius generationis; sed aliunde: posset enim generatio, quantum est ex se, æquè bene fieri; licet nulla interueniret corruptio substantialis, dummodò adesset materia prima quæ est subiectum illius, vt apparet in generatione vermis ex speciebus sacramentalibus. Sed quia materia non potest in rerum natura conseruari absque omni forma substantiali, & nequit simul habere duas; idcircò necessarium est, quod ad introductionem vnius formæ expellatur antiqua, quæ præexistebat. Vnde hæc necessitas est per se respectu materiæ primæ; & per accidens respectu generantis: ac proinde solum per accidens intenditur ab eo.

Ad id, quod additur, respondemus cum D. Thom. *quæst.* 1. *de malo art.* 3. ea, quæ sunt per accidens respectu vnius principij, & per se respectu alterius, non contingere vt in paucioribus, sed vt in pluribus: corruptio autem, quamvis sit per accidens respectu agentis particularis, est per se tàm respectu agentis vniuersalis, quàm materiæ primæ: vnde mirum non est, quod vt in plurimùm, imo & semper, naturaliter loquendo contingat.

14 Secundo arguitur ratione: quia cuilibet potentiæ passiuæ particulari propensæ in aliquem actum debet correspondere agens particulare in eundem actum propendens; vt sic possit reducere illam potentiam ad exercitium: sed quælibet materia particularis propendit per se secundo in corruptionem formæ, illamque appetit, vt nouam formam assequatur: ergo etiam generãs particulare debet per se secundo appetere corruptionem. ¶ Sed hoc solutum manet ex supra dictis *num.* 9. quoniam portio materiæ, quatenus propendit in plures formas, appetitque per se secundo nonnullarum corruptionem, habet rationem causæ vniuersalis, cui proinde agens non particulare, sed vniuersale correspõdet. Si autem consideretur quatenus est pars determinati cõpositi,

quo

quo pacto habet rationem potentiæ particularis, subestque agenti particulari, nullo modo appetit separationem formæ, & corruptionem compositi. Vnde non concluditur, quod agens particulare intendat per se illam corruptionem; cum corruptio non inspiciatur per se à materia, quatenus est potentia particularis in appetendo.

15 Tertia sententia tuetur materiam primam nullo modo inclinari in corruptionem substantialem. Ita aliqui Moderni, vt testatur Rubio in præsenti. Quod potest suaderi: quoniam materia prima solum respicit formas, vt habendas, & possidendas; & ideo definitur per solam habitudinem ad illas: ergo non appetit corruptionem earum; alias materia sibi opponeretur in appetendo. ¶ Confirmatur: quia nihil potest appetere naturaliter suum *non esse*; cum in hoc nulla appareat ratio boni: at materia habet *esse* actu per formam: ergo nequit appetere corruptionem illius.

Respondetur, quod materia prima appetitu primario solum fertur in formas vt consequendas, & conseruandas; sed appetitu secundario queit optimè appetere corruptionem formarum antiquarum, vt assequatur recentes: sic enim aptius consulit propriæ indigentiæ, & consistit à parte rei. Per quod patet ad confirmationem: nam licet materia nequeat appetere *non esse* absolute, & omnibus modis; cum hoc sit purum malum; valet tamen appetere destructionem *esse* antiqui, vt aliud nouum *esse* assequatur: quia *non esse* formæ veteris induit rationem boni, quatenus conducit aliquo modo ad consecutionem nouæ.

QVÆSTIO III.

An, & quomodo generatio vnius sit corruptio alterius.

NOn loquimur in præsenti de generatione, & corruptione consideratis in esse actionis: quo pacto constat ex supra dictis *num.* 3. non distingui realiter, sed esse eandem prorsus actionem. Sed procedit quæstio de eisdem consideratis sub conceptu mutationis: & inuestigamus veritatem, & sensum huius axiomatis, quod frequentissimum est apud Philosophos.

§. I.

Explicatur communis sententia.

16 DIcendum est primo generationem, & corruptionem non esse formaliter, aut identicè eandem mutationem. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 113. *art.* 6. *ad* 2. *& quæst.* 28. *de veritate art.* 1. vbi inquit: *Generatio est mutatio de non subiecto in subiectum, corruptio verò est mutatio de subiecto in non subiectum: & ideo in abiectione vnius affirmati, & adeptione alterius oportet duas mutationes intelligere, quarum vna sit generatio, & altera corruptio &c.* Vnde hanc sententiam tuentur Caiet. & Medina *loco cit. ex* 1. 2. Capreolus *in* 2. *dist.* 13.

quæſt. vnica art. 2. & communiter Thomiſtæ.

Probatur ratione: quia mutationes diſtinguuntur realiter, & formaliter per habitudinem ad terminos *ad quos* primarios, & adæquatè diuerſos: ſed generatio, & corruptio ſunt mutationes tendentes ad terminos *ad quos* primarios, & adæquatè diſtinctos: ergo ſunt mutationes formaliter, & realiter diuerſæ. Minor liquet; ſiquidem generatio terminatur ad *eſſe*; corruptio autem ad *non eſſe*: at *eſſe*, & *non eſſe* nequeunt conſtituere vnum terminum; ſed omnino diſtinguuntur. ¶ Confirmatur primo: quia mutatio poſitiua, & mutatio priuatiua nullo modo identificantur; cum inter ens, & non ens nequeat reperiri identitas, vt liquet ex terminis: ſed generatio eſt mutatio poſitiua; corruptio autem eſt mutatio priuatiua: ergo. ¶ Confirmatur ſecundo: quia in productione vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus datur vera, ac ſubſtantialis generatio: & tamen nulla ibi interuenit ſubſtantialis corruptio: ergo generatio, & corruptio non ſunt eadem realiter mutatio.

17 Secundo probatur concluſio alia ratione fundamentali deſumpta ex D. Thom. *loco cit. ex quæſt.* 28. *de verit.* quoniam in vna ſimplici mutatione duo tantum termini reperiuntur; cum ſit purus tranſitus *à non eſſe* ad *eſſe*, vel ab *eſſe* ad *non eſſe*: in quo diſtinguitur à motu; hic enim eſt tranſitus à ſubiecto in ſubiectum, atque ideo petit quatuor terminos, duos quidem poſitiuos, & duos priuatiuos, vt videre eſt in productione calidi ex frigido: vbi interueniuntur *non eſſe* caloris, & *eſſe* illius; atque *eſſe* frigiditatis, & *non eſſe* eius: ſed ſic eſt, quod in generatione, & corruptione reperiuntur quatuor termini, videlicet *non eſſe* formæ generandæ, & *eſſe* eius; atque *eſſe* formæ corrumpendæ, & *non eſſe* illius: ergo generatio, & corruptio non ſunt vna ſimplex mutatio, ſed duæ.

Dicendum eſt ſecundo generationem ſubſtantialem vnius naturaliter factam, eſſe concomitanter corruptionem alterius, hoc eſt prædictas mutationes habere naturalem connexionem, mutuoque ſibi comitari. Ita Ariſtot. *in hoc lib. text.* 17. vbi inquit: *Interitus huius alterius eſt ortus, & è contra ortus huius, alterius interitus.* Vbi D. Thom. *Vno corrupto*, ait, *generatur aliud, & vno generato aliud corrumpitur: & ſic conſideratur quidam circulus in generatione, & corruptione.* Idemque intendunt Philoſophi, cum communiter aſſerunt generationem vnius eſſe corruptionem alterius.

Fundamentum eſt: quoniam materia prima nequit exiſtere abſque omni forma ſubſtantiali, nec ſimul ſubſterni duabus; & alias ſecundum communem rerum curſum opus eſt, quod materia tempore præcedat generationem, vt ſic poſſit diſponi, præparari, & determinari ad formam generandam: ergo naturaliter loquendo, neceſſarium eſt, quod ad introductionem nouæ formæ expellatur à materia aliqua forma antiqua, & in ea præexiſtens: ergo generatio vnius compoſiti naturaliter

turaliter facta est concomitanter corruptio alterius; alias cum forma noua componeretur antiqua, quod implicat: & corruptio vnius est concomitanter generatio alterius; alias materia relinqueretur absque omni forma, quod etiam repugnat.

§. II.

Enodantur aliquæ obiectiones.

18 ADuersus conclusiones nuper stabilitas non inuenimus aliquam opinionem, quæ probetur Auctoribus. Occurrunt tamen aliquæ obiectiones, quas oportet diluere. Igitur contra primam conclusionem oppones primo D. Thom. *in* 2. *dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. vbi inquit generationem, & corruptionem distingui ratione: ergo non distinguuntur à parte rei.

Respondetur priuationem bifariam considerari: vno modo quatenus est remotio entis; quo pacto reperitur à parte rei, verè quippè homo cæcus habet carentiam visus: alio modo quatenus cõsideratur ad modum entis; qua ratione non inuenitur ante intellectum, sed habet esse obiectiuè in illo. Si ergo corruptio, quæ mutatio priuatiua est, sumatur priori modo distinguitur realiter negatiuè à generatione, & à quolibet ente positiuo: & in hoc sensu loquimur de illa in nostra assertione. Si autem consideretur posteriori modo, sicut est ens rationis, ita per solam rationem à generatione distinguitur: & in hoc sensu intelligendus est D. Thomas. Adde etiam, quod distingui aliqua secundum rationem, sæpè denotat in phrasi S. Doctoris distinctionem, secundum diffinitionem, & essentiam. Vnde ex hac auctoritate non tollitur, sed magis adstruitur distinctio inter generationem, & corruptionem.

19 Secundo obijcies contra eandem conclusionem: quoniam mutationes, sicut & actiones, non multiplicantur penes terminos secundarios: sed ad terminum generationis, nempe ad *esse* formæ denuo genitæ, sequitur *non esse* præexistentis, & ita se habet ad instar termini secundarij: ergo in ordine ad talem terminum non est constituenda mutatio distincta à generatione. ¶ Confirmatur: quia corruptio, & eius terminus sunt de secundaria intentione naturæ: ergo nequeunt constituere mutationem à generatione diuersam.

Respondetur, quod licet actiones non multiplicentur ex terminis, qui absolutè sint secundarij; mutatio tamen potest immediatè ac primario terminari ad terminum, qui alium supponit, & est simpliciter secundarius: quia vna simplex mutatio vnum duntaxat vendicat terminum; alias non erit simplex. Quamvis ergo terminus corruptionis supponat terminum generationis, & ab eo in aliquo genere causetur; non tollitur, quod corruptio sit mutatio à generatione distincta. Sicut etiam terminus volitionis supponit terminum intellectionis: & tamen volitio, & intellectio realiter differunt. ¶ Per quod patet ad confir

confirmationem : quamvis enim actio, vt pote præcipua actualitas agentis, nequat esse de secundaria eius intentione ; mutatio tamen benè potest esse de secundaria intentione naturæ : quocircà non impeditur ex vi huius, quod corruptio importet mutationem à generatione diuersam.

20 Tertio aduersus fundamenta prædictæ assertionis oppones : nam cum aër illuminatur, concurrunt quatuor termini ; siquidem transit aër ab *esse* tenebrosum ad *non esse* tenebrosum, & à *non esse* lucidum ad *esse* lucidum : & tamen in prædicta illuminatione non datur nisi vna simplex mutatio, vt docet D. Thom. *quæst.* 28. *de veritate art.* 6. ergo ex eo, quod in generatione, & corruptione concurrant quatuor termini, non rectè concluditur, quod sint duæ mutationes realiter diuersæ. ¶ Confirmatur : quia in prædicta illuminatione dantur duo termini *ad quos*, nimirum *esse* lucis, ad quod terminatur illuminatio, & *non esse* tenebrarum, ad quod terminatur ipsarum tenebrarum destructio : & nhilominus non datur duplex mutatio : ergo ex distinctione terminorum *ad quos* non benè infertur diuersitas realis inter generationem, & corruptionem in esse mutationis consideratas.

Respondetur negando maiorem : quia cum tenebra non sit aliqua entitas, sed carentia lucis ; negatio tenebræ est negatio negationis : quæ proinde non distinguitur ab entitate lucis, sed est ipsa lux : duæ quippè negationes affirmant, & adstruunt aliquid positiuum. Vnde *non esse* tenebrarum, & *esse* lucis non sunt duo termini ; sed idem. Per quod etiam soluitur confirmatio. Quam solutionem tradit Angelic. Doct. loco in obiectione citato ; cuius verba, etsi aliquantulum diffusa, placuit transcribere ; quia continent elegantem doctrinam, huic materiæ opportunam, & aliis necessariam. *Est autem*, inquit, *oppositorum attendenda quædam differentia : nam quædam opposita sunt ; quorum vtrumque ponit naturam aliquam, vt album, & nigrum. Et in talibus negatio vtriusque est negatio realis, id est, negatio alicuius rei. Et ideo cum fit affirmatio, non fit negatio : quia esse album non est idem, quod non esse nigrum ; sed realiter differunt & ideo corruptio nigri, cuius terminus est non esse nigrum, & generatio albi, cuius terminus est esse album, sunt realiter diuersæ mutationes, quamvis sit vnus motus, vt supra dictum est. Quædam verò opposita sunt, quorum alterum tantum est natura quædam ; reliquum verò non est nisi remotio, vel negatio ipsius, sicut patet in oppositis secundum affirmationem, & negationem, vel secundum priuationem, & habitum. Et in talibus negatio oppositi ; quod ponit naturam aliquam, est realis, quia est alicuius rei ; negatio verò alterius oppositi non est realis : quia non est alicuius rei. Et ideo hæc negatio negationis nihil differt secundum rem à positione alterius : vnde secundum rem idem est generatio albi, & corruptio non albi.* Quia ergo forma corrumpenda est verè entitas, *non esse* illius

illius est vera carentia, & distinguitur à forma generanda; potestque proindè terminare diuersam mutationem. Tenebra autem non est entitas vlla: & ideò *non esse* tenebræ nequit esse vera carentia; sed est ipsa entitas lucis: quocircà non terminat mutationem diuersam ab ea, quæ terminatur ad lucem.

21 Neque refert si opponas, quod si *non esse* tenebrarum esset idem ac lux, vbicumque daretur *non esse* tenebrarum, daretur lux: quod tamen est falsum; quandoquidem Angelus habet carentiam, seu *non esse* tenebrarum: & tamen non habet lucem materialem. Quod satis indicat dari medium inter *non esse* tenebrarum, & *esse* lucis. ¶ Non, inquam, hoc refert: quoniam priuatiuè oppositа opponuntur immediatè in subjecto, cui apta sunt conuenire: quæcumque enim habent priuatiuam oppositionem, determinant vnum subjectum, cui insint, & in quo prædictam oppositionem exerceant: vnde positio vnius non differt ab abjectione alterius, & è contrà. Cæterùm si conferantur cum subjecto, cui inesse non valent, habent medium respectu illius, nempè puram negationem, seu ineptitudinem ad vtrisque: & consequenter ex negatione vnius non affirmatur aliud. Qua de causa lapis nec est videns, nec cæcus; sed negatiuè se habens ad vtrumque: Quamuis aliquod ex iis necessariò conueniat homini. Aër autem est subjectum capax lucis, & priuationis lucis; & consequenter *non esse* prædictæ priuationis est in aëre *esse* lucis. Angelus verò est subjectum ineptum ad habendam lucem: quamobrem *non esse* tenebrarum in Angelo non est *esse* lucis; sed negatiuè se habet ad vtrumque. Ex quo etiam fit, quod *non esse* tenebrarum in aëre, & *non esse* tenebrarum in Angelo sint diuersæ rationis; quia in aëre est priuatio; & in Angelo pura negatio.

22 Quartò, & vltimò objicies contra secundam conclusionem: nam generatio vnius formæ, & corruptio alterius non sunt in eodem instanti: ergo non verificatur, quod generatio vnius sit corruptio alterius, adhuc concomitanter. Suadetur antecedens, tùm quia forma præexistens corrumpitur statim, ac ponitur vltima dispositio ad formam generandam: sed illa ponitur in tempore immediatè antecedenti ad instans generationis: ergo generatio, & corruptio non coëxistunt eidem instanti. Tum etiam, quia materia nequit habere simul duas formas: ergo prius amittit vnam, quam consequatur aliam: ergo generatio vnius præsupponit corruptionem alterius; & consequenter non erunt simul.

Respondetur negando antecedens, quod neutra probatione euincitur: ad primam enim dicendum est dispositionem vltimam ex puris introductiuis componi optimè cum forma corrumpenda, siquidem recipitur in toto composito per ipsam formam constituto: vnde licet hæc dispositio præcedat instans generationis, non sequitur, quod cor-

ruptio illud præcedat. Diſpoſitio autem vltima ſimpliciter, & concomitans formam genitam, habet quidem incompoſſibilitatem cum forma corrumpenda; ſed non ponitur niſi in inſtanti intrinſeco generationis: atque ideò in eodem debet poni corruptio. Ad ſecundam dicimus formam genitam ſupponere corruptionem formæ præexiſtentis, non prioritate *in quo*, ſiue durationis; ſed prioritate *à quo*, ſeu naturæ, quæ coëxiſtentiam inter extrema minimè excludit. Quod perſpicuum fiet ex dicendis *quæſt ſequenti.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum generatio, & corruptio habeant inter ſe ordinem prioris, & poſterioris in diuerſo genere cauſæ.

EA quæ ſtatuimus *diſputatione præcedenti*, *quæſtione vltima*, plurimùm conferunt ad deciſionem præſentis difficultatis; illiſque ſuppoſitis arduum non erit iſtam determinare, & paucis proindè ipſam abſoluemus.

§. I.

Eligitur Sententia Thomiſtica.

23 DIcendum eſt generationem, & corruptionem habere inter ſe mutuum ordinem prioris, & poſterioris in diuerſo genere cauſæ, ita quidem vt generatio ſit ſimpliciter prior in genere cauſæ finalis, efficientis, & formalis, quam corruptio; hæc verò ſit prior generatione in genere cauſæ materialis diſpoſitiuæ. Porrò huiuſmodi prioritas in genere cauſæ materialis non eſt ſimpliciter, & rigorosè talis; ſed dumtaxat ſecundum quid, & reductiuè: corruptio quippè, cùm ſit mutatio priuatiua, nequit gaudere rigoroſa cauſalitate, & qualis requiritur ad prioritatem naturæ ſimpliciter talem. Concluſio ſic intellecta eſt D. Thom. 1. 2. *q.* 113. *art* 8. *ad* 1. & *in* 4. *diſtinct.* 17. *q.* 1. *art.* 4. *quæſtiunc.* 3. vbi hæc habet: *Omnis prioritas ſecundum ordinem naturæ aliquo modo reducitur ad ordinem cauſæ, & cauſati*, &c. *Ex parte autem cauſæ materialis ſe tenet ſecundum quandam reductionem omne illud, per quod materia efficitur propria huius formæ, ſicut ſunt diſpoſitiones, & remotiones impedimentorum. Et ideò in generatione naturali, quando corruptio vnius eſt generatio alterius, & per hoc, quod forma introducitur, alia expellitur, remotio formæ præexiſtentis ſe tenet ex parte cauſæ materialis: & ideò ſecundum ordinem cauſæ materialis præcedit naturaliter introductionem*

ctionem alterius formæ. Sed secundum ordinem causæ formalis est è conuerso : & quia forma , finis & agens incidunt in idem numero , vel specie ; ideò & in ordine causæ efficientis introductio formæ prior est : quia forma introducta est similitudo formæ agentis , per quam agens agit. Et similiter in ordine causæ finalis : quia natura principaliter intendit introductionem formæ , &c. Vnde hæc assertio communis est inter Thomistas , quos proindè superuacaneum esset referre.

24 Fundamentum est , quod tangit Diuus Thomas , & potest sic efformari: quoniam corruptio vnius formæ ordinatur à natura ad generationem alterius : ergo generatio est finis corruptionis , quam proindè præcedet in genere causæ finalis. Deindè , cùm agens attingit plura ordine quodam , id , quod primo attingitur , habet rationem causæ aliqualiter efficientis respectu posterioris : hæc quippè ratione essentia comparatur vt principium effectiuum suarum proprietatum : sed agens naturale non attingit corruptionem vnius formæ , nisi per generationem alterius : hæc igitur se tenet ex parte agentis respectu illius , eritque consequenter prior in genere causæ efficientis. Tandem expulsio vnius formæ est effectus formalis secundarius introductionis alterius ; siquidem causatur ex vi informationis : ergo in genere causæ formalis generatio præcedit corruptionem. ¶ Quod autem corruptio in genere causæ materialis dispositiuæ sit prior , quam generatio (in quo est major difficultas) sic ostenditur : quia id , quod se tenet ex parte materiæ illam expurgans , remouensque omnia impedimenta , quæ possent formæ introductioni obstare , debet esse prius ipsa generatione in genere causæ materialis dispositiuæ : sed corruptio se tenet ex parte materiæ ; siquidem ei immediatè inest : & remouet ab ea impedimentum maximum ad generationem , videlicet formam præexistentem , cum qua aduenies est incompossibilis : ergo corruptio est prior generatione in genere causæ materialis dispositiuæ.

Confirmatur exemplo, quod *disp. præced. n.* 69. expendimus : nam ingressus aëris continuò impellentis fenestram , & ingredientis per illam est prior simpliciter , quam fenestræ apertio : & hoc non obstante, prædicta apertio in genere causæ materialis dispositiuæ præcedit ingressũ, & illum causat; cùm sit dispositio omninò requisita, vt ingrediatur aër: ergo optimè componitur, quod corruptio sit posterior quam generatio in pluribus generibus, atque simpliciter; & quod nihilominus sit prior quam ea in genere causæ materialis , saltem secundum quid , & per quandam reductionem.

§. IV.

Respondetur argumentis aduersis.

25 SEntentia S. Doctoris displicuit Francisco Suario *disputatione* 27. *Metaphys. sect.* 11. qui asserit corruptionem esse omninò posteriorem generatione , etsi illam

in eodem instanti comitetur. Et potest suaderi primò: nam forma præexistens non expellitur, nisi quia noua forma introducitur; ita vt adæquata causa corruptionis sit generatio: ergo corruptio vnius formæ non potest intelligi ante expulsionem alterius: ergo corruptio in nullo genere est prior quam generatio. Patet consequentia: quia si in aliquo genere esset prior, posset in illo intelligi ante generationē.

Respondetur generationem esse causam corruptionis in genere causæ finalis, formalis, & efficientis: vnde in iis generibus nequit corruptio præcedere generationem, vel intelligi ante illam. Hoc tamen non tollit, quod corruptio in alio genere, nempè in genere causæ materialis dispositiuæ sit causa generationis, vt constat ex dictis. Et quia prioritas naturæ est idem re ipsa, ac causalitas, & independentia in aliquo genere; nequit non corruptio in dicto genere causæ materialis dispositiuæ generationem præire. Nec tamen sequitur, quod in illo genere intelligatur sine generatione; hoc enim impossibile est; cùm causa actu causans necessariò coëxistat effectui: sed tantùm infertur, quod corruptio intelligatur in recto, & per modum causæ; generatio verò in obliquo, & ad instar effectus: in hoc quippè consistit prioritas naturæ.

26 Secundò arguitur: quia implicat, quod effectus formalis & secundarius sit in aliquo genere prior, quam causa formalis, cùm ab ea sub omni ratione dependeat, & supponat effectum primarium: atqui corruptio, seu *non esse* formæ præexistentis est effectus formalis secundarius formæ denuò introductæ, vt suprà statuimus: ergo repugnat corruptionem esse vllo modo priorem forma genita, & generatione illius.

Respondetur, quod licet effectus formalis secundarius, quatenus est effectus formalis, & se tenet ex parte formæ nequeat illam præcedere; attamen quatenus se tenet ex parte materiæ, & disponit ad formam, queit optimè præcedere illam; non quidem quatenus causa est, sed sub ratione effectus, & dependentis. Quamuis enim causa sub ratione causæ nequeat esse effectus, aut posterior; potest tamen sub alia ratione habere rationem effectus, & posterioris. Et similiter licet effectus sub ratione effectus non valeat esse causa; queit nihilominus sub alio conceptu causæ rationem induere. Causæ quippè ad inuicem sunt causę vt tenet commune Philosophorum proloquium. Quia ergo corruptio, quæ est effectus formalis secundarius formæ genitæ, & generationis illius; se tenet ex parte materiæ, & illam omninò expurgat à cunctis impedimentis, quæ possent generationi obsistere: idcircò potest, & debet generationem præcedere in genere causæ dispositiuæ: sicut etiam accidentia concomitantia sunt effectus secundarius formæ; & nihilominus valent ad eam disponere, & in disponendo antecedunt illam.

Alia argumenta possemus aduersus hanc conclusionem efforma-

re,

re, quibus ostenderetur non posse aliquid esse prius, & posterius alio in diuerso genere causæ. Verum iis, sicut continent communem difficultatem, occurrendum est communi, & vera solutione, quam adhibuimus *disp. præced. quæst. vlt.* quamobrem illa in præsenti non inculcamus. In calce tamen huius quæstionis; & totius disputationis obseruandum est aliquos disquirere in præsenti, an in corruptione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam. Cuius difficultatis resolutionem *quæst. 6.* præcedentis disputationis vt proprio loco conuenienter attexuimus: quocircà hìc ab ea supersedendum est.

DISPVTATIO IV.

De Alteratione.

INTER omnes motus physicos nullus generationi substantiali immediatiùs, aut principaliùs deseruit, quàm alteratio: & ideò post sufficientem notitiam generationis, & corruptionis, quam dedimus *disputationibus præced.* recto ordine procedimus vnà cum Aristotele, ad exponendum naturam, & species alterationis: pro quo sequentem disputationem instituimus.

QVÆSTIO I.

Quid sit motus alterationis?

NOnnulla ex iis, quæ in præsenti dicemus, jam, etsi breuiter, exposuimus *in lib. Physic. disp. 22. q. 1.* quæ oportet vocare iterum ad examen, vt majorem lucem accipiant. Nulla autem difficultas est circa existentiam alterationis: eam quippè sensibus experimur, insuperque ratio probat, vt constat *ex supradictis disp. 2.* Quamobrem, relicta quæstione *an est*, explicanda est quæstio *quid sit*: quod aptè præstare non valebimus, nisi prælibando aliqua ex quibus pendet intelligentia eorum,

quæ in hac quæst. imò & in tota disputat. dicemus.

§. I.

Obseruantur aliqua ad decisionem quæstionis.

1 QVemadmodum est proprium differentiæ essentialis facere *aliud*, hoc est, in essentia, aut essentialiter diuersum; ita differentiæ accidentali specialiter conuenit facere *alterum*, siue *alteratum*, id est, non essentialiter, sed accidentaliter solùm distinctum, vt ex Porphyrio vidimus *in Logica disp. 6. in principio.* Qua de causa quoties subiectum recipit aliquam formam accidentalem, quæcumque illa sit, dicitur *alterari*, id est accidentaliter immutari; coincidit-que hoc pacto alteratio cum mutatione accidentali vniuersalissimè sumpta, atque ideò comprehendit augmentationem, lationem, & alios motus, atque mutationes: quæ tamen certum est non posse veræ, & propriæ alterationis propriam conditionem sortiri. Vnde alteratio sic sumpta non spectat ad præsentem disputationem; sed per plura diuagatur.

Solet deinde *alteratio* peculiariter vsurpari pro omni & sola mutatione ad qualitatem terminata: quia qualitas ex communi Doctorum vsu est forma accidentalis, cui specialiter conuenit facere alterum, vel alteratum: de quo videndus est D. Thom. *in 1. dist. 17. q. 2. art. 1. ad 5.* & in hoc sensu omnis mutatio terminata ad qualitatem dicitur alteratio: siue qualitas sit physica, siue intentionalis; siue sit naturalis, siue supernaturalis; & siue mutatio sit actus imperfecti, siue perfecti. Ob quam rationem alteratio sic accepta excedit captum physicum; cùm comprehendat mutationes alterius ordinis: & ideò non pertinet per se ad præsentem disputationem, licet non poterimus non aliqua de qualitatibus spiritualibus ingerere, dùm de intensione qualitatum tractauerimus.

2 Sumitur adhuc magis strictè, & propriè *alteratio* pro omni, & sola mutatione physica ad qualitatem terminata, quæ sit actus imperfecti: siue talis mutatio sit instantanea, vt productio lucis; siue sit motus successiuus, vt productio calidi ex frigido. Et hoc pacto alteratio pertinet per se ad physicum institutum, comprehenditurque sub definitione motus tradita ab Aristot. 3. *Physic.* vt ibidem statuimus *disp. 16. q. 2.* Cæterum quia in præsenti agimus de alteratione, quatenus deseruit generationi substantiali, quæ principaliter respicitur in hoc opere; & hoc, quod est disponere ad generationem non conuenit simplici, & instantaneæ mutationi, sed motui strictè sumpto: ideò alteratio in prædicto sensu accepta à præsenti tractatu, per se loquendo, amandanda erat.

Alteratio ergo omninò propriè, ac rigorosè considerata importat motum à contrario in contrarium habentia inter se aliquam latitudinem, quæ valeat successiuè percurri:

curri : atque ideò est motus successiuus, & rigorosus. Ob quam etiam causam vendicat sibi optimo & peculiari titulo alterationis nomen : quoniam sicut subjectum non dicitur propriè *pati*, cùm recipit formam sibi congruam ; sed cùm illi imprimitur aliquid dissonum ; ita nec dicitur *alterari*, recipiendo vtcumque qualitatem ; sed quando illam recipit amittendo statum, & qualitates, in quibus præexistebat. Hoc autem contingit, quoties datur motus ad qualitatem strictè acceptus : tunc enim destruitur terminus *à quo* positiuus, & inducitur terminus *ad quem* ipsi contrarius, & per consequens interuenit ibi rigorosa passio, & transmutatio, quam alterationis nomen, ex communi sapientum acceptione, dicit. Et alteratio sic sumpta deseruit proximè generationi, & de ea cum Aristot. loquimur in hac disput. Cæterum ob connexionem doctrinæ compellemur aliqua examinare, quæ alterationi strictè sumptæ, & per se pertinenti ad hunc tractatum sunt communia cum alteratione minus propriè accepta, & provt ad qualitates spirituales etiam extenditur. Claritatis tamen gratia in his prioribus quæstionibus proponemus ea, quæ motui alterationis specialiter competunt : exindè verò in sequentibus tractabimus ea, quæ omni alterationi sunt communia.

3 Denique supponendum est ex Aristotele *in hoc libro textu.* 23. Diuo Thoma *ibidem lect.* 10. & *in* 1. 2. *quæst.* 50. *articulo primo*, motum alterationis non terminari per se ad omnes qualitates, sed solum ad qualitates tertiæ speciei, nempè ad passionem, & passibilem qualitatem, v. g. ad calorem, frigiditatem, albedinem, nigredinem, &c. Quod admittunt communiter Doctores, & potest breuiter suaderi : quia terminare per se motum nihil aliud est, quam terminare motum immediatè, & ratione sui, vt diximus *in libro Physic. disputat.* 22. *quæstione prima* : sed hoc non conuenit qualitatibus primæ, secundæ, & quartæ speciei : ergo solum qualitates tertiæ speciei terminant per se motum. Consequentia patet : quia aliquæ qualitates debent per se terminare motum. Minor autem probatur : quoniam qualitates secundæ speciei, nempè naturalis potentia, & impotentia, cùm sint quædam proprietates, non fiunt per se, sed resultant ad productionem essentiæ ; pariter qualitates quartæ speciei, nimirum forma, & figura, resultant ex terminatione quantitatis, atque ideò producuntur ad productionem, vel diuisionem illius : qualitates autem primæ speciei, videlicet habitus, & dispositio vel sunt qualitates purè spirituales, & intentionales, vt scientia, atque species intelligibiles, & sensibiles, & sic euidens est non fieri per motum physicum ; si verò fuerint qualitates corporeæ, vt sanitas, & pulchritudo, non fiunt per motum ad ipsas immediatè terminatum ; sed resultant ex temperamento aliarum qualitatum :

tatum: ergo nullæ qualitates niſi tertiæ ſpeciei terminant per ſe motum. Quod magis conſtabit ex dicendis.

§. II.

Reſpondetur quæſtioni.

4 Dicendum eſt alterationem ſtrictè dictam eſſe *motum ſubſtantiæ completæ mobilis ab vna in aliam paſſionem, vel paſſibilem qualitatem habentem latitudinem cum contrarietate.* Hæc definitio deſumitur ex Ariſtot. & D. Thom. *locis ſuprà citatis*, & ſolum eget breui expoſitione. Ly *motus* ſumitur pro motu rigoroſo, & in tali ratione tanquam in genere conuenit alteratio cum augmentatione, & latione. Ponitur deindè, *ſubſtantiæ completæ*: quia alteratio non recipitur in ſola materia prima; ſed in toto compoſito, vt determinat Ariſtot. *in hoc lib. text.* 24. Additur præterea, *mobilis ab vna in aliam paſſionem, vel paſſibilem qualitatem*, ad declarandum, quod alteratio terminatur per ſe ad ſolas qualitates tertiæ ſpeciei, juxta ea, quæ proximè prænotauimus. Tandem adjicitur, *habentem latitudinem cum contrarietate*, vt intelligatur non dari per ſe motum alterationis ad omnes, & ſingulas qualitates tertiæ ſpeciei, ſed ſolum ad eas, quæ habent latitudinem, & fiunt ex contrario poſitiuo: lux enim eſt qualitas tertiæ ſpeciei; & tamen non terminat alterationem rigoroſam defectu harum conditionum.

Hinc apparet, quam legitima ſit prædicta definitio, ſaltem pro qualitate materiæ (quod ideò dicimus, quia motus, cùm ſit ens ſecundum quid, non poteſt omninò exactè definiri) nam vt tradit Angelicus Doct. *de ſenſu, & ſenſato lect. 6.* & ſtatuimus *in Logica diſp. 5. quæſt. 1.* quando accidens definitur in abſtracto, debet in eius definitione poni loco generis id, quod verè habet rationem gradus generici, & communis; loco verò differentiæ debet conſtitui ſubjectum proprium accidentis definiti, vt cùm dicitur, ſimitas eſt curuitas naſi: ſed in præſenti definitur alteratio in abſtracto, reſpectu cuius motus habet rationem generis, & proprium ſubjectum eſt ſubſtantia completa, quatenus mobilis in paſſionem, vel paſſibilem qualitatem: ergo rectè definitur alteratio per hoc, quod ſit motus ſubſtantiæ completæ mobilis ab vna in alteram paſſionem, &c.

5 Sed aduerſus vltimas huius definitionis particulas objicies primò: nam Ariſtot. poſtquam explicuit naturam alterationis, ſtatim poſuit exempla in qualitatibus primæ, & quartæ ſpeciei, nempè in ægritudine, & figura, dicens: *Puta corpus ſanum eſt, & rurſus laborat manens idem: & metallum quandoque rotundum, quandoque angulare, idem verò exiſtens:* ergo motus alterationis minus benè reſtringitur ad qualitates tertiæ ſpeciei.

Huic objectioni occurrit D. Th. *lect.* 10. his verbis: *Dicendum, quod primo, & per ſe alteratio eſt in qualitatibus tertiæ ſpeciei; per accidens autem, mediantibus aliquibus qualitatibus,*

tibus, & ex consequenti fit alteratio in aliis speciebus: sicut per aliquam alterationem calidi, & frigidi mutatur homo de sanitate in ægritudinem, & è conuerso: & per alterationem mollis, & duri perducitur corpus ad aliquam figuram. Potuit autem Aristot. citra vitium ponere exemplum in prædictis qualitatibus: quia etsi alteratio non attingat illas per se primo; verè tamen illas attingit: & prædicta attingentia est nobis notior quam productio primarum qualitatum, quæ pertinent ad tertiam speciem: videmus enim manifesta experientia hominem alterari, cum ægrotat.

6 Replicabis: calor sapor, ordor, & aliæ secundæ qualitates resultant ex mixtione primarum, nempe caloris, frigiditatis &c. & tamen terminant per se motum alterationis; cum sint qualitates tertiæ speciei: ergo licet sanitas supponat alterationem factam in aliis qualitatibus, & resultet ex illa; poterit tamen terminare per se alterationem.

Respondetur, quod licet alteratio terminetur per se ad solas qualitates tertiæ speciei; non tamen terminatur ad omnes, sed solum ad illas, quæ sunt aptæ ad terminandum per se, & immediatè motum. Vnde si color, & aliæ qualitates, quæ in hac replica recensentur, non habent conditiones ad id requisitas, fient per solam resultantiam ex primis: neque ex illis desumetur argumentum contra solutionem D. Thom. sed potius eam roborabunt. Veritas tamen est, quod prædictæ qualitates terminant per se motum: tum quia fieri queunt absque alteratione præuia primarum. Tum quia licet supponant alterationem terminatam ad primas qualitates; habent tamen ex se omnes conditiones requisitas ad terminandum per se distinctum motum, & illum de facto terminant. Sicut etiam augmentatio supponit alterationem, & nihilominus est verus motus ab ea distinctus: & volitio prærequirit intellectionem, & tamen vtraque est vera actio. Sanitas autem non habet conditiones necessarias; vt terminet per se motum: quia vel non est vna qualitas, sed plures qualitates temperatæ, aut temperamentum qualitatum: vel quia supposita alteratione terminata ad alias qualitates & earum temperie, statim sine nouo motu, qui superflueret, adest sanitas.

7 Secundo obijcies: habitus v. g. erroris habet rigorosam contrarietatem cum scientia; habet etiam latitudinem, & diuisibilitatem, siquidem potest intendi, & remitti: ergo habet omnes conditiones requisitas, vt terminet per se motum: & tamen est qualitas primæ speciei: ergo &c. Idemque argumentum potest fieri in omnibus habitibus inter se cõtrarijs.

Respondetur negando primam consequentiam: primò quia motus alterationis est mutatio physica, & deseruiens transmutationi substantiali: quocircà debet terminari per se ad qualitates physicas, sensibiles, & deseruientes generationi: quales non sunt scientia, error, & alij habitus. Vnde mutatio ad illas terminata, solum analogicè potest dici alteratio propter aliquam similitudinem cum vera, & rigorosa alteratione. Quod tradit Angelicus Doct.

in 1. *d.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 5. his verbis. *Alio modo dicitur proprie passio, quando abijcitur aliquid à substantia: & hoc est ex actione contrarij transmutantis: & secundum istam passionem alteratio dicta non est, nisi circa sensibilia, & circa sensibilem partem animæ per se.* Secundo: quoniam ad motum alterationis requiritur quod vnum contrarium fiat per se ex suo contrario: ad acquisitionem autem erroris per accidens est, quod in subiecto prius fuerit scientia; & è conuerso: quocirca prædictæ qualitates non terminant per se motum. Quam doctrinam eleganter prosequitur D. Thom. *lib. de Anima lect.* 11. his verbis: *Sed dicendum, quod cum aliquis ab errore reducitur ad scientiam veritatis, est ibi quædam similitudo alterationis, quæ est de contrario ad contrarium; non tamen verè est ibi talis alteratio; nam alterationi, quæ est de contrario in contrarium, vtrumque per se; & essentialiter competit, scilicet, quod fit à contrario, & quod fit in contrarium &c. Sed in acquisitione scientiæ accidit; quod ille, qui acquirit scientiam veritatis, prius fuerit in errore: absque hoc enim potuit adduci ad scientiam veritatis: vnde non est verè alteratio de contrario in contrarium.* Itaque vt scientia fiat per se, non petit fieri ex errore, sicut ex termino à quo: calidum autem v. g. quoties producitur per se, fit ex frigido; si verò non fiat ex suo contrario, non producitur per se, sed per puram resultantiam. Et idem est de aliis qualitatibus, quæ terminant per se alterationem.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit motus alterationis.

EXplicata natura motus alterationis, sequitur, quod illum in proprias species diuidamus. Minime tamen intendimus designare omnes species atomas illius: tum quia hoc esset in infinitum procedere: tum quia ex dictis *in Physic. disp.* 22. *quæst.* 2. constat motum specie multiplicari iuxta multiplicitatem formalem termini *ad quem*, ac proinde calefactionem, & frigefactionem specie distingui propter diuersos terminos formales, & idem est de aliis motibus. Procedit igitur præsens difficultas circa species subalternas, & generalissimas motus alterationis, sub quibus omnes aliæ infimæ comprehenduntur.

§. vnicus.

Statuitur communis sententia, & ab obiectionibus vindicatur.

8 DIcendum est motum alterationis diuidi adæquate in alterationem particulariter dictam intensionem, & remissionem. Hæc est Aristot. & D. Thom. 5. *Physic. sic & in præsenti textu.* 31. quos sequuntur Caiet. 2. 2. *quæst.* 24. Bañez *in hoc libro cap.* 4. *q.* 2. *concl.* 2. & communiter Doctores. Explicatur conclusio:

cluſio : nomine *alterationis*, quæ eſt membrum diuidens, non intelligimus alterationem in communi, quæ habet rationem diuiſi; ſed motum terminatum ad ipſam entitatem qualitatis, vt acquirendam ex aliquo contrario poſitiuo. Ob penuriam tamen nominum inſignitur prædictus motus nomine communi alterationis; ſed claritatis, & diſtinctionis gratia poteſt appellari *alteratio ſimplex*, vel particulariter dicta. *Intenſio* verò eſt motus ſupponens entitatem qualitatis, & reſpiciens per ſe primo augmentum eius penes eſſe magis perfectum. *Remiſſio* autem è contra eſt motus reſpiciens per ſe minorationem qualitatis, ſeu reducens illam ad imperfectius eſſe. Quo ſuppoſito,

Probatur aſſertio : nam alteratio, ſicut, & alij motus, ſumit ſuam diſtinctionem ex termino *ad quem*: ſed triplex poteſt excogitari terminus *ad quem* alterationis vniuerſaliſſimè acceptæ, nempè qualitas ſecundum ſuam entitatem ad quam terminatur *alteratio ſimplex*; eſſe magis perfectum, ad quod tendit *intenſio*; & eſſe minus perfectum eiuſdem qualitatis, quod reſpicit *remiſſio* : ergo triplex eſt motus alterationis, videlicet alteratio, intenſio, & remiſſio.

Confirmatur : quia intenſio, & remiſſio ſunt duo motus alterationis eſſentialiter diuerſi, vt conſtat tum ex communi ſententia Doctorum, tum quia ita ſe habent reſpectu qualitatis, ſicut ſe habent reſpectu quantitatis augmentatio, & diminutio, quæ ſunt motus eſſentialiter diſtincti : ſed præter intenſionem, & remiſſionem ponendus eſt motus alterationis ab eis eſſentialiter diuerſus : ergo. Suadetur minor : nam ideo intenſio, & remiſſio diſtinguuntur eſſentialiter, quia attingunt terminos eſſentialiter diſtinctos nimirum eſſe magis perfectum, & eſſe minus perfectum qualitatis : ſed alteratio attingit terminum eſſentialiter ab iis diuerſum; ſiquidem terminatur per ſe primo ad entitatem qualitatis, & ex conſequenti ad modum illius : ergo eſt motus eſſentialiter differens ab intentione, & remiſſione. Tres igitur ſpecies vniuerſaliſſimæ motus alterationis quas recenſuimus, admittendæ ſunt. Et cum alias nequeat excogitari alius terminus; quandoquidem in qualitate, ad quam per ſe primo tendit alteratio, ſolum poteſt conſiderari vel entitas illius, vel modus maioris perfectionis, vel modus minoris perfectionis : planè ſequitur tres, & non plures eſſe alterationis ſpecies ſubalternas.

9 Sunt tamen aduerſus noſtram concluſionem aliquæ obiectiones, quas oporter diluere. Obijcies ergo primo : motus, qui terminatur ad quantitatem, ſolum eſt duplex, nimirum augmentatio, & diminutio : ergo pariter reſpectu qualitatis ſolum erit duplex motus, videlicet intenſionis, & remiſſionis.

Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam : & ratio diſparitatis eſt, quod quantitas, quãdo primo producitur, ſemper fit per reſultantiam, ſeu naturalem ſequelam, eo quod eſt debita ſubſtantiæ corporeæ in inſtanti generationis:

vnde ſolum queit terminare per ſe motum, quatenus poſtea fit maior vel minor, & conſequenter tantum eſt capax terminandi augmentationem, vel diminutionem. Cæterum qualitas ſecundum entitatem acceptа, & vt primo producta, non eſt debita ſemper, & cuiuis ſubiecto in inſtanti generationis, imo frequenter eſt quid extraneum, & violentum vt patet in calore impreſſo aquæ. Quamobrem, cum alias habeat omnes conditiones requiſitas ad terminandum per ſe motum, vt conſtat ex dictis *quæſt. præced.* non eſt cur non terminet peculiarem motum. Nequit autem qualitas, cum primo fit, attingi per intenſionem, vel remiſſionem: quia ij motus ſupponunt qualitatem iam productam: & idcirco terminat alium motum diſtinctum, qui appellatur alteratio ſimplex, vel particulariter dicta. Adde, quod quantitati nihil eſt contrarium ſecundum ſe; ſed ſolum ratione maioritatis, & minoritatis, vt obſeruauimus *in lib. Phyſic. diſp.* 22. *quæſt.* 1. & ideo ſolum terminat motum augmentationis, & diminutionis. At inter qualitates ſecundum ſe acceptas poteſt eſſe contrarietas, vt inter calorem, & frigiditatem: quare cum calidum primo ſit ex frigido, terminat per ſe motum, qui non eſt intenſio, ſed dicitur alteratio.

10 Obijcies ſecundo: vt detur motus rigoroſus, petit ex parte termini aliquam latitudinem: ſed latitudo qualitatis tantum eſt intenſibilitas, & remiſſibilitas: ergo qualitas ſolum terminat motum intenſionis, & remiſſionis. Minor liquet: quia qualitas præciſis modis maioris, & minoris perfectionis, ſolum dicit propriam entitatem, quæ præſcindit ab omni latitudine. ¶ Confirmatur: quia qualitas nequit produci niſi vnita ſubiecto; nec illi vniri, niſi ſub eſſe intenſo, vel remiſſo: ſed producta, & vnita ſub eſſe intenſo terminat motum intenſionis; & ſub eſſe remiſſo fit per motum remiſſionis: ergo ad qualitatem ſolum poteſt dari duplex motus, nimirum intenſio, & remiſſio.

Reſpondetur admittendo, quod non detur alia latitudo ex parte qualitatis niſi intenſibilitas, aut remiſſibilitas: negandum tamen eſt, quod qualitas ſolum terminet intenſionem, & remiſſionem. Etenim intenſio non attingit vtcumque modum maioris perfectionis; ſed eſt motus, qui poſt qualitatem productam ſuperuenit, & eam magis radicat in ſubiecto, vt poſtea declarabimus: atque ideo non tendit per ſe primo ad entitatem qualitatis attingendam. Quamobrem admittendus eſt alius motus, qui dicitur alteratio, attingens qualitatem vt primo factam ex ſuo contrario; licet illam attingat non nude ſumptam, ſed quatenus ſtat ſub aliquo modo radicationis, ſiue intenſionis: qua de cauſa poteſt appellari intenſio, non propriè, & per ſe primo, ſed ſolum conſecutiuè. Vnde licet qualitas non habeat latitudinem independenter ab aliquo modo intenſionis, & remiſſionis; poteſt tamen prædictus modus bifariam attingi: nam in motu alterationis particulariter dictæ terminus formalis eſt ipſa qualitas; radicatio autem, vel intenſio illius

illius solùm se habet vt actualis, & intrinsecus modus termini formalis: at in motu intensionis propriè dictæ terminus formalis non est ipsa qualitas, quæ jam supponitur producta; sed est ipse modus majoris radicationis. Per quod etiam constat ad confirmationem: nam licet qualitas semper producatur sub aliquo modo intentionis, aut remissionis; terminus tamen formalis primæ illius productionis non est ille modus, sed qualitas stans sub modo. Et cùm talis productio sit à contrario positiuo, in contrarium positiuum; non potest non esse motus propriè, & strictè, quem appellamus alterationem simplicem, seu particulariter dictam.

11 Sed contra hanc doctrinam insurges: nam vna, & eadem actio nequit simul esse productio, & conseruatio; aliàs simul haberet duas species, quod repugnat: sed si vnus & idem motus absque interruptione attingeret qualitatem, & modum intensionis illius, simul esset productio, & conseruatio; siquidem respectu modi, quem actu produceret, haberet rationem productionis; respectu vero qualitatis haberet rationem conseruationis, cum illam produxerit priusquam modum: ergo repugnat, quod vna, & eadem actio producat qualitatem, & simul attingat modum intensionis illius.

Respondetur, quod quidquid sit, an eadem actio, & respectu eiusdem termini formalis queat esse simul productio, & conseruatio; nulla tamen est implicatio in eo, quod sit conseruatio vnius termini, & productio alterius. Si enim Angelo non essent in primo instanti creationis communicaræ suæ proprietates, & modo resultarent; eadem actio haberet simul rationem conseruationis respectu substantiæ angelicæ, quæ supponitur; & rationem productionis respectu proprietatum, quæ modo fiunt. Nec hinc sequitur, quod eadem actio sit in duplici specie; ad hoc enim oportebat, quod simul, & per se primo simul esset conseruatio, & productio: quod non inuenitur in præsenti; siquidem solum habet rationem productionis respectu termini secundarij in tempore, quo istum attingit. Solùm igitur infertur, quod eadem actio per ordinem ad diuersos terminos sortiatur diuersas denominationes: in quo nulla apparet implicatio, vt appareat in amore Dei, qui respectu bonitatis diuinæ appellatur necessarius, & respectu creaturarum dicitur liber. Vnde cum qualitas, & modus eius distinguantur realiter, neutiquam repugnat, quod motus alterationis in tempore, quo producit modum, dicatur conseruatio respectu qualitatis, quæ est terminus primarius illius, & supponitur *producta*, & vocetur simul productio respectu modi intensionis, quem attingit secundario, & tanquam modificationem termini formalis.

QVÆSTIO III.

Vtrum motus alterationis ſit continuus.

NOmine alterationis continuæ non intelligitur aliqua alteratio, quæ ſit perpetua, & coœua motui cœli. Supponimus enim non dari talem alterationem. Quo ſenſu Ariſtot. 8. *Phyſic. text.* 23. dicit: *Dicere alterationem fieri continuè eſt aduerſari valde manifeſtis:* & D. Th. *in* 1. *diſt.* 8. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 3. *Sicut Commentator probat in* 8. *Phyſic. nullus alius motus eſt ſimpliciter continuus niſi motus localis.* Sed ſenſus tituli eſt vtrum motus alterationis ſit continuus, ſaltem per aliquod ſpatium, v. g. per vnam horam; licet tandem aliquando interrumpatur. Nomine autem alterationis non intelligimus quamcumque mutationem phyſicam terminatam ad qualitatem: illa enim, quæ non procedit à contrario poſitiuo, ſed ſolum à termino priuatiuo, qualis eſt ſimplex tranſitus ſubiecti à non eſſe caloris ad eſſe illius, nequit eſſe continua, ſed inſtantanea; cum inter terminum à quo, & ad quem nulla detur latitudo, ſed proceſſus immediatus. Nomine igitur motus alterationis intelligimus motum ſucceſſiuum, & ſtricte dictum, qualem ſupra deſcripſimus *num.* 2. & de hoc inquirimus, an ſit continuus, hoc eſt, an fieri queat continuè, & abſque interruptione per aliquod tempus. Porrò ſub motu alterationis comprehendimus tres ſpecies alterationis *queſtion. precedenti* aſſignatas.

§. I.

Eligitur communior opinio.

12 DIcendum eſt motum alterationis eſſe continuum. Hanc ſtatuunt Ariſtot. & D. Thom. locis ſtatim referendis, quos ſequũtur Soto, Maſius, Oña *lib.* 3. *Phyſic.* Bañez *in hoc lib. c.* 4. *quæſt.* 6. Suarez *diſp.* 46. *Metaph. ſect.* 3. & alij plures tam ex antiquis, quam ex modernis interpretibus.

Probatur primo ex Ariſtot. 45. *Phyſic. text.* 18. vbi determinat tres eſſe ſpecies motus continui, ſiue rigoroſi, nempe augmentationem, alterationem, & lationem: & *text.* 39. concludit: *Cum autem omnis motus continuus ſit, ſi omnis eſt diuiſibilis, eum qui ſimpliciter vnus eſt, & continuum eſſe neceſſe eſt, & ſi continuus eſt vnus eſt.* ¶ Confirmatur ex D. Thom. *in hoc libr. text.* 84. *lect.* 24. vbi inquit: *Motus continuus non eſt, niſi in tribus generibus, ſcilicet quantitate, qualitate, & vbi. Et in* 2. *d.* 5. *qu.* 2. *art.* 1. ait: *Quia alteratio eſt motus continuus, ideo principium alterationis, & medium, quo materia diſponitur ad formam ſubſtantialem tempore precedunt introductionem formæ ſubſtantialis.* Idemque repetit in pluribus alijs locis.

Et licet hæc concluſio ſatis conſtet *ex dictis in lib. Phyſic. diſp.* 22. *quæſt.* 1. vbi ſtatuimus; & oſtendimus qualitatem eſſe aptam ad termi-

minandum motum successiuum, siue strictè sumptum, de cuius ratione est esse continuum (siquidem repugnat motum successiuum esse vnum numero, & non esse continuum, vt ibidem docuimus *quæst.* 3. potest tamen iterum breui, atque efficaci ratione suaderi: nam agens naturale debitè applicatum passo agit in illud: sed ignis v. g. potest per tempus continuum esse applicatum passo habenti aliquid frigiditatis v. g. aquæ: ergo aget per alterationem continuam introducendo calorem, & expellendo frigus. Patet consequentia: nam qua parte datur in passo frigiditas resistens introductioni caloris, nequit hic instantaneè induci; & qua parte per tempus non interruptum ignis est debite applicatus, & potens ad agendum, debet continuo, & absque interruptione agere; nec adest rationabile fundamentum ad oppositum. Si enim quia ignis est in aliquo instanti debite approximatus, agit in illo instanti producendo minimum calorem vt Aduersarij docent; cur si queit esse applicatus per continuum tempus, non alterabit continuo.

Respondent, quod ignis in tempore sequenti ad instans, in quo produxit minimum caloris, agit quidem non producendo calorem, sed disponendo subiectum per raritatem vt in instanti immediate sequenti producatur alius minimus calor. ¶ Sed hac solutione vel inuiti trahuntur ad concedendum id, quod intendimus: etenim raritas est quædam qualitas, vt infra ostendemus *disp. 6. qu. vnica*, motúsque ad illam terminatus est vera alteratio: ergo si raritas producitur in tempore, plane infertur fieri alterationem in tempore, & consequenter esse continuam.

§. II.

Respondetur argumentis negatiuæ sententiæ.

13 OPinio contraria tenet alterationem non posse fieri continuò; sed necessario interrumpi: autumat enim, quod in vno instanti producitur minimus calor, & in tempore sequenti quiescit ignis v. g. à productione, & aqua à receptione caloris; & rursus in instanti sequenti producitur alius minimus calor: & consequenter calefactionem coalescere ex pluribus mutationibus instantaneis, & discretò succedentibus. Ita Capreol. *in primo distinct. 7. quæstion. 2. articulo 2.* Ferrara 8. *Physic. quæstion. 7.* & alij.

Probatur primo: quia ad continuationem motus requiritur, quod detur latitudo, & diuisibilitas ex parte termini: sed terminus motus intensionis est indiuisibilis: ergo intensio non est motus continuus. Probatur minor: quia intensio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum, vel partis ad partem in eadem qualitate; sed fit per productionem cuiusdam modi majoris radicationis, qui est formaliter indiuisibilis, vt constabit ex dicendis.

Hoc argumentum, cui ista sententia plurimum fidit, probat nihil posse

posse terminare motum continuum nisi solam quantitatem; quandoquidem sola quantitas est formaliter diuisibilis, & habet partes actuales; reliquæ vero formæ non habent ex se partes actuales, nec diuisibilitatem proximam. Constat autem, quod saltem ad *vbi* quidquid sit de aliis, datur motus continuus, vt supra vidimus ex D. Th. & docent communiter omnes Interpretes 5. *Physic.* Vnde argumentum nuper factum dissoluendum est ab omnibus. Respondemus ergo, quod licet qualitas sit formaliter indiuisibilis, & careat partibus actualibus, qualitas tamen corporea (quæ sola queit fieri per motum alterationis) habet virtualem diuisibilitatem, & communicatur subiecto extenso, atque ideo, vbi adest contrarium retardans eius introductionem, debet fieri, & communicari continuo. Sicut etiam anima rationalis est formaliter indiuisibilis: & tamen quia habet virtualem, aut eminentialem diuisibilitatem, informat corpus extensum; imò vero est terminus ad quem nutritionis, quæ est mutatio continua, vt infra declarabimus *disput. 5. quæst. 3.* Similiter & *vbi* non est accidens habens ex se formalem diuisibilitatem in esse entis: & tamen quia communicatur subiecto diuisibili fundat diuisibilitatem in esse termini, seu acquisibilis, terminatque proinde motum localem, qui continuus est. Sic pariter, quia qualitas corporea communicatur subiecto habenti partes, & latitudinem; nequit non gaudere virtuali diuisibilitate, & partibus potentialibus: & per consequens, quando fit ex contrario positiuo, & retardante eius introductionem debet aliquod continuum tempus in suo *fieri* consumere. Et quod de qualitate diximus, quando primo producitur, intelligendum (vt sic argumento facto occurramus) proportionabiliter est de modo radicationis, per quem intenditur: quare sicut simplex alteratio est motus continuus, ita etiam intensio facta ex contrario positiuo debet esse continua: eadem quippe ratio militat vtrobique, vt consideranti constabit. Quod amplius explicabimus *num. 60.*

14 Sed replicabis, & fit secundum argumentum: nam ad vnitatem numericam motus, sine qua nequit eius continuitas subsistere, requiritur vnitas numerica termini: sed terminus productus per motum intensionis non est vnus numero: ergo intensio non valet esse motus continuus. Suadetur minor: quia in intensione producuntur plures modi radicationis: sed ij modi distinguuntur specie inter se: ergo terminus motus intensionis nequit esse vnus numero. Patet consequentia: quoniam ex accidentibus specie diuersis non potest fieri vnum numero accidens. ¶ Confirmatur: nam prædicti modi nequeunt inter se continuari: ergo nequeunt constituere vnum terminum aptum ad terminandum motum continuum. Consequentia est legitima. Antecedens autem ostenditur: quia res permanens, qualis debet esse terminus intensionis, si semel est vna per continuationem, debet componi ex partibus permanentibus, & inter se

coexistentibus : sed prædicti modi radicationis sunt talis conditionis, vt ad aduentum vnius destruatur alius : ergo nequeunt continuari inter se in ordine ad constituendum vnicum terminum.

Respondetur ad replicam negando minorem, cuius probatio minime vrget : quia licet ex pluribus modis specie differentibus non possit resultare vnus numero modus in esse entis ; potest tamen constitui vnus numero terminus in esse termini, seu pertransibilis : eò quod omnes modi intermedij subordinantur vltimo modo, in quo sistit motus intensionis. Vbi autem plura sunt propter vnum, ibi non sunt plura, sed vnum. Quod potest declarari exemplo dealbationis facto à nigro in album per plures colores intermedios specie differentes, vt puta per cæruleum, & viridem : ij enim licet nequeant constituere vnum, & eundem colorem in esse rei ; queunt tamen constituere idem specie medium in esse pertransibilis : quia non respiciuntur nisi propter albedinem, & quatenus eam aliquo modo participant & ideo dealbatio est vnus specie, & numero motus. Sic in nostro casu : etsi in motu intensionis innumerabiles modi radicationis successiuè producantur, qui differunt numero, & specie in esse entis ; quia tamen omnes respiciuntur cum subordinatione ad vltimum, ideo constituunt vnum, & idem medium in esse medij. Quamobrem non tollitur ex vi huius, quod motus intensionis sit vnus numero, & continuus.

Ad confirmationem dicendum est, quod licet prædicti modi nequeant continuari ad constituendum vnum aliquod in esse entis, eò quod sunt inter se incompossibiles ; nihilominus possunt continuari ad constitutionem vnius termini, successiuè pertransibilis, quia vnus immediatè succedit post aliũ, & alias habent diuisibilitatem supra explicatam. Nec refert, quod terminus intensionis debet esse quid permanens, & consequenter componi ex partibus permanentibus, & simul existentibus : quod non valet adaptari prædictis modis.

Ad hoc enim facile est occurrere animaduertendo, quod licet ij modi sint inter se incompossibiles, quilibet tamen est in se ipso quid permanens, & aptum quantum est de se ad determinandum vltimatè motum, si mobile vltra non progrederetur. Et hoc, & non amplius requiritur : cum dicitur alterationem debere terminari ad rem permanentem. Quæ omnia illustrari possunt exemplo motus localis, quo mobile transit ab vno extremo in aliud : ibi enim producantur in medio plures præsentiæ locales iuxta multiplicitatem locorum, per quæ fit transitus. Quælibet autem præsentia est de se aliquid permanens, possetque proinde in ea sistere motus ; licet de facto succedente vna, pereat alia : & tamen ex omnibus illis fit, & continuatur vnus terminus in esse termini, seu

acquisibilis : ob quam rationem motus localis est vnus, & continuus. Ita in motu intensionis, & modis per illum productis dicendum est.

15 Vltimo arguitur : nam calor v.g. vt sex est virtualiter diuisibilis, & continet eminenter totidem gradus caloris : & nihilominus, quia est formaliter indiuisibilis non fit per motum, nec incipit per vltimum *non esse*, & in tempore ; sed per mutatum esse, incipitque per primum esse, seu in instanti : ergo licet qualitas, & modi illius habeant aliquam virtualem diuisibilitatem, quia tamen sunt formaliter quid indiuisibile, non poterunt fieri per vnum motum successiuum ; sed debent produci per distinctas mutationes instantaneas discretò sibi succedentes.

Ad hoc argumentum constat tùm ex dictis ad primum, tùm ex ijs, quæ statuimus *in Physic. disputat.* 24. *quæstione secunda.* Etenim, vt ibi obseruauimus, calor potest sumi dupliciter : vno modo absolute, & prout est in fieri, & secundum modum radicationis indeterminatum, & quatenus inducitur in indeterminata parte subiecti : altero modo sumitur vt est tantus, prout est in facto esse, & recipitur in parte determinata subiecti. Priori modo nullam explicat indiuisibilitatem, sed potius exprimit latitudinem saltem virtualem, & diuersas partes potentiales : quapropter valet optime communicari diuisibiliter passo ; fit enim prius secundum esse remissum, quam secundum esse intensum, & prius in dimidio palmo, & in dimidio dimidij, quam in toto : ac proinde producitur terminando motum continuum. Posteriori autem modo dicit formalissimè indiuisibilitatem, tantitatem, & determinationem : & per consequens debet incipere modo proprio indiuisibilium, nempe in instanti, seu per mutatum esse. Vnde cùm calor vt sex sumatur hac posteriori acceptione ; mirum non est, quod incipiat in instanti, & per correspondentiam ad vltimum mutatum esse motus alterationis. Hoc tamen non tollit, quod calor, & alij eius modi indeterminati, qui antecedunt modum vt sex, producti fuerint per alterationem continuam præcedentem vltimum mutatum esse. Sed ita necessario asserendum est, cum in productione qualitatis, & intensione illius concurrant omnes conditiones requisitæ ad terminandum modum continuum ; habent enim aliquam latitudinem, fiunt non semel ex contrario positiuo, & recipiuntur in ente in actu. Videantur dicta *in libr. Physic. disput.* 22. *quæstion.* 1.

QVÆ

QVÆSTIO IV.

An alia prædicamenta, præter qualitatem, valeant intendi, & remitti?

HActenus consideravimus intensionem, & remissionem sub ratione motus rigorosi: modo vero, & in sequentibus quæstionibus non loquimur de illis sub hac restrictione; sed attendimus præcisè ad intensionem, & remissionem terminativè acceptas, & quatenus se tenent ex parte effectus, sive fiant per motum rigorosum, sive per mutationem physicam instantaneam, sive tandem fiant per mutationem purè spiritualem: hoc enim parum refert ad decisionem quæstionum, quas excitabimus. Vt autem aliqua forma sit capax intensionis, non sufficit, quod secundum speciem sit perfectior alia: sic enim nulla esset realitas, cui non competeret intensio, vel remissio, quod est absurdum. Imo verò non sufficit, quod forma sit individualiter magis perfecta, quam altera: sed requiritur, quod eadem individua forma participet, saltem de potentia absoluta, suam speciem, & perfectionem quandoque magis, & quandoque minus, vt constat ex communi sensu Doctorum, cui standum est, vt quæstio locum habeat. Porro vt forma sit capax habendi suam perfectionem variabiliter, ac proinde valeat intendi, & remitti, necessarium est, quod habeat capacitatem recipiendi vel nouum, & distinctum gradum perfectionis, vel saltem nouum modum radicationis in subiecto iuxta diuersas vias explicandi intensionem infra proponendas. In hac vero quæstione solùm ostendemus quibus prædicamentis repugnet intendi; in sequenti autem declarabimus an qualitati, & quibus qualitatibus conueniat.

§. I.

Quid asserendum circa substantiam.

16 DIcendum est primo substantiam non esse intensibilem, & remissibilem. Hæc conclusio est communis inter Philosophos, quibus præluxit Aristot. *cap. de substantia*, dicens: *Substantia non dicitur magis, & minus, neque cæterorum quidquam omnino, quæ substantiæ subeunt rationem.* Et D. Thom. 1. *part. quæstion.* 93. *articulo* 3. *ad* 3. loquens de individuis substantiæ inquit: *Vnum, & idem individuum non participat suam speciem quandoque majus, & quandoque minus: neque etiam à diuersis individuis participatur species substantiæ secundum magis, & minus.*

Fundamentum huius conclusionis proposuimus *in Logic. disput.* 12. *quæstion.* 5. quod ne in præsenti inculcemus; aliud adiiciendum est desumptum ex D. Thom. *prima parte, quæstione* 76. *articulo sexto*

quod poteſt ad hanc formam reduci: quoniam ſi ſubſtantia eſſet inſenſibilis, intenderetur vtique per aliquid de linea ſubſtantiæ, vtputa per aliquem modum ſubſtantialem, quemadmodum qualitas intenditur per aliquid accidentale: ſed repugnat, quod ſubſtantia intendatur per aliquid de linea ſubſtantiæ: ergo repugnat ſimpliciter, quod intendatur intra genus ſubſtantiæ, etſi non repugnet, quod per accidentia ſuperuenientia perficiatur accidentaliter. Probatur minor: quia intenſio cuiuſcumque rei ſupponit exiſtentiam eius; ac proinde prius deberet ſubſtantia habere exiſtentiam, quam recipere modum intenſionis: ſed quidquid aduenit ſubſtantiæ exiſtenti eſt aliquid entitatiuè accidentale; cum exiſtentia ſit vltima actualitas generis ſubſtantiæ, vt tradit D. Thom. 1. *parte*, *quæſtione* 3. *art.* 4. & alibi ſæpè; ergo repugnat ſubſtantiam intendi per aliquid de linea ſubſtantiæ. Vnde illud, quod ſubſtantiæ ſuperadderetur, qua parte redderet ſubſtantiam intenſam intra genus ſubſtantiæ, eſſet eiuſdem generis, & conſequenter quid ſubſtantiale, & qua parte aduenirет ſubſtantiæ vltimò intra proprium genus terminatæ per exiſtentiam, non poſſet non eſſe accidens: in quo datur manifeſta contradictio.

17 Sed oppones primo Ariſtot. 8. *Metaphyſic. text.* 10. vbi aſſerit, quod materia ſuſcipit magis, & minus: ergo pariter forma ſuſcipit magis; & minus, & conſequenter totum compoſitum, vt legitime videtur deduci à paritate rationis.

Reſpondetur Ariſtot. non intellexiſſe nomine materiæ primum ſubiectum formæ ſubſtantialis, ſed ſolum diſpoſitiones materiales, quibus materia præparatur ad formam, & in quibus eſt ſua latitudo ſecundum magis, & minus eſſe perfectum. Quæ interpretatio eſt D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 52. *art.* 1. vbi inquit: *Philoſophus dicit in* 8. *Metaphyſ. quod ſicut numerus non habet magis, & minus, ſic neque ſubſtantia, quæ eſt ſecundum ſpeciem, ideſt, quantum ad participationem formæ ſpecificæ; ſed ſi quidem cum materia, ideſt, ſecundum materiales diſpoſitiones inuenitur magis, & minus in ſubſtantia.*

18 Secundo obijcies: ſubſtantia per modum principij radicalis aliquando operatur intenſiùs, & aliquando remiſſius: ergo intenditur, & remittitur. Probatur conſequentia; nam inde à poſteriori colligimus qualitates intendi, & remitti, quia quandoque operantur fortiùs, & quandoque debilius.

Reſpondetur, quòd ſubſtantia ſolùm concurrit ad operationem radicaliter influendo per accidentia ſicut per principia proxima: vnde ex eo, quod aliquando operatio euadat intenſa, & aliquando remiſſa non rectè colligitur ſubſtantiam eſſe in ſe ipſa formaliter intenſam, vel remiſſam: ſed ſolùm infertur, quod ſit radix intenſionis in principiis proximis operandi; quibus, vtpote qualitatibus, conuenit intendi, & remitti formaliter.

19 Tertio

19 Tertio obijcies: illud proprie intenditur, quod salua manente vnitate specifica, & numerica, crescit in perfectione: sed hoc competit substantiæ: hæc igitur est capax intensionis. Suadetur minor: quia eadem anima corpori coniuncta habet perfectius esse, quam separata, vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 89. *art.* 1. *ad* 2.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dicendum, quod vt aliquid propriè intendatur, ac remittatur, debet secundum vnum, & eundem statum quandoque magis perfici & quandoque minus in propria entitate. Hoc autem minime conuenit animæ: nam licet habeat perfectiorem statum coniuncta corpori, quam ab eo separata; nihilominus in vno, & eodem statu vel coniunctionis vel separationis non habet latitudinem, secundum quam valeat magis, vel minus perfici, sed habet indiuisibiliter totam perfectionem cuiuis statui correspondentem: & ideo non est capax intensionis propriè dictæ.

20 Vltimo oppones: ideo qualitas potest intendi, & remitti, quia valet magis, vel minus actuare subiectum: sed hoc etiam conuenit formæ substantiali: ergo. Probatur minor: quia materia habet maiorem potentialitatem, & indifferentiam, quam substantia completa, quæ est subiectum qualitatis: ergo est in potentia vt magis, vel minus actuetur per formam substantialem, & per consequens quemadmodum qualitas actuat subiectum ob eius indifferentiam, ita forma actuabit magis, vel minus materiam propter eius maximam indifferentiam, & potentialitatem.

Respondetur negando minorem: quia etsi materia prima queat informari per formam specifice, vel numerice perfectiorem, quam alia, ab vna tamen, & eadem forma nequit aliquando magis, & aliquando minus perfici intra genus substantiæ. Et ratio est ea, quam pro conclusione assignauimus, nimirum quia non est assignabilis modus substantialis superueniens formæ substantiali jam informanti, & existenti. Quæ ratio non militat in qualitate; & idcirco queit magis vel minus perficere subiectum intra genus proprium ipsius qualitatis. In cuius signum videmus, quod corpus ratione albedinis est aliquando magis album, & aliquando minus: compositum verò ratione animæ non dicitur quandoque magis homo, & quandoque minus; sed participat indiuisibiliter hanc rationem.

§. II.

Quid asserendum de quantitate.

20 Dicendum est secundo quantitatem continuam non esse capacem intensionis, & remissionis. Sic docent Aristot. *cap.* de quantitate, & D. Thom. 1. 2. *q.* 52. *art.* 1. quibus consentiunt communiter Interpretes. Ratio est: quoniam ad intensionem formæ requiritur, quod habet plures partes, aut quasi partes in eadem parte subiecti: in hoc quippè distinguitur intensio ab extensione, vt constat ex communi

modo concipiendi, cui adstipulantur omnes Doctores: sed de ratione quantitatis continuæ est habere partem extra partem, seu importare extensionem formalem: ergo est incapax intensionis. Minor liquet tum ex se: tum etiam, nam ideo quantitas continua est primum accidens, quod inhæret substantiæ, quia confert illi extensionem ad recipienda alia accidentia necessariam. Et huc respexit D. Thom. cum assignans *loco cit.* rationem nostræ assertionis dixit: *In genere substantiæ nihil dicitur secundum magis, & minus: & quia quantitas propinqua est substantiæ, & figura etiam consequitur quantitatem, inde est, quod neque etiam in istis dicatur aliquid secundum magis, & minus.*

Vnde à fortiori infertur, quod quantitas discreta non intenditur, nec remittitur: tum quia in ea vrgentius militat ratio, quam nuper expendimus pro quantitate continua; siquidem vnitates, ex quibus quantitas discreta constat, non recipiuntur in eodem subiecto. Tum etiam, quia forma, de cuius ratione est indiuisibilitas, nequit suscipere magis, & minus: sed de ratione cuiuscumque speciei quantitatis discretæ est habere modum indiuisibilitatis, vt apparet in numero ternario, de cuius ratione ita est habere tres vnitates, vt quidquid ei addatur, vel auferatur ab illo, destruatur ratio specifica ipsius: ergo quantitas discreta non valet suscipere magis, & minus, & per consequens nec intendi, aut remitti.

21 Obijcies primo: eatenus qualitas intenditur, quatenus magis inest subiecto: sed inter omnia accidentia corporea quantitas magis inhæret substantiæ; siquidem est ratio formalis recipiendi illa: ergo quantitas est capax intensionis. ¶ Respondetur, quod vt aliqua forma intendatur, non sufficit, quod *magis*, hoc est prius, immediatius, & intimius insit subiecto, quam aliæ formæ; siquidem potest habere totam hanc intimitatem indiuisibiliter, & inuariabiliter: sed requiritur, quod in se ipsa subeat variationem, ita vt queat eidem subiecto communicare quandoque esse magis perfectum, & quandoque minus perfectum intra proprium genus ipsius formæ. Et quia hoc postetius conuenit qualitati: secus autem quantitati: ideo illa est capax intensionis; non verò ista.

22 Secundo obijcies: ideo colligitur charitatem v. g. intendi, quia vnus iustus habet plus de charitate, quam alius: sed vnum corpus habet plus quantitatis, quam aliud: ergo datur intensio in quantitate. ¶ Respondetur non ideo charitatem vnius iusti esse intensam, quia habeat plures partes; sed quia importat maiorem radicationem, & perfectionem circa idemmet subiectum. Hoc autem non conuenit quantitati; cum de eius ratione sit habere partes extra partes. Vnde ex eo quod vnum corpus habeat plus de quantitate, quam aliud; solum sequitur, quod habeat quantitatem magis extensam: minime verò arguitur maior perfectio secundum eandem partem: quod requirebatur ad intensionem.

§. III.

§. III.

Quid de actione, passione, & motu.

23 Dicendum est tertio actionem, & passionem prædicamentalem, necnon & motum, qui illas comitatur, non esse intensibilia, & remissibilia omnino secundum se. Hæc assertio desumitur ex Aristot. & D. Thom. 5. *Physic.* & suadetur breuiter: quoniam ideo calefactio v. g. suscipit magis, & minus, quia principium, vel terminus eius est capax intensionis; si enim calor non esset intensibilis non posset calefactio esse magis, vel minus intensa: sicut quia quantitas non est forma intensibilis, ideo augmentatio ad ipsam terminata non est capax intensionis: sed quod conuenit alicui ratione alterius, non competit illi omnino secundum se: ergo actio, passio, & motus non sunt formæ intensibiles, & remissibiles omnino secundum se.

24 Sed oppones nobis Aristot. *cap. 9. de Prædicamentis*, vbi loquens de calefactione, & frigefactione inquit: *Gradus enim suscipiunt, vt magis, atque minus dicantur, vt magis quidpiam, minusvè calefiat.* Nec dici valet, quod solum concedit actioni, & passioni esse formalitates intensibiles; non vero quod intendantur omnino per se, & ratione sui. Nam contra hoc arguitur: quoniam actio præcedit suum terminum, vt calefactio v. g. calorem: ergo intensio prius inuenitur in actione, quam in termino, & per consequens illa non est intensibilis ratione istius, sed potius è contra.

Respondetur auctoritatem Philosophi solum suadere nostram assertionem: ad id autem, quod obijcitur in contrarium, dicendum est actionem præcedere terminum in genere causæ efficientis; terminum verò præcedere actionem in genere causæ formalis specificatiuæ extrinsecæ. Et quia dependentia à causa efficiente solum est in actu exercito, seu quoad exercitium essendi; dependentia vero in genere causæ specificatiuæ pertinet ad actum signatum: & clauditur in ipsa essentia: idcirco intensibilitas prius simpliciter conuenit qualitati terminanti, quam actioni & per consequens ista non est intensibilis secundum se, sed ratione termini.

25 Replicabis: quoniam id quod conuenit rei ex suo specificatiuo extrinseco conuenit illi omnino secundum se; siquidem competit ei per habitudinem intrinsecam, & essentialem ad proprium specificatiuum: ergo ex eo, quod calefactio v. g. sit intensibilis dependenter à termino, quem respicit essentialiter, non rectè denegatur illi, quod sit intensibilis omnino secundum se. ¶ Confirmatur ex D. Thom. 1. 2. *q.* 52 *art.* 1. vbi ait: *Motus secundum se est intensior & remissior, & tamen remanet eadem species propter vnitatem termini:* ergo aperte sentit hæc duo optime componi, videlicet, quod motus in sua intensione dependeat à termino, & quod nihilominus sit intensibilis secundum se. Quod adhuc expressius significauit ibidem dicens: *Dupliciter potest intensio, & remissio in habitibus,*

habitibus, & dispositionibus considerari, uno modo secundum se, & prout dicitur maior, vel minor sanitas, vel maior, vel minor scientia, quæ ad plura, vel pauciora se extendit.

Respondetur, quod dupliciter potest aliquod prædicatum conuenire alicui secundum se: primo ita vt conueniat illi independenter ab aliquo extrinseco, in quo tale prædicatum formaliter acceptum per prius reperiatur: & quod hoc pacto competit alicui, conuenit illi omnino secundum se. Secundò, ita vt tale prædicatum conueniat dependenter ab aliquo extrinseco, cui per se primo conueniat, & in quo prius secundum suum esse formale inueniatur: & quod hac ratione conuenit alicui, non dicitur competere ipsi omnino secundum se. Vnde licet motus terminatus ad qualitatem intensibilem, & remissibilem queat dici intensibilis, & remissibilis aliquo modo secundum se: attamen nequit dici intensibilis, & remissibilis omnino secundum se, eò quod habet suam intensibilitatem per habitudinem ad quantitatem, cui intensio per prius formaliter conuenit. Per quod patet tum ad replicam, tum ad primam auctoritatem D. Thom. nam hoc, quod diximus, tantum intendit, vt ipsamet verba satis manifestant. Ad secundam autem dicendum est verum quidem esse, quod habitus valent intendi omnino secundum se, licet habeant intensionem per ordinem ad aliquid extrinsecum, nempe obiectum: cæterum hoc ideo est, quia intensio non reperitur prius formaliter in obiecto; sed solum virtualiter, & tanquam in radice. Quare hoc minimè præiudicat doctrinæ hactenus traditæ; sed potius omnia consonant.

§. IV.

Resolutio quæstionis quoad alia prædicamenta.

26 Dicendum est quarto relationem prædicamentalem non intendi nec remitti. Hæc conclusio est communis inter Doctores, & suadetur: quia si aliqua relatio intenderetur, maxime similitudo inter album v. g. vt quatuor, & album vt sex, quando istud posterius fit album vt quatuor, ac proinde similius alteri albo, quam antea erat: at in hoc casu relatio similitudinis non intenditur; siquidem impossibile est, quod aliquid intendatur absque motu, vel mutatione intensionis; quam tamen in prædicto casu certum est non interuenire; cum album vt sex decrescat, & fiat album vt quatuor: ergo relatio non intenditur, & remittitur.

27 Sed obijcies: album vt sex magis assimilatur albo vt sex, quàm albo vt quatuor: ergo similitudo suscipit magis, & minus, ac proinde est capax intensionis, & remissionis. Nec sufficit dicere, quod illa inæqualitas similitudinis se tenet ex parte albedinis, quæ est ratio fundandi relationem; non verò ex parte ipsius relationis. Nam in contrarium stat, quod album vt duo est similius alteri albo

albo vt duo, quam album vt septem albo vt octo: & tamen illa important rationes fundandi minus intensas, vt ex se liquet: ergo intensio conuenit relationi non solum ex parte fundamenti, sed etiam per se, & ratione sui.

Solutio huius objectionis facilè constat ex iis, quæ diximus *in Logica disp. 14. quæst. vlt.* nam album v. g. vt sex tribus relationibus refertur ad alia alba. Prima fundatur in ipsa natura specifica albedinis, præscindendo à modo, aut tantitate illius: & per hanc relationem refertur ad omnia alba, siue sint intensa, siue remissa, siue importent eandem tantitatem graduum, siue non: ad eum modum, quo pater per vnicam paternitatis relationem respicit omnes filios à se genitos. Secunda fundatur in conuenientia, quam album vt sex habet cum aliis albis habentibus eundem gradum, seu tantitatem albedinis: quæ similitudo distinguitur specie à præcedenti, quia album formaliter vt sex distinguitur essentialiter modaliter ab albo accepto secundum se, & præcisiuè à modo: & per hanc respicit cætera alba vt sex. Tertia denique fundatur in eodem albo vt sex, quatenus comparatur ad alia alba magis, vel minus intensa, siue habentia diuersum gradum, & tantitatem albedinis: quæ relatio non est similitudo sed potius dissimilitudo, & inæqualitas: & per hanc refertur ad omnia alia alba inæqualia sibi in gradu: est enim de materiali; quod sint magis, vel minus inæqualia; de formali, verò, quod sint inæqualia absolutè: sicut etiam relatio dissimilitudinis fundata in natura est vna, & eadem respectu omnium, à quibus natura essentialiter distinguitur; etsi magis distet ab vno, quam ab alio.

Hinc objectio facta diluitur: quoniam relatio inter album vt sex, & album vt quatuor fundata in natura albedinis est quidem similitudo; sed hæc nunquam variatur, quandiu alba perseuerant: si verò vnum desinat esse album, tunc similitudo totaliter, & indiuisibiliter perit. Relatio autem inter album vt sex, & album vt quatuor fundata in tantitate graduum non est similitudo, sed dissimilitudo; & hæc non variatur quandiu manent inæqualia: eo quod major, vel minor inæqualitas in gradibus est de materiali ad dissimilitudinem. Quod si album vt sex fiat album vt quatuor, totaliter destruitur pristina dissimilitudo fundata in gradibus; & incipit respicere alterum album vt quatuor per veram relationem similitudinis. Ex quibus liquidò deprehenditur, quod relatio non suscipit in se ipsa magis, & minus: ad hoc quippè non sufficit, quod destructa vna relatione, succedat alia; sed requirebatur, quod eadem specie, & numero relatio modo esset magis perfecta, & modo minus, vt apparet in formis intensibilibus.

28 Vltimo asserendum alia quatuor prædicamenta, videlicet *vbi*, *quando*, *situm*, & *habitum* non esse intensibilia, aut remissibilia. In suadendo hanc conclusionem non est cur immoremur: tùm quia est ita communis, vt nullus sit, qui ab ea dissideat: tùm quia ex suppositione, quod corpus sit in eodem loco, non dicitur esse magis, vel minus vbicatum in illo; & ex suppositione, quod mensuretur eodem tempore, non dicitur magis, vel minus esse in tempore, & idem est de situ, & habitu: sed hoc requirebatur, vt hæc prædicamenta essent capacia intensionis, & remissionis, vt constat in qualitatibus intensibilibus, quippè albedo ita afficit subjectum, vt illud reddat variabiliter magis, vel minus album: ergo prædicta prædicamenta nequeunt intendi, & remitti.

QVÆSTIO V.

Quænam qualitates sint intensibiles, & remissibiles.

SVpponimus in præsenti aliquas qualitates esse capaces intensionis, & remissionis: tùm quia intensio, & remissio debent ad aliquod genus entis terminari: constat autem ex dictis *quæst. præced.* quod non inuenitur in aliis nouem generibus: ergo terminatur ad qualitatem. Tum etiam quia experientia constat quod idem corpus est aliquando magis calidum, & aliquando minus: quod non contingeret, nisi calor susciperet magis, & minus, esset que proindè capax intensionis: ergo. Tum denique, quia de qualitatibus spiritualibus id certò constat ex illo ad Philippens. 1. *Oro, vt charitas vestra magis, ac magis abundet*: & Apocalyp. vltimo, *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Dubitamus autem quænam qualitates queant intendi, & remitti; siue hoc fiat per motum successiuum, siue per mutationem instantaneam physicam, siue per mutationem purè spiritualem, dummodo fiat variabiliter: non enim procedit quæstio de intensione inuariabiliter conuenienti, qualis inuenitur in aliquibus proprietatibus. Sed vt quæstionem cum majori perspicuitate determinemus, oportet aliqua prælibare.

§. I.

Obseruationes aliquæ pro dubij decisione.

29 PRimò animaduertendum est ex D. Thom. 1. 2. *q.* 52. *art.* 1. qualitates esse in duplici differentia: quædam enim habent essentiam, & speciem per habitudinem ad aliquid extrinsecum, vt habitus per respectum ad objectum: quædam verò habent speciem in se ipsis independenter ab ordine ad aliquid extrinsecum, vt albedo. Ex quo oritur, quod qualitates prioris generis dicantur intendi secundum speciem, & essentiam: quia earum intensio sumitur tanquam à prima radice

radice ab ipsa qualitate secundum se accepta, & ab eius specificatiuo. Qualitates autem posterioris generis non dicuntur intendi secundum essentiam: quoniam intenduntur per ordinem ad subjectum, quod est extra speciem illarum.

30 Nec refert, si aduersus hanc doctrinam objicias nullam esse qualitatem, quæ non specificetur ab aliquo extrinseco, nempè à subjecto: quoniam vt docet D. Thom. 1. *p. q.* 27. *art.* 1. in hoc distinguuntur accidentia absoluta à relatione prædicamentali, quod hæc secundum propriam rationem non dicit ordinem ad subjectum, sed ad terminum; reliqua verò accidentia important secundum proprias rationes habitudinem ad subjectum: sed id, quod secundum suam essentiam respicit aliud, speciem capit ab eo: Ergo nulla est qualitas, quæ non specificetur ab aliquo extrinseco, nimirum à subjecto; & per consequens suprà adducta distinctio non subsistit.

Non, inquam, hoc refert: respondetur enim, quod accidentia absoluta possunt dupliciter considerari: vno modo quatenus pendent à substantia, & sunt effectus illius; quæ est conditio generalis omnium accidentium imbibita transcendentaliter in qualibet eorum ratione particulari: altero modo quatenus sunt forma, & actus perficientes subjectum; quo pacto sumuntur secundum speciem, & essentiam. Quamuis igitur omne accidens absolutum sub ratione effectus dicat ordinem ad subjectum, ac proinde sub hac ratione speciem accipiat vtcumque ab eo; attamen sub ratione formæ, & actus nequit specificari à subjecto: quoniam sub ista consideratione respicit illud vt materiam, & quid perfectibile: specificatio autem non sumitur à causa materiali, & habente modum potentiæ; sed à causa formali habente rationem actus, saltem extrinseci. Vnde remanet locus ad distinctionem supra positam inter qualitates: licet enim omnes sub ratione actus, & formæ respciant aliquid extrinsecum, nempè subjectum tanquam causam materialem; nihilominus sub ratione actus, & formæ non omnes specificantur ab aliquo extrinseco: sed quædam habent speciem intra se, quales sunt albedo, & nigredo, quædam verò etiam sub ratione actus, & formæ habent speciem per habitudinem ad aliquid extrinsecum, quales sunt habitus Philosophiæ, & Geometriæ, & alij.

31 Secundò animaduertendum est ex eodem D. Thom. *loco cit.* quod aliquæ qualitates sunt, de quarum ratione est indiuisibilitas; aliæ verò sunt, quæ indiuisibilitatem non exposcunt. Prioris generis sunt illæ, quæ participantur à subjecto indiuisibiliter, eo quod posita variatione vel in magis, vel in minus, destruitur conceptus specificus qualitatis: & huiusmodi sunt qualitates quartæ speciei, nempè forma, & figura, nam si triangulo v. g. aliquid addas, vel demas, jam non est talis triangulus. Posterioris verò generis sunt illæ qualitates, quæ licet magis, vel minus participentur à subjecto, adhuc tamen reti-

nent rationem, & denominationem ſpecificam, quales ſunt albedo, nigredo, & aliæ plures qualitates tertiæ ſpeciei. Nam licet albedo conſtituat ſubjectum magis, vel minus album, ſemper eſt albedo; nec ex hac variatione patitur in ſua ſpecie aliquod præjudicium.

32 Objicies: de ratione cuiuſcumque qualitatis eſt propria ſpecificatio, ſiue differentia eſſentialis: ſed hæc conſiſtit in indiuiſibili, neque aliquam valet ſubire mutationem, vt docet Ariſtot. 8. *Metaphyſ.* ergo indiuiſibilitas eſt de ratione cuiuſcũque qualitatis. ¶ Hoc tamen facilè diluitur: aliud quippè eſt, quod habere prædicata ſpecifica conſiſtat in indiuiſibili; ita quod nequeant éſſe plura, nec pauciora: aliud verò, quod ratio ſpecifica fundet neceſſariò modum participationis indiuiſibilis; ita quod repugnet formæ participari à ſubjecto magis, vel minus perfectè, perfectione accidentali, & exiſtenti extra ſpeciem. Primum quidem eſt de ratione cuiuſuis qualitatis: nulla enim eſt, quæ retenta ſpecie, queat variari in prædicatis eſſentialibus; cùm hoc manifeſtam præſeferat contradictionem, vt ex terminis liquet. Poſterius verò non conuenit omni qualitati: quia cùm prædicta variatio fiat per aliquid accidentale, & ſuperadditum prædicatis ſpecificis; ſtat optimè, quod forma participetur diuiſibiliter à ſubjecto, etſi in propria ſpecie maneat indiuiſibilis, id eſt, ſemper eadem. Dantur tamen aliquæ qualitates, quæ per ſuam ſpeciem fundant repugnantiam ad huiuſmodi participationem variabilem, & diuiſibilitatem accidentalem, vt conſtat ex dictis.

§. II.

Statuitur prima concluſio ad reſolutionem quæſtionis.

33 Dicendum eſt primò qualitates, quæ ſpecificantur ab aliquo extrinſeco, quod variabiliter recipiunt, intendi, & remitti ſecundum formam, vel eſſentiam; ſecus verò eas qualitates, quæ non accipiunt ſpeciem ab extrinſeco. Hanc concluſionem ſtatuit Angelic. Doct. 1. 2. *quæſt.* 52. *art.* 1. his verbis: *Si igitur aliqua forma, vel quæcumque res ſecundum ſe ipſam, vel ſecundum aliquid ſui ſortiatur rationem ſpeciei, neceſſe eſt, quod ſecundum ſe conſiderata habeat determinatam rationem, quæ neque in plus excedere, neque in minus deficere poſſit: & huiuſmodi ſunt calor, & albedo, & aliæ huiuſmodi qualitates, quæ non dicuntur in ordine ad aliud. Illæ verò, quæ recipiunt ſpeciem ex aliquo, ad quod ordinantur, poſſunt ſecundum ſe ipſa diuerſificari in plus, vel minus: & nihilominus ſunt eadem ſpecie propter vnitatem eius, ad quod ordinantur.* Vnde hic dicendi modus communis eſt inter Thomiſtas. Videantur Caiet. & Conrad. ſuper hunc locum, Bañez 1. *de Generat. cap.* 4. *quæſt.* 3.

Probatur ratione: quia illud dicitur conuenire qualitati ſecundum

dum ſuam eſſentiam, quod habet à ſuo ſpecificatiuo: ſed qualitates, quæ ſpecificantur ab aliquo extrinſeco, ad quod variabiliter accedunt, participant à ſuo ſpecificatiuo, vel per reſpectum ad illud aliquam latitudinem, ratione cuius poſſunt intendi, & remitti: ergo huiuſmodi qualitates ſunt intenſibiles ſecundum ſuam eſſentiam. Minor explicatur, & ſuadetur in habitu v. g. Metaphyſicæ, cuius objectum habet maximam latitudinem, ratione cuius Metaphyſica magis, vel minus accedit ad illud, quatenus attingit plures, aut pauciores veritates objectiuas, vel eandem veritatem magis, aut minus penetrat: latitudo autem formæ optimè apparet ex majori, vel minori acceſſu ad aliud; ac proindè ex acceſſu variabili ad ſpecificatiuum, quale eſt objectum reſpectu habitus, ſatis apparet latitudo iſtius penes ſpeciem, ſiue eſſentiam: ergo qualitates, quæ ſpecificantur ab aliquo extrinſeco, ad quod accedunt variabiliter, participant à ſuo ſpecificatiuo aliquam latitudinem, ratione cuius queunt intendi, & remitti. Per quod manet probata ſecunda pars concluſionis: quoniam in qualitatibus omninò abſolutis, & quæ non accipiunt ſpeciem ab aliquo extrinſeco, ſpecificatio earum ſumitur adæquatè ab earum intrinſeca differentia eſſentiali: ſed hæc conſiſtit in indiuiſibili: ergo huiuſmodi qualitates non ſunt intenſibiles ſecundum eſſentiam.

Hic autem obſeruandum eſt, quod illa latitudo, quam forma participat ab objecto, ſolet appellari extenſio, eo quod ſumitur per ordinem ad diſtinctas partes objecti, quemadmodum extenſio quantitatis importat diuerſas partes potentiales ſubjecti. Cui loquendi modo fauet D. Th. *loco citato*, vbi ait: *ſecundum perfectionem, quæ conuenit formæ ſecundum ipſam formam, dicitur parua, vel magna.* Magnum enim, & paruum potius ſignificant extenſionem, quam intenſionem. Cæterùm, quia hæc latitudo formæ conuenit ei reſpectu eiuſdem prorſus ſubjecti; idcircò appellanda eſt abſolutè intenſio, vt ſic diſtinguatur ab extenſione rigoroſa, & quantitatiua, quæ fit ſecundum diuerſas partes ſubjecti.

34 Sunt tamen contra noſtram concluſionem aliquæ difficultates, quibus oportet occurrere. Objicies ergo primo: omne ſpecificatiuum, ſiue extrinſecum, ſiue intrinſecum ſit, conſiſtit in indiuiſibili: qua ratione ſpecies comparantur numeris, quibus ſi aliquid addatur, vel ſubtrahatur, perit eorum quidditas: ergo ſicut qualitates, quæ ſpecificantur ab intrinſeco, nequeunt intendi ſecundum ſpeciem; ita nec qualitas, quæ ſortitur ſpeciem per reſpectum ad aliquid extrinſecum.

Reſpondetur negando conſequẽtiam: quoniam licet ſpecificatiuum extrinſecum formaliter acceptum, & ex parte rationis formalis *ſub qua* ſit indiuiſibile & inua-

riabile; qua ratione verificatur, quod eius ſpecies comparatur numero: attamen ex parte materiæ poteſt habere maximam latitudinem, & attingi ſecundum plures, vel pauciores partes, vt videre eſt in obiecto Metaphyſicæ: vnde habitus tendens in illud habet ex modo accedendi magnam latitudinem; ratione cuius dicatur magis, aut minus perfectus ratione ſui ſpecificatiui, atque ideò ſecundum ſpeciem. Hoc autem minimè inuenitur in qualitatibus omninò abſolutis, cùm earum ſpecificatiuum nullam habeat latitudinem adhuc de materiali: quamobrem non dicuntur intenſibiles ſecundũ eſſentiã.

35 Obiicies ſecundò: charitas ſpecificatur ab aliquo extrinſeco, in quo datur magna latitudo; ſiquidem complectitur Deum, proximum, amicum, inimicum, &c. acceditque ad iſtud obiectum variabiliter, cùm valeat attingere Deum, vt eſt ratio diligendi amicum, quin accedat vt eſt ratio amãdi inimicũ: & nihilominus charitas non eſt intenſibilis ſecundum eſſentiam, ſeu ex parte obiecti, vt docet D. Th. 1. 2. *q.* 66. *art.* 1. ergo falſum eſt, quod qualitas habens ſpeciem ab extrinſeco obiecto, ad quod accedit variabiliter, queat intendi ſecundum eſſentiam, & ex parte formæ. ¶ Et confirmatur hoc in potentia viſiua, quæ ſpecificatur ab obiecto extrinſeco, ad quod variabiliter accedit intuens modo vnum, & modo aliud: & tamen non intenditur, nec remittitur: ergo.

Reſpondetur, quod vt habitus dicatur variabiliter accedere ad obiectum, & per conſequens intendi, vel remitti ſecundum eſſentiam, neceſſarium eſt, vt ratio formalis obiecti ſit diuiſibilis materialiter, licet formaliter accepta ſit vna, & eadem. Qua de cauſa habitus v. g. ſcientificus eſt intenſibilis ſecundum eſſentiam: quia licet principia, per quæ procedit ad concluſiones, & quæ ſe habent vt ratio formalis ſub qua conſtitutiua obiecti, importent vnam, & eandem rationem formaliter indiuiſibilem, quatenus omnia deriuantur ex aliis, vel ex alterutris intra eandem abſtractionem juxta ea, quæ diximus *in lib. Poſter.* attamen hæc eadem principia ſunt materialiter diuerſa: quandoquidem per vnum principium oſtendit Philoſophus proprietates hominis v. g. & per aliud diuerſum qualitates elementorum. Vnde fundatur ex parte obiecti latitudo requiſita, vt ſcientia non ſolum actualiter, ſed etiam habitualiter accedat variabiliter ad illud. Id verò neutiquam inuenitur in obiecto charitatis: illius quippè ratio formalis, nempè diuina bonitas, eſt prorſus indiuiſibilis, nec vllam habet latitudinem adhuc materialem. Quamobrem hoc ipſo, quod charitas attingat ſuum obiectum formale, extenditur habitualiter, & quaſi indiuiſibiliter ad omnia obiecta, quæ cadunt ſub motiuo diuinæ bonitatis: & per conſequens per charitatem non eſt attingibile vnum obiectum, quin etiam attingatur habitualiter aliud. Et ob hanc cauſam charitas non eſt habitus intenſibilis ſecundum ſe ipſam, vel ex parte obiecti. In exercitio autem poſſumus

possumus vti habitu charitatis ad attingendum explicitè vnum obiectum, non attingendo aliud expressè; quia habitibus vtimur, cùm volumus: sed hoc non sufficit vt charitas dicatur intendi ex parte obiecti; cùm habitualiter accedat absque variatione ad illud.

Per quod patet ad confirmationem: nam potentia visiua non accedit variabiliter ad suum obiectum accessu habituali, & in actu primo: sed se extendit habitualiter ad omnia obiecta tàm formalia, quàm materialia. Est enim vera proprietas, & non acquiritur nostris actibus; sed accipit totum suum esse à principio suæ productionis, & per dimanationem ab essentia: quocircà manet ex tunc extensa habitualiter ad omnia obiecta, quæ posteà attingit exercitio variabili.

36 Obiicies tertiò: intensibilitas, & remissibilitas cuiuscumque qualitatis fundatur in particulari natura, & essentia illius; ideò enim vna qualitas est intensibilis, & non alia, quia habet talem, vel talem essentiam: ergo quæcumque qualitas, si semel est intensibilis, debet esse intensibilis secundum essentiam, & consequenter vana est distinctio, quam in conclusione statuimus inter qualitates. ¶ Et confirmatur ex D. Thom. 2. 2. *qu.* 24. *art.* 4. *ad* 3. vbi inquit: *Quidam dixerunt charitatem non augeri secundum suam essentiam; sed solum secundum radicationem in subiecto: sed hi propriam vocem ignorauerunt*: ergo sentit S. Doct. nullam qualitatem posse intendi secundum participationem subiecti, quin intendatur secundum essentiam: constat autem plures qualitates esse intensibiles secundum radicationem in subiecto, etsi non habeant speciem per respectum ad extrinsecum: ergo hoc, quod est intendi secundum essentiam, competit omni qualitati, siue specificetur ab extrinseco, siue non.

Respondetur ad obiectionem, quod licet intensio cuiuscumque qualitatis fundetur vtcumque suprà eius essentiam, & conueniat ei, quia est talis naturæ, & non alterius: nihilominus optimo titulo; qualitates, quæ specificantur ab extrinseco, dicuntur intendi secundum essentiam, vel secũdum se; non autem illæ, quæ sunt omninò absolutæ. Et ratio est: quia in prioribus qualitatibus radix adæquata intensionis est earum specificatio; cùm sumatur ex accessu ad proprium specificatiuum, quod secundum se respiciunt: at in aliis qualitatibus, quæ intenduntur per radicationem in subiecto, radix adæquata intensionis complectitur aliquid, quod non pertinet ad essentiam qualitatis, adhuc per modum specificatiui extrinseci: quoniam inuoluit subiectum, quod est extra quidditatem qualitatis sumptæ secundum rationem actus, & formæ, vt constat ex supradictis *num.* 30.

Ad confirmationem dicendum est S. Doctorem solum intendere, quod omnis qualitas quoquo modo intensibilis habeat per suam essentiam, siue entitatem esse id, quod afficitur latitudine intensiua, siue modo radicationis in subiecto. Ita vt intensio non cõsistat in sola communicatione

municatione formæ, ipsa inuariata manente; sed in eo, quod ipsamet forma recipiat in se nouam terminationem, & majorem actualitatem, per quam intra proprium genus perficiatur: & consequenter augetur, seu perficitur secundum essentiam, hoc est, in essentia, & entitate. Hinc tamen non colligitur, quod omnis qualitas sit intensibilis secundum essentiam in sensu, quem suprà exposuimus, nimirùm per respectum ad proprium specificatiuum, vt satis constat ex dictis. Quæ omnia illustrari possunt eleganti testimonio D. Thom. *quodlib. 9. quæst. 6. art. 1.* vbi hæc habet: *sciendum est, quod hæc propositio secundum, inter alias varias habitudines, quas importat, quandoque denotat subiectum, vt cum dicitur: Iste est albus secundum pedem, quia pes est subiectum albedinis. Quandoque denotat formam, vt cum dicitur: Iste est colaratus secundum albedinem. Cùm ergo dicitur aliquid secundum hoc moueri, potest intelligi vel subiectum, vel forma: cùm enim dicitur: Iste mouetur secundum manum, notatur subiectum motus: cùm verò dicitur: Iste mouetur secundum locum, notatur ibi, quod formaliter specificat motum. Sic ergo, cùm dicimus charitatem secundum essentiam augeri, denotatur ibi subiectum augmenti, vt sit sensus, ipsa essentia charitatis augetur; sicut cum dicimus: Album augetur secundum essentiam*, &c.

§. III.

Alia assertio pro complemento quæstionis.

37 Dicendum est secundò omnem qualitatem, de cuius ratione non est indiuisibilitas, posse intendi secundum participationem subjecti; siue qualitas specificetur ab extrinseco, siue non. Hæc conclusio est D. Thom. *loco sæpè citato ex* 1. 2. & communis inter Doctores.

Probatur ratione: quoniam ideò qualitates, quæ specificantur ab aliquo extrinseco, queunt intendi, & remitti per ordinem ad illud, quia possunt magis, vel minus ad ipsum accedere, vt constat *ex dictis §. præced.* Sed omnis qualitas, de cuius ratione non est indiuisibilitas, valet magis, & minus accedere ad subjectum, quatenùs intimiùs ei conjungitur, perfectiùs illud actuat, & explet majorem potentialitatem illius modo infrà declarando: ergo omnis qualitas, de cuius ratione non est indiuisibilitas, potest intendi, & remitti secundum participationem subjecti.

¶ Confirmatur: nam hoc ipso quòd de ratione qualitatis non sit indiuisibilitas, petit participari modo diuisibili, & variabili: ergo poterit intendi, & remitti secundum participationem subjecti.

Ex quibus è contrario deducitur qualitates, de quarum ratione est indiuisibilitas, esse incapaces intensionis, & remissionis adhuc secundum participationem subjecti: tum quia si

de

de ratione harum qualitatum est indiuisibilitas, non possunt non petere participari modo indiuisibili, & secundum propriam rationem: ergo non poterunt participari secundum magis, & minus; & per consequens nec intendi, & remitti ex participatione subiecti. Tum etiam, nam ideo numerus v. g. ternarius nequit participari secundum magis, & minus, quia de illius ratione est indiuisibilitas: si enim ei aliquid addas, vel subtrahas, destruis rationem illius: sed hæc eadem ratio militat in qualitatibus, de quarum ratione est indiuisibilitas, vt puta in circulo, vel triangulo: ergo prædictæ qualitates non possunt participari secundum magis, & minus. Videantur supradicta *num.* 20,

38 Sed aduersus conclusionem oppones: de ratione charitatis non est indiuisibilitas: & nihilominus charitas nequit remitti, vt docet D. Thom. 2. 2. *q.* 24. *art.* 10. & facile constat, siquidem per peccatum mortale non minuitur, sed totaliter destruitur; per venialia verò non minuitur in sua entitate sed solum in feruore: alias per solam eorum multiplicationem destrueretur, quod est absurdum: ergo non omnis qualitas, quæ admittit diuisibilitatem valet intendi & remitti.

Respondetur, quod charitati, quantum est ex vi propriæ naturæ, & latitudinis, non repugnat remitti. Defectu tamen causæ potentis illam minuere, & impedire influxum conseruatiuum Dei nunquam secundum prouidentiam ordinariam remittitur: sed vel tota simul perit, vel tota persistit in perfectione, quam semel habuit. De potentia verò absoluta posset remitti: quod satis declarat eam esse formam intensibilem, ac remissibilem secundum participationem subiecti.

QVÆSTIO VI.

Qualiter intensio fiat.

NOmine intensionis intelligimus in præsenti augmentum conueniens qualitatibus secundum participationem subiecti: non verò illud, quod participant per respectum ad specificatiuum extrinsecum; & quod solet appellari extensio: de hoc enim agemus *quæst. sequenti.* Et quia circa præsentem difficultatem duæ sunt principales, ac celebres opiniones; vt accuratius illas tractemus, operæ pretium erit ab aliis modis dicendi, qui minoris ponderis sunt, nos ante alia extricare.

§. I.

Reijciuntur aliqui modi explicandi intensionem.

39 IN primis tanquam falsa excludenda est opinio Ægidij *quodlib.* 2. *quæst.* 14. & 1. *de Generat. quæst.* 18. asserentis qualitatem intendi per depurationem à suo contrario, vt albedinem per absentiam, & remotionem nigredinis. Nostram autem suppositionem admittunt communiter Doctores secuti D. Thom. *in primo, dist.* 17. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. vbi inquit: *Dicendum, quod*

non est de ratione intensionis alicuius qualitatis, quod sit per remotionem à contrario, sed hoc accidit qualitati secundum quod inest in subiecto participante contrarium. Et potest inductiue ostendi, tum quia lux non habet contrarium, à quo depuretur: & tamen est capax intensionis. Tum etiam, quia gratia B. Virginis intendebatur: & nihilominus non depurabatur ab aliquo contrario; siquidem nunquam fuit permixta alicui peccato. Tum denique, quia fides augetur, iuxta illud Lucæ 10. *Adauge nobis fidem*; licet nequeat coniungi suo contrario, nec intendi per depurationem ab illo; siquidem minima fides destruit omnem infidelitatem. Et ratio à priori est: quia actio positiua, qualis est intensio, non tendit per se primo ad *non esse*, sed ad *esse* alicuius termini: ergo licet in intensione vnius formæ soleat interuenire expulsio formæ contrariæ; nihilominus intensio non consistet in illa abiectione, quæ est effectus secundarius priuatiuus, sed debet consistere in aliquo alio positiuo.

40 Nec refert, si in fauorem Ægidij obijcies, quod qualitas, semotis impedimentis, communicat se subiecto, quantum potest; cum sit causa naturalis: ergo si sit qualitas intensibilis, communicabitur subiecto secundum omnem modum, seu gradum intensionis: ergo intensio qualitatis fit per remotionem contrariorum impedimentorum. ¶ Non, inquam, hoc refert: quia licet maior, vel minor remotio qualitatis contrariæ fit dispositio saltem negatiua ad maiorem, vel minorem communicationem formæ; attamen hæc, præscindendo ab omni modo radicationis sibi superaddito, non habet esse perfectam siue intensam vt *quo*, sed solum importat suam essentiam, & existentiam. Quapropter, licet se communicet, quantum potest, solum communicabit entitatem suæ essentiæ, & existentiæ; non verò *esse intensum*: hoc quippè est aliquid distinctum ab entitate qualitatis, & superadditum illi.

41 Deinde supponendum est contra Durand. *in* 1. *dist.* 17. *q.* 7. intensionem non fieri per destructionem entitatiuam qualitatis minus perfectæ, & aduentum perfectioris. Quem dicendi modum retulit, & impugnauit D. Thom. *in* 1. *d.* 17. *qu.* 2. *art.* 1. dicens: *Quidam dixerunt, quod charitas essentialiter non augetur, sed aduenienti maiori charitate, minor charitas, quæ inerat, destruitur. Hoc autem stare non potest.* Et merito: tum quia repugnat, quod aliquid destruatur per id, ratione cuius perficitur: sed qualitas cum intenditur, perficitur: ergo cùm intenditur, non destruitur. Tum etiam, quia charitatis vis intenditur in patria: & tamen non destruitur sed eadem perseuerat iuxta illud 1. *ad Corinth.* 13. *Charitas nunquam excedit*: ergo. Tum præterea, quia accidentia Eucharistiæ sæpe intenduntur, vt apparet ad sensum: & nihilominus non ob id corrumpuntur; alias corpus Christi Domini desineret esse sub illis. Tum denique, quia non est assignabilis causa corrumpens qualitatem; quando intenditur: etenim cum aqua calida v.

g. fit

g. fit magis calida ab igne, nequit calor præexistens corrumpi ad corruptionem subiecti; siquidem persistit aqua, neque actione agentis contrarij; cum ignis non sit contrarius calori; neque defectu causæ conseruantis; quandoquidem dum calor intenditur ab igne, valet optimè ab eodem conseruari: ergo nulla est ratio, quare corrumpatur: ergo intensio non fit per destructionem qualitatis præexistentis minus perfectæ, & productionē alterius perfectioris.

42 Per quæ etiam refellitur opinio aliorum, qui autumant intensionem fieri per destructionem existētiæ, vel vnionis imperfectioris, & aduentum alterius magis perfectæ in eadem qualitate. Nam destructa existentia accidentis, & vnione illius ad subiectum, nequit non (saltem naturaliter loquendo) destrui entitatiuè ipsum accidens: sicut enim fit per eductionem de potentia subiecti; & vnionem cum eo; ita destruitur, destructa inexistentia, & vnione ad illud: ergo si intensio non fit destruendo vnam qualitatem, & produendo aliam vt constat ex proxime dictis, non poterit fieri per destructionem vnius existentiæ, vel vnionis, & productionem alterius.

Sed dices: in quacumque mutatione terminus *à quo*, & *ad quem* ita inter se opponuntur, & comparantur, vt acquisito termino *ad quem* pereat terminus à quo: hac quippè de causa in motu locali, cum acquiritur nouum *vbi*, destruitur necessario vbi antiquum, sub quo mobile præexistebat: sed intensio est mutatio à qualitate remissa ad qualitatem intensam: ergo cum hæc acquiritur, destruitur illa; ac proinde intensio fiet per destructionem qualitatis imperfectioris, & productionem alterius magis perfectæ.

Respondetur, quod terminus *ad quem* intensionis non est qualitas secundum suam entitatem, hæc enim jam supponitur producta; sed est quidam modus maioris radicationis, ratione cuius habet qualitas esse magis perfectam, & intimius radicari in subiecto, vt infra declarabimus: & pariter terminus *à quo* non est qualitas entitatiue accepta; sed quatenus stat sub modo minoris radicationis, à quo habet esse remissum. Vnde ex eo, quod terminus *à quo* mutationis debeat destrui, & terminus *ad quem* produci; non sequitur, quod vna qualitas entitatiue pereat, & altera entitatiue fiat: sed solum infertur, quod cesset qualitas formaliter vt remissa, & incipiat vt intensa: ad quod sufficit, quod destruatur modus minoris radicationis, & producatur alius magis perfectus. Quod explicari valet exemplo motus augmentationis, qui fit à minori ad maiorem quantitatem: & tamen non exposcit quod quantitas entitatiuè destruatur; sed sufficit quod amittat modum minoritatis, vel tantitatem, sub qua erat terminata. In motu verò locali (vt sic instantiæ adductæ occurramus) ipsum *vbi* habet rationē termini *à quo* per suammet entitatem, & absque alio modo sibi superaddito, dependetque à determinato loco, cui coexistit, & ex cuius adiacentia resultat: quamobrem opus est quod acquisito per motum localem nouo loco, pereat entitatiue antiquum *vbi*, & alterum denuò fiat.

Reſtant igitur circa præſentem difficultatem, aliis dicendi modis relictis, duæ famoſiores ſententiæ. Quarum prima defendit qualitatem intendi per additionem gradus ad gradum, v. g. calorem fieri perfectiorem per additionem caloris. Secunda vero huiuſmodi additionem negat, exiſtimatque qualitatem reddi intenſiorem per ſolam additionem cuiuſdam modi maioris radicationis in ſubiecto. Ex quibus ſententiis vt veriorem, ac D. Thom. doctrinæ magis conſonam eligamus,

§. II.

Statuitur prima concluſio.

43 Dicendum eſt primo intenſionem non fieri per additionem qualitatis ad qualitatem. Hanc aſſertionem frequenter repetit Angelicus Præceptor; maximè verò eam expreſſit *in* 1. *d.* 17. *q.* 2. *art.* 2. vbi ait: *Dicendum, quod eorum, qui ponunt charitatem eſſentialiter augeri, dicta reuertuntur in duas opiniones: quarum vna eſt, quod augetur per additionem charitatis ad charitatem.* Quam ſententiam impugnans ſubdit: *Primam autem poſitionem non poſſum intelligere.* Et addit: *Iſta poſitio prouenit ex falſa imaginatione &c.* Eodem modo loquitur *quæſt.* 1. *de Virtutibus art.* 11. dicens: *Quidam exiſtimauerunt, quod charitas, ſiue qualibet virtus infuſa augeatur per additionem charitatis ad charitatem, vel virtutis ad virtutem, aut albedinis ad albedinem; quod omnino ſtare non poteſt.* Idem repetit 2. 2. *quæſt.* 24. *art* 5. & 1. 2. *quæſt.* 52. *art.* 2. & in ſuum fauorem adducit manifeſtum teſtimonium Ariſtot. *ex* 4. *Phyſic. text.* 84. vbi inquit: *Ex calido fit magis calidum, nullo facto in materia calido, quod non eſſet calidum, quando erat minus calidum.* Quare hanc ſententiam amplectuntur Caiet. locis proxime citat. Conrad. Martinez, & Medina loco cit. ex 1. 2. *Capreol. in* 1. *d.* 17. *q.* 2. Heruæus ibidem *quæſt.* 5. Sotus 4. *Phyſic. text.* 84. & alij S. Doctoris diſcipuli.

Probatur ratione: nam ſi charitas v. g. intenderetur per additionem charitatis ad charitatem; ſequeretur duo accidentia ſolo numero diſtincta poſſe reperiri in eodem ſubiecto: conſequens eſt falſum: ergo charitas non intenditur per additionem charitatis ad charitatem: & per conſequens intenſio nullibi fiet per additionem qualitatis ad qualitatem; cum eadem ratio quoad hoc militet in omnibus. Sequela oſtenditur: quoniam non poteſt dari additio realis eiuſdem ad ſe ipſum: ergo ſi charitas additur realiter charitati, neceſſarium eſt, quod detur duplex charitas realiter deſtincta: cumque omnis charitas ſupernaturalis ſit eiuſdem ſpeciei; ſiquidem attingit idem formaliſſimè obiectum, non poſſent illæ charitates pluſquam numero diſtingui: reciperentur autem in eodem indiuiſibili ſubiecto, v. g. in anima, vt ſupponitur: ergo ſi charitas intenderetur per additionem charitatis, non poſſent non reperiri in eodem ſubiecto duo accidentia ſolo numero diſtincta. Minor autem, quam alias

ſolent

solet, Thomistæ latè probare, suadetur breuiter: quoniã distinctio purè numerica est purè materialis: subiectum autem habet rationem materiæ: ergo stante identitate in specie, & vnitate in subiecto, nequit accidens idem specie partiri in accidentia diuersa numero; & consequenter repugnat, quod duo accidentia solo numero diuersa inueniantur simul in eodem subiecto. Probatur consequentia: quia talis distinctio non posset sumi à subiecto; cum sit idem: nec à forma: nam distinctio pure materialis, seu extra speciem nõ minus repugnat, quod sumatur à forma, quam quod distinctio specifica, & formalis deriuetur à materia.

44 Respondebis primo negando minorem absolutè: quia sicut non repugnat, quod Deus accidens olim productum, & iam extinctum reproducat in subiecto habente simul aliud accidens eiusdem speciei; & consequenter, quod dentur simul in eodem subiecto duo accidentia solo numero diuersa habentia tamen ordinem ad diuersa tempora: ita fieri potest, quod dentur duo accidentia eiusdem speciei, in eodem subiecto, & pro eodem tempore: neque enim apparet in hoc aliqua contradictio.

Sed cõtra, quia quidquid sit, an per diuinam potentiam queant accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto: attamen, naturaliter loquendo, non valent simul reperiri: tùm ob rationem factam, quæ hanc partem ad minus conuincit: tùm quia aliàs sicut Aduersarij concedunt, quod in eadem anima possunt reperiri duo charitatis gradus, quorum vnus sit vt quatuor, & alter vt quinque; ita deberent concedere, quod possent naturaliter reperiri duo gradus, quorum quilibet sit vt quatuor: quod nemo admittet, de quo videndus est Suarez *disp.* 15. *Metaph. sect.* 8. ergo duo accidentia solo numero distincta, nequeunt naturaliter loquendo, esse in eodem subiecto: in præsenti autem loquimur de intensione modo connaturali facta: ergo intensio charitatis non fit per additionem charitatis ad charitatem.

45 Respondebis secundo, quod licet duo accidentia totalia, & solo numero diuersa nequeant conjungi in eodem numero subiecto; bene tamen si fuerint accidentia partialia; tunc enim ordinantur ad constituendum vnum numero accidens totale: vnde cùm omnes gradus eiusdem accidentis sint accidentia partialia, ex quibus accidens constituitur; nulla repugnantia erit in eo, quod simul insint eidem subiecto. Maxime cùm ij gradus sint inter se satis dissimiles, vt videre est in gradu vt vnus, & vt duo, & vt tres.

Sed contra: quia distinctio purè materialis, & non pertingens ad specificam, siue sit inter accidentia totalia, siue partialia, siue sit inter indiuidua omnino similia, siue inter aliqualiter dissimilia, necessario desumenda est à materia, siue subiecto; cùm non sit designabile aliud primum principium physicum, à quo possit deriuari: ipsa quippe forma quantum est de se, vna est, & indiuisa, sicut & species, quam ex se affert: sed

ſubiectum charitatis eſt omninò idem, nec habet latitudinem partium realium: ergo nequeunt, ſaltem naturaliter reperiri in eo duæ charitates numero differentes, ſiue diſtinguantur totaliter, ſiue partialiter, ſiue ſint omnino ſimiles, ſiue diſſimiles. Adde charitatem, quæ præintelligitur intenſioni eſſe indiuiduum, & accidens completum in genere accidentis: ſed charitas, quæ iuxta contrariam ſententiam poſtea additur, eſt eiuſdem rationis, imo majoris perfectionis: ergo prædictæ charitates nequeunt comparari vt partes eiuſdem numero accidentis, quod ſit ens per ſe in genere accidentis: quippe in nulla linea queit ex pluribus entibus completis fieri vnum ens per ſe.

46 Reſpondebis tertio prædictos gradus non recipi in eodem omninò ſubiecto, ſed in diuerſo: quia primus afficit immediatè ſubiectum; ſecundus verò non afficit immediatè, ſed mediante primo, & tertius mediante ſecundo, & quartus mediante tertio, & ſic de alijs.

Sed contra: quia repugnat, quod accidentia eiuſdem ſpeciei ſeruent inter ſe eſſentialem ſubordinationem, & comparentur per modum actus, & potentiæ, aut per modum formæ, & ſubiecti: hæc enim diuerſitas in prædicatis, & modo ſe habendi arguit majorem diſtinctionem, quam numericam: ſed omnes gradus charitatis ſunt eiuſdem ſpeciei; cùm quilibet eorum habeat eſſentiam charitatis: ergo ſi intenſio charitatis fieret per additionem gradus ad gradum, nullus reciperetur in alio, ſed omnes immediate afficerent ſubiectum, & per conſequens haberent idem omninò ſubiectum. Ex quo vlterius fit, quod non remaneat aliud genus vnionis inter prædictos gradus, niſi præcisè per continuationem; hæc enim reperitur inter partes eiuſdem rationis. Conſtat autem, qnod intenſio charitatis nequit fieri per continuationem, tùm quia continuatio non deſeruit intenſioni, ſed extenſioni; ſiquidem continuatio conſiſtit in habere partes extra partes; intenſio vero in habere majorem perfectionem circa eandem partem: tùm etiam quia continuatio eſt propria qualitatum vel aliorum accidentium corporalium, ſecus vero ſpiritualium, qualis eſt charitas: ergo non eſt intelligibile, quo pacto prædicti gradus vniantur. Vnde tandem ſequeretur, quod charitas intenſa non eſſet vna charitas, ſed plures charitates remiſſæ, atque eidem ſubiecto aceruatim affixæ: hoc autem non eſt ponere charitatem præexiſtentem magis perfectam in ſe ipſa; ſed plures charitates in eodem ſubiecto. Quo quid abſurdius?

47 Reſpondebis quarto, quod diſtinctio inter illos gradus non eſt realis actualis, ſed tantum realis potentialis. Vnde non ſequitur, quod dentur duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto; nec quod vniantur per continuationem, aut per modum actus, & potentiæ; ſed quod ex gradibus, qui potuerunt eſſe ſeparati, & ſunt quantum eſt de ſe ſeparabiles, fiat idem

numero

numero accidens per identitatem actualem, retenta semper dictione potentiali.

Sed contra: quia licet hic discurrendi modus possit applicari rebus, quæ diuiduntur & vniuntur dependenter ab alio, quod ratione sui aliquando est vnum, & aliquando multiplex, vt infra dicemus agentes de substantia materiali; non tamen illis rebus, quæ per se, & ratione sui sunt separabiles: in ijs enim impossibile est dari gradus, aut partes separabiles, & quod eæ actu non sint distinctæ: cum separatio sit argumentum euidens distinctionis actualis, saltem in his, quæ separantur ratione sui. Qua de causa partes quantitatis sunt realiter actu distinctæ: quia videlicet per se & ratione sui valent mutuò separari. Si autem darentur diuersi gradus charitatis inuicem separabiles, hæc separabilitas conueniret eis per se, & ratione sui; quippe cùm non possent diuidi ad diuisionem subiecti, cùm hoc sit indiuisibile: nec dependenter ab alio principio; siquidem istud non est designabile: ergo prædicti gradus distinguerentur realiter in actu. Et sic instaurantur omnes impugnationes hactenus factæ.

48 Denique respondebis cum Hurtado *disput. 5. sect. 5. num. 40.* quod cum D. Thom. asserit intensionem non fieri per additionem gradus ad gradum, solum intendit prædictos gradus non distingui numero in eodem subiecto; minime vero, quod non distinguantur realiter: nam in sententia S. Doctoris possunt duo accidentia distingui realiter, & non numero. Ipse enim 1. *p. qu. 50. art. 4. in corp.* docet, quod si essent duæ albedines separatæ, non essent plures; cum albedines non sint plures, nisi secundum quod sunt in pluribus subiectis: & tamen euidens est, quod distinguerentur realiter. En igitur (inquit nuperus, ac fidissimus ille S. Doctoris interpres) qualiter in via B. Thom. illa accidentia essent realiter distincta, siquidem ante separationem realiter distinguebantur: & tamen non distinguerentur numero; cùm non essent in distinctis subiectis.

Cæterum hæc euasio non indiget impugnatione; sua enim manifesta falsitate se prodit, præcluditur, ac refellitur. Quoniam vt ostendimus *in Logic. disp. 3. quæst. 5.* implicat, quod aliquid existat à parte rei, & quod non sit quid indiuiduum & habens vnitatem numericam: ergo si intensio charitatis fieret per additionem realem charitatis ad charitatem, vtraque deberet esse aliquid indiuidum, seu singulare: ergo si distinguerentur realiter, non possent non distingui numero, saltem partialiter. Oppositum autem attribuere Sanctissimo Præceptori est manifesta, & injuriosa impostura; cum ille dicendi modus sic exorbitet à vero, vt non solum sit alienus à mente tanti Doctoris, sed vel ab in Philosophia tyrone. Illius quidem loci, quem in sui fauorem Hurtadus trahit, liquidus sensus est, quod si per impossibile duæ albedines separarétur à subiecto, & ab ordine ad subiectum, nunc non essent distinctæ numero, vel realiter; sed

vna,

vna, & eadem albedo contineret totam perfectionem suæ speciei, vt contingit in Angelis. Hinc autem quod fundamentum deducitur ad peregrinum illum dicendi modum.

§. III.

Secunda conclusio respondens directe quæstioni.

49 DIcendum est secundo qualitatem intendi per additionem modi majoris radicationis in subiecto. Sic docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 4. *ad* 3. & aliis pluribus locis, quæ passim lector offendet. Vnde hic dicendi modus communis est inter Thomistas.

Fundamentum est: quia intensio qualitatis nequit fieri absque eo, quod qualitati præexistenti aliquid superaddatur: sed nequit illi superaddi aliquis gradus solo numero diuersus, nec nouus modus vnionis, vel existentiæ: ergo debet ei superaddi modus majoris radicationis, vi cuius possit magis actuare subiectum, eique dominari. Minor constat ex dictis *in hac quæstione num.* 42. & 43. Major autem suadetur, tùm quia causa formalis nisi crescat intra propriam lineam vel ratione entitatis, vel ratione alicuius modi eiusdem lineæ, nequit communicare subiecto perfectiorem effectum formalem; quandoquidem causat istum exhibendo, siue communicando se ipsam: atqui forma, cùm intenditur, communicat subiecto perfectiorem effectum formalem, vt ex se liquet: ergo nequit intensio fieri absque eo, quod qualitati aliquid superaddatur. Tum etiam quia cùm qualitas intenditur, realiter immutatur; alias manebit sicut antea: sed nequit realiter immutari, quin aliquid de nouo recipiat, vt constat ex se, & solent ostendere Thomistæ, dùm probant instrumenta eleuari per receptionem alicuius intrinseci: ergo qualitati, dùm intenditur, aliquid addendum est. Tum denique, quia qualitatem fieri perfectiorem, quin nunc habeat aliquid, quod antea realiter non habebat, & dari nouam actionem, qualis est intensio, absque productione alicuius termini, est ferè inintelligibile, & sententiam D. Thom. ex se probabilissimam reddit satis difficilem, & obscuram, ac pluribus argumentis obnoxiam: ergo dicendum est, quod in intensione aliquid superadditur qualitati præexistenti.

5 Haud facile tamen est exponere, in quo consistat quidditas modi superadditi qualitati, & quem effectum formalem habeat. Nihilominus, vt colligitur ex pluribus locis D. Thom. quæ statim dabimus, asserendum est prædictum modum addere supra entitatem v. g. caloris majorem actualitatem, ratione cuius intra propriam lineam perfectiori modo se habeat: non quidem quia hoc superadditum habeat eadem prædicta specifica cum qualitate præexistenti; sed quia est modus illius ad eundem ordinem pertinens, & intra ipsum, qualitatem perficiens: eo proportionali modo, quo subsistentia complet, & perficit animam rationalem intra genus substan-

ſubſtantiæ, licet non habeat propria prædicata animæ, ſed ſit modus illius. Imo vero ſi id, quod additur calori, eſſet calor, vt concipiunt illi, qui aſſerunt intenſionem fieri per additionem qualitatis ad qualitatem, nullatenus poſſet perficere calorem præexiſtentem: tùm quia vterque calor eſſet eiuſdem rationis, ac proinde non valerent comparari per modum perfectibilis, & perfectiui: tùm quia vnumquodque perficitur, & recipit ſecundum quod eſt in potentia; calor autem non eſt in potentia ad calorem, vt liquet ex terminis. Id ergo, quod qualitati additur, non eſt entitatiuè qualitas; ſed modus qualitatis ipſam perficiens, actualizans, determinans, ac diſponens, vt communicet ſubiecto effectū formalē perfectiorem; ſiquidem communicat ſe ipſam vt magis perfectam per iſtum modū.

51 Ad cuius majorem lucem conſiderandum eſt, quod lignum v. g. (& idem eſt de aliis ſubiectis) eſt in potentia, & indifferentia ad recipiendum calorem, vel frigiditatem. Ex ſuppoſitione autem, quod recipiat calorem ab agente, jam non remanet in potentia ad recipiendum calorem: quia vt aliquid ſit in potentia ad aliquam formam, debet eſſe ſub priuatione illius; lignum vero, vt ſupponitur, eſt actu calidum. Adhuc tamen perſeuerat cum potentialitate ad habendum eumdemmet calorem ſub majori, & majori perfectione; eò quod calor ex parte ſua queit habere modum magis, ac magis perfectum, & conſequenter valet communicare ſuum effectum formalem ſub modo, vel cum modo perfectiori. Ex quo oritur, quod cùm ignis v. g. applicatur ligno jam habenti calorem, licet ignis ſit ex ſe productiuus caloris, & illum de facto produceret, nihilominus, quia ex parte ligni non datur potentia ad recipiendum calorem; cùm illum actu habeat, ideo ignis de facto non producit calorem. Cæterum quia ex parte tum caloris, tum ligni adeſt capacitas ad recipiendum modum magis perfectum ratione cuius calor reddatur perfectior *vt quo*, & lignum *vt quod*: idcircò ignis producit modum quemdam actuantem calorem, qui eſt determinatio, & tantitas, ac *ipſum magis* caloris.

52 Ex quibus facilis eſt intelligentia aliquorum locorum, vbi D. Th. intenſionem qualitatis deſcribit; & inuicem ex ipſis teſtimoniis, eſt ipſis teſtimonijs ea, quæ hucuſque diximus, lucem, & robur accipient. In primis 2. 2. *q.* 24. *a.* 5. *in corp.* explicat intenſionem per hoc, quod *ſubiectum magis ſubdatur quantitati, & hæc illi magis dominetur*: nam indifferentia & quaſi exemptio ſubiecti conſiſtit in propria potentialitate non redacta ad actum formæ: vnde ſicut agens imprimendo qualitatem paſſo, illud ſibi ſubijcit in genere cauſæ efficientis, & quò producit qualitatem ſub modo perfectiori, eo magis ſubiecto dominatur: ita qualitas per ſe ipſam dominatur ſubiecto in genere cauſæ formalis; & eò magis ſubijcit illud ſibi, quò recipit modum perfectiorem: & hoc eſt intendi. Quem ſenſum habent alia verba S. Doctoris *in eadem* 2. 2. docentis quod qualitas intenditur *per hoc, quod*

quod ſubiectum magis, vel minus perfectè participet vnam, & eandem formam : nam cum qualitas ratione modi ſibi ſuperadditi reddatur in ſe ipſa perfectior, valet, etſi entitatiuè inuariata, participari magis perfectè; ideſt, ſub modo perfectiori. Et *in* 1. *d.* 17. *quæſt.* 2. *articul.* 2. aſſerit intenſionem fieri *per hoc, quod eadem qualitas ſemel educta educatur de imperfecto ad perfectum :* quoniam qualitas ante iſtum modum intenſionis ſolùm erat educta quoad entitatem & modum imperfectum, hoc eſt, erat tota educta, ſed non totaliter, vel ſub omni modo: quando autem intenditur, recipit modum perfectiorem tunc eductum; ac proinde educitur de nouo ſub formalitate perfecta, ſeu quoad modum perfectionis. Ex quo oritur, quod qualitas, cùm intenditur, *magis inſit in ſubiecto, magiſque illi radicetur*, vt loquitur 2. 2. *quæſt.* 24. *art.* 4. *ad* 3. quia ineſt, & radicatur ſecundum modum excellentiorem, qui æquiualet pluribus gradibus, ſi eſſe poſſent. Quamvis autem Angelicus Præceptor diuerſis adeò terminis explicet prædictum modum, illum tamen in aſſertione appellauimus *modum radicationis in ſubiecto*, tùm quia phraſis hæc frequentior eſt apud S. Doctorem, & Thomiſtas: tùm quia apprimè inſinuat naturam intenſionis, & quidditatem prædicti modi: nam ſicut eſſe, ac perfectio qualitatis bene exponitur per ſuum ſubiectum, & modum eſſendi in illo; ita intenſio, ſeu major perfectio qualitatis optime declaratur per majorem radicationem in ſubiecto.

§. IV.

Satisfit argumentis in contrarium.

53 COntra noſtras concluſiones ſentiunt D. Bonauent. *in* 1. *d.* 17. *in ſecunda parte diſt. quæſt.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Scotus ibidem *quæſt. vlt.* Gregor. *quæſt.* 4. Gabriel, & Okam *quæſt.* 6. quibus ex Modernis ſuffragantur Suarez, Vaſquez, Rubio, Hurtado, Granado, & alij plures. Licet enim non ſit omnibus idem calor in explicando intenſionem, conueniunt tamen in eo, quod non fiat per modum radicationis in ſubiecto, ſed per additionem qualitatis ad qualitatem.

Pro qua ſententia arguitur primo ex Ariſtot. 4. *Phyſic. text.* 85. vbi aſſerit, quod *ſicut ex frigido fit calidum, ita ex calido fit magis calidum :* ſed ex frigido fit calidum educendo entitatem caloris: ergo ex calido fit magis calidum educendo etiam calorem, & non præcisè modum illius. ¶ Confirmatur primo ex D. Thom. 3. *p. q.* 7. *art.* 12. vbi docet, *quod aër non poteſt creſcere in caliditate, quando pertingit ad vltimum gradum caloris, qui poteſt ſaluari in natura aëris : & quod calor ignis non poteſt augeri, qua non poteſt eſſe perfectior gradus caloris, quam ille, ad quem pertingit ignis :* ergo admittit gradus in qualitate, ſeu perfectionem gradualem, atque ideo ſentit intenſionem fieri per additionem gradus ad gradum. ¶ Confirmatur ſecundo ex eodem S. Doctore

re 2.2. *qu.* 24. *art.* 4. *ad.* 3. vbi inquit: *Quidam dixerunt charitatem non augeri secundum suam essentiam; sed solùm secundum radicationem in subiecto: sed hi propriam vocem ignorauerunt:* constat autem, quod augeri secundum essentiam est augeri secundum entitatem; quod fieri non valet absque nouæ entitatis additione: ergo qualitas intenditur per additionem nouæ qualitatis.

Respondetur ad argumentum, quod Philosophus solum docet idem esse susceptiuum contrariorum, & consequenter, quod sicut ex frigido fit calidum non addendo materiam; sed producendo calorem in eodem subiecto, quod prius erat frigidum: sic ex calido fiat magis calidum non per additionem noui subiecti partialis, sed in eodem prorsus subiecto, quod erat minus calidum. In quo distinguit augmentum intensiuum ab extensiuo: quippe ad istud requiritur noua pars subiecti; illud vero in eodem subiecto fit absque partis additione. Cæterum inter productionem calidi, & magis calidi hoc discrimen intercedit, quod cum subiectum primò fit calidum, non supponitur habere calorem, ac proinde potest illud recipere, & actu recipit: quando vero fit magis calidum, supponitur jam habere calorem, & per consequens nequit alium calorem denuò recipere, ne dentur duo accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto. Vnde agens non producit in subiecto calido calorem; sed perficit calorem imprimendo ei modum majoris actualitatis; & sic subiectum fit magis calidum.

Ad primam confirmationem respondetur D. Th. non admittere in qualitate gradus realiter distinctos, vt constat *ex supra dictis num.* 43. bene autem gradus virtualiter, & æquiualenter diuersos: quoniam calor v. g. radicatus, & perfectus per modum vt octo est ita intensus, & perfectus, ac si ibi essent octo calores partiales componentes eundem totalem calorem: potéstque præstare eosdem effectus tàm in genere causæ efficientis, quam in genere causæ formalis. Nomine igitur gradus solùm significatur tantitas, & determinatio perfectionis in qualitate.

Ad secundam constat *ex supra dictis num.* 36. quod ly *secundum essentiam* significat subiectum intensionis, non terminum eius. In hoc enim distinguitur prima productio charitatis ab eius intensione: quod in prima productione charitas fit *secundum essentiam*, ly *secundum essentiam* significante terminum productionis; nam ipsa essentia, siue entitas charitatis fit. Cæterum in intensione charitas intenditur *secundum essentiam*, ly *secundum essentiam* determinante subiectum, & non terminum; quia non fit entitatiuè charitas, sed quidam modus, cuius charitas est subiectum, & per quem intenditur, seu perficitur. Nec huic doctrinæ opponitur S. Doctor *q. de Virtutibus, art.* 11. *in solut. ad* 2. & 8. vbi negat charitatem augeri vt subiectum augmenti: quoniam solum denegat illi, quod sit subiectum *quod*, & sustentans; minimè vero, quod sit subiectum *quo* & modificatum,

tum, siue perfectum per modum.

54 Arguitur secundo: nam calefactio, cùm primo incipit, & cùm continuatur, est idem motus habens distinctas partes ex quibus resultat vna calefactio totalis, & magis perfecta: sed cùm primo incipit, producit calorem: ergo cùm continuatur, debet producere nouum calorem partialem: aliàs non dabitur debita proportio inter motum, & terminum illius: at cùm calefactio continuatur, intenditur calor: ergo intensio caloris fit per additionem partis ad partem. ¶ Confirmatur quia augmentum qualitatis debet fieri eo proportionali modo, quo augmentum quantitatis; siquidem nomen augmenti conuenit per se primò quantitati, & inde deriuatur ad alia, vt docet D. Th. 1.2.*q.* 52. *a.* 1. *ad* 1. sed augmentum quantitatis fit per additionem partis ad partem, vt tradit Aristot. 1. *de Generat. text.* 31. & ex se liquet: ergo augmentum qualitatis fit per additionem gradus ad gradum.

Ad hoc argumentum constat *ex supra dictis q.* 3. si enim calefactio sit motus intensionis proprie dictus, supponit calorem productum in subiecto, atque ideo neque vt incipiens, neque vt continuata producit calorem, sed solùm modum intensionis illius. Si vero calefactio sit motus alterationis particulariter dictæ, efficit cùm primo incipit, calorem secundum entitatem: vbi autem supponit illum adæquatè introductum in subiecto; jam non producit calorem, sed modum intensionis: nam licet calefactio, quantum est de se, produceret calorem; quia tamen supponit jam productum, non producit illum de facto, sed reddit ipsum magis intensum per impressionem modi, quem hactenus exposuimus. Nec requiritur major proportio inter motum, & terminum illius: quia motus est de genere continuorum, ac proinde queit habere partes formales; quæ tamen non sunt simul in eodem subiecto; cum inter se non coexistant: cæterum qualitas nequit habere partes formales: & si illas, cùm intenditur, haberet, jam duo accidentia solo numero distincta essent simul actu in eodem subiecto, quod repugnat. Satis ergo est ad continuationem alterationis, quod continuò attingat qualitatem, tum producendo eam, tum efficiẽdo modum illius.

Ad confirmationem neganda est consequentia, quoniam augmentum proprium quantitatis est extensiuum, & in ordine ad diuersas partes subiecti; & consequenter potest, & debet fieri per additionem partis ad partem: augmentum autem proprium qualitatis est intensiuum, seu circa eandem partem subiecti, ac proinde nequit fieri per additionem gradus ad gradum: ne reperiantur in eodem subiecto duo accidentia solo numero distincta.

55 Arguitur tertio: quia potest Deus separare albedinem niuis à niue, & albedinem papyri à papyro: sed albedo niuis sic separata esset magis intensa quam albedo papyri: ergo intensio non fit per radicationem in subiecto, sed per additionem gradus ad gradum. Probatur consequentia: quia illæ qualitates,

tates, vt ſupponimus, non eſſent radicatæ in ſubiecto.

Reſponderur negando minorem cum D. Thom. 1. 2. *q.* 53. *art.* 2. *ad* 3. vbi inquit: *Id quod conuenit accidentibus ex parte ſubiecti, non autem ex ipſa ratione accidentis, non attribuitur accidenti in abſtracto ſed in concreto: & huiuſmodi eſt intenſio, & remiſſio in quibuſdam accidentibus: vnde albedo non dicitur magis, & minus, ſed album.* Et ratio eſt: quia intenſio conuenit qualitatibus ratione modi maioris actuationis, & dominij ſupra ſubiectum: quamobrem à ſubjecto præciſo nequeunt participare prædictum modum, neque denominari actu intenſæ. Accedit etiam qualitatem dici magis, & minus adiectiuè, ſeu per ordinem ad ſubſtantiam: forma autem in abſtracto non ſignificatur adiectiuè ad aliud, ſed ad modum per ſe ſtantis: quare qualitas in abſtracto non poteſt dici intenſa, vel remiſſa.

Replicabis: ſi ſcientia Chriſti Domini, & ſcientia alterius hominis ſepararentur ab ipſis, intenſior proculdubio foret ſcientia Chriſti, quam illius hominis, cum ſeſe extenderet ad plura objecta: ergo qualitas in abſtracto, ſeu ſeparata à ſubjecto ſuſcipit magis, & minus. Ad hæc: albedo niuis vt intenſa non connectitur cum niue vt prædicatum eſſentiale, ſed tantum vt quædam proprietas illius: ſed poteſt Deus ſeparare proprietates à ſubſtantia, vt patet in quantitate Euchariſtica, quæ eſt proprietas ſubſtantiæ corporeæ: ergo poteſt Deus ſeparare albedinem niuis cum eadem intenſione, quam habet in niue.

Reſpondetur; quod ſcientia præter intenſionem, quam habet per radicationem in ſubjecto, ſortitur etiam intenſionem per habitudinem ad objectum; quæ proprius appellatur extenſio; quia deſumitur per ordinem ad diuerſas partes objectiuas ſeu diſtincta objecta partialia. Scientia igitur Chriſti Domini ſeparata non diceretur intenſa priori modo propter ea, quæ nuper diximus; bene autem modo poſteriori: quia habitus ſecundum ſe, & in abſtracto reſpicit objectum, & huiuſmodi extenſio non ſignificatur adiectiuè: & ideo nil mirum quod conueniat accidenti in abſtracto, & ſignificato ad modum ſubſtantiæ. Id autem, quod additur facile diluitur: ſunt enim aliquæ proprietates inſeparabiles à ſubjecto, vt videre eſt in accidentibus vitalibus, quæ, vt vitalia ſunt, nequeunt ſeparari à ſubſtantia: & ita ſe habet modus ille, quo qualitates intenduntur; importat nempe actuale dominium qualitatis ſupra ſubjectum. Videantur ſupra dicta *n.* 52.

56 Arguitur quarto: quoniam id, quod aduenit iuſto per aduentum gratiæ, conſtituit ipſum in ratione obiecti congrui maioris dilectionis diuinæ: ſed nullum accidens diſtinctum à gratia valet hominem reddere obiectum dignum maiori amore Dei; cum in nullo accidenti reperiatur tanta bonitas, quanta in gratia: ergo augmentum, ſeu intenſio gratiæ fit per additionem nouæ gratiæ. ¶ Confirmatur primo; quia vna viſio beatifica poteſt eſſe intenſior alia: ſed hæc major intenſio fit per additionem

visionis partialis : ergo. Suadetur minor : quoniam id , quod additur visioni debet esse specialis tendentia in Deum visum : sed tendentia in Deum sub ratione obiecti visi nequit non esse visio saltem, partialis : ergo visio redditur perfectior per visionem sibi additam. ¶ Confirmatur secundo: nam quando duo lumina applicantur eidem medio , producunt in eo lumen intensius : sed ibi dantur duo lumina partialia ; siquidem , posito corpore opaco inter vtrumque luminosum, resultant duæ vmbræ : ergo lumen intenditur per additionem.

Respondetur ad argumentum negando consequentiam : quia vt iustus fiat obiectum cõgruum maioris dilectionis diuinæ , sufficit , quod gratia reddatur magis perfecta per modum sibi superadditum : quamvis enim nihil condistinctum a gratia & illam non importans nequeat dicere maiorem bonitatem , quam gratia ; nihilominus complexum illud ex gratia , & modo illi addito melius ac perfectius est , quam gratia solitariè considerata , & absque modo radicationis in subiecto. ¶ Ad primam confirmationem neganda est minor , quam probatio inducta non euincit : quoniam visio beata non est vtcumque tendentia in Deum visum , sed est prima & essentialis tendentia : id autem , per quod visio redditur intensior , solum est tendentia modalis , seu modus , à quo visio habet tantitatem virtutis ad tendendum in Deum : vnde non sequitur , quod fit visio entitatiue. ¶ Ad secundam constat ex his, quæ diximus *in lib. Physic. disp.* 15 *quæst.* 4. quod si vtrumque illud luminosum agit , non producit lumen in eadem parte medij sed in diuersis: intensio autem debet fieri circa eandem partem : quocircà non infertur dari ibidem vnum lumen intensius, sed lumen extensius , seu productum in pluribus partibus.

57 Arguitur quinto : quoniam qualitatem habere modum majoris radicationis nihil aliud est quam magis inhærere subiecto; sicut enim radicari est inesse , ita magis radicari est magis inesse , atqui intensio non consistit in maiori inhæsione: ergo neque in modo maioris radicationis. Suadetur minor : nam qualitas semotis impedimentis , inhæret subiecto , quantum potest ; siquidem habet inhærendo rationem causæ naturalis : sed etiam si remoueantur omnia impedimenta , non habet omnem intensionem sibi possibilem : ergo intensio qualitatis nequit consistere in maiori eius inhæsione ad subiectum.

Respondetur negando maiorem: quoniam qualitatem habere modum maioris radicationis non significat nec qualitatem , quæ per suam entitatem est apta ad inhærendum, nec modum vnionis, per quem actu inhæret ; sed importat maiorem actualitatem superadditam qualitati , per quam habet vim ad magis actuandum subiectum eique dominandum. Nec oppositum suadet probatio inclusa in maiori : nam radicari , de quo in præsenti , non consistit formaliter in actuali vinculo qualitatis cum subiecto , siue in modo inhærentiæ ; sed in modo superaddito qualitati , vt perfectius

actuet

actuet subiectum. Quamobrem sicut radicari in hoc sensu non est inhærere, ita nec magis radicari est magis inhærere.

58 Arguitur sexto: quia modus radicationis vt quinque, cum aduenit modus vt sex vel perit, vel non? neutrum dici potest: ergo intensio non fit per modos maioris radicationis in subiecto. Probatur minor: nam in primis nequit perseuerare; alias in eodem subiecto darentur duo modi accidentales solo numero diuersi. Deinde non debet perire, tum quia ignis per eandem calefactionem introducit modum vt quinque, & modum vt sex: sed eadem actio non est productiua, & corruptiua eiusdem rei: ergo ad introductionem modi vt sex non perit modus vt quinque. Tum etiam, quia ignis multum elaborauit in producendo modum vt quinque: ergo non est veri simile, quod illum destruat; alias frustra laborasset. Tum denique quia in augmento quantitatis nihil entitatiuè deperditur, sed solum terminatio minoritatis: ergo pariter in augmento qualitatis non debet destrui modus entitatiue, sed solum quoad terminationem.

Respondetur eligendo primam partem dilemmatis: quia modus perfectior continet virtualiter, & eminenter modum minus perfectum & importat diuersam qualitatis terminationem: quapropter, aduenientе modo vt sex, oportet quod pereat modus vt quinque. Et ad primam probationem in contrarium dicendum est nullum esse inconueniens in eo, quod idem motus producat, cum incipit, aliquem terminum, quem, cum continuatur destruit; ex eo, quod producit terminum perfectiorem, & incompossibilem cum primo: vt videre est in motu locali continuò producente vbicationes, quas tamen etiam continuo destruit, quatenus producit alias vbicationes cum præcedentibus incompossibiles. Idemque proportionabiliter dicendum est de calefactione continuo producente diuersos modos intensionis. ¶ Ad secundam probationem dicimus, quod sicut, aduenientе forma v. g. equi, perit forma embrionis; licet agens in ea formanda multum elaborauit: ita, succedente modo perfectiori, debet perire modus imperfectior, quamvis ignis in eo attingendo non leuem operam dederit. Et ratio est eadem vtrobique, nempe, quia duæ formæ sunt incompossibiles in eadem materia, & duo modi tantitatis determinationis, & radicationis in eadem qualitate. Nec hinc sequitur, quod ignis frustra laborauerit in formando modum minus perfectum: quoniam frustraneum dicitur id, quod non assequitur finem: modus autem imperfectus ordinatur ad perfectiorem, & in eo virtualiter continetur: & ideo quamvis cesset ad productionem modi perfectioris, non dicitur frustra productus: sicut licet media cessent, assecuto fine; non ideo dicuntur frustra adhiberi. ¶ Ad tertiam probationem respondetur negando consequentiam ob manifestam disparitatem: nam quantitas major includit formaliter minorem vt partem sui; atque ideo cum quantitas fit major, nequit perire quantitas, quæ erat minor: cæterum modus

intensionis

intensionis perfectior continet eminenter modum imperfectiorem; ac proinde adueniente modo vt sex, superfluit modus vt quinque, & consequenter perit. Præterquam quod, licet in augmento quantitatis non pereat entitas quantitatis, perit tamen modus, & terminatio præexistẽs: vnde etiã in intensione qualitatis etsi non destruatur entitas qualitatis; debet nihilominus destrui terminatio prior, & consequenter modus radicationis qui est ipsa determinatio qualitatis.

59 Sed replicabis: quoniam hinc sequitur, quod si aqua calida vt tria, & frigida vt quinque fiat frigida vt sex, pereat non solum modus caloris vt tres, sed etiam ipse calor: consequens est absurdum, cum destruat remissionem qualitatis, ad quam requiritur, quod qualitas præexistens non pereat, sed fiat imperfectior: ergo doctrina hactenus tradita falsa est. Sequela ostenditur: nam si in calore vt tres solum inuenitur vnicus modus intensionis vt tres; hoc ipso, quod in aqua calida pereat ille modus per introductionem frigiditatis vt sex, necessarium est, vt pereat entitatiuè ipse calor: quippe qui remanere non potest absque omni modo radicationis, vt ex se liquet. Nec vim huius replicæ declinabis dicens resultare tunc in calore modum vt duo: hoc enim facile præcluditur, tum quia nouus iste modus non producitur ab aqua, cum illi sit cõtrarius; neque ab igne, cum eius actio jam cessauerit, neque ab aëre circunstante, cum multoties sit satis frigidus: ergo non producitur nouus modus. Tum etiã, quia ex suppositione quod destruatur modus vt tres, nulla est ratio, ob quam debeat potius resultare modus vt duo, quam alius modus.

Respondetur negando sequelam, cuius probatio nullius roboris est: quoniam ad introductionem frigiditatis vt sex non perit calor entitatiuè, nec omnis modus eius; sed resultat modus caloris, vt duo, qui compossibilis est cum frigiditate vt sex. Causa autem prædicti modi est ignis, qui introduxit calorem in aqua: cuius actio licet cessauerit formaliter in se ipsa; perseuerat tamen virtualiter in suo termino, nempe in entitate caloris ibi remanente, & ab illa resultat immediatè nouus ille modus vt duo, sicut de passionibus dimanantibus ab essentia diximus *in lib. Physic. disp.* 10. *quæst.* 5. Ratio autem, quare resultet potius modus vt duo, quam alius modus, est: quia calor aquæ petit, & fundat illum modum radicationis, qui est compossibilis cum frigiditate aquæ, & cum quo calor ipse melius se habet: vnde cum modus intensionis vt duo, & non maior sit compossibilis cum frigiditate vt sex, & alias modus vt duo sit perfectior, quam modus vt vnum; ideo calor aquæ quando introducitur frigiditas vt sex determinatur magis ad modum vt duo, quam ad alios modos, ac proinde resultat potius ille, quam alij.

60 Vltimo arguitur: quoniam id, quod acquiritur per intensionem, terminat saltem *vt quo* motum intensionis: sed modus à nobis positus nequit produci per motum intensionis: ergo intensio non fit additione modi, sed per additionem qualitatis ad qualitatem. Probatur minor: quia ad continuationem motus requiritur, quod

quod illius terminus habeat diuisibilitatem, & latitudinem, vt sic totus terminus correspondeat toti motui, & pars termini parti motus: atqui motus intensionis est continuus; modus verò à nobis positus est indiuisibilis: ergo impossibile est, quod prædictus motus terminet motum intensionis.

Ad hoc argumentum constat ex supradictis *quæst.* 1. nam, vt ibidem obseruauimus non omnis qualitas fit, aut intenditur per motum successiuum: quod satis apparet in qualitatibus spiritualibus, vt puta gratia, charitate, & scientia, quæ sunt capaces veræ intensionis; & nihilominus non intenduntur per motum physicum, siue successiuum, sed tantùm instantaneè & discretò. Vnde motus intensionis continuus, & successiuus dumtaxat terminatur ad qualitates corporeas, & habentes alia requisita ad terminandum per se motum. Qualitas autem, hoc ipso, quod corporea, sit, habet diuisibilitatem virtualem, & potentialem; valetque proindè introduci diuisibiliter, ac successiuè in subjecto. Idemque asserendum est de modo radicationis, ad quem terminatur motus intensionis continuus: nam etiam prædictus modus est corporeus, & habens diuisibilitatem potentialem, vt videre est in calore vt duo existente in quantitate palmari: nam sicut in toto palmo est idem actu calor, & multiplex in potentia, sic etiam est vnicus actu modus radicationis vt duo, & multiplex in potentia; quippè cùm afficiat totum calorem, & sequatur conditiones illius. Quamobrem sicut calor potuit introduci diuisibiliter, & continuò juxta diuisibilitatem subjecti; ita & modus radicationis: atque ideò quemadmodum motus alterationis terminatus ad qualitatem est continuus; sic etiam motus intensionis, qui terminatur ad modum.

Nec refert, si objicias, quod intensio debet fieri circa eandem partem; & consequenter debet saluari continuitas, ac successio motus intensionis independenter à diuisibilitate qualitatis, & extensione subjecti. Non inquam, hoc refert, nam cùm dicitur intensionem fieri circa eandem partem, solùm designatur illud, quod acquiritur per intensionem, debere afficere eandem partem, in qua præexistebat qualitas intensibilis, & non exigere nouam partem subjecti: minimè autem significatur terminum intensionis debere recipi solùm in vna, & indiuisibili parte. Imò verò hoc est impossibile: quoniam id quod superadditur qualitati, & reddit ipsam intensam, debet eam immediatè actuare, ac recipi, ea mediante, in subjecto: quocirca sicut ipsa qualitas corporea recipitur diuisibiliter, & informat diuersas subjecti partes; sic & modus radicationis illi superadditus debet diuersas partes actuare, & recipi diuisibiliter: vnde potest, quantum est ex hoc capite, terminare motum successiuum. Distinguitur tamen augmentum intensiuum ab augmento purè extensiuo, quoniam ad extensionem puram requiritur, vt illud, quod

de nouo acquiritur, informet nouam partem ſubiecti, & ſit extra illam entitatem, quæ ad augmentum ſupponitur: intenſio autem non petit nouam partem ſubjecti, neque modus per illam acquiſitus eſt extra qualitatem, quam intendit; ſed illam intrinſecè, & formaliter afficit in eademmet parte ſubjecti, in qua præexiſtebat. Importat nihilominus hæc intenſio qualitatis corporeæ nonnullam ſimilitudinem cum extenſione: quoniam qualitas corporea, & modus radicationis illius non valent eſſe in ſubjecto indiuiſibili; ſed neceſſario expoſtulant ſubjectum extenſum, & habere partes ſaltem potentiales: vnde habet ſibi annexam extenſionem, ſed non puram.

QVÆSTIO VII.

De augmento extenſiuo habituum.

HAbita notitia augmenti conuenientis qualitati ex participatione ſubjecti, quod propriè appellatur intenſio; agendum ſupereſt de augmento, illi conuenienti per reſpectum ad objectum, quod communiter vocatur extenſio juxta ea, quæ ſuprà obſeruauimus *quæſt.* 5. Et quamuis huiuſmodi augmentum inueniatur in pluribus qualitatibus, quæ ab extrinſeco ſpecificantur; potiſſimè tamen cernitur in habitibus ſcientificis acquiſitis. Quocircà claritatis gratia, & vt confuſionem, ac prolixitatem vitemus, præſens quæſtio ad huiuſmodi habitus reſtringenda eſt: illius tamen reſolutio poterit aliis habitibus proportionabiliter applicari.

§. I.

Reſolutio difficultatis ex D. Thoma.

61 DIcendum eſt primò extenſionem ſcientiæ ad diuerſas concluſiones, ſiue objecta partialia non fieri per additionem noui habitus partialis. Hãc ſtatuit expreſſè Angelic. Doct. 1. 2 *q.* 54. *art.* 4. his verbis: *Habitus eſt qualitas ſimplex non conſtituta ex pluribus habitibus, etiamſi ad multa ſe extendat.* Et in ſolutione *ad* 3. *Ille, qui in aliqua ſcientia acquirit per demonſtrationem ſcientiam vnius concluſionis, habet quidem habitum, ſed imperfectè: cùm verò acquirit per aliquam demonſtrationem ſcientiam alterius concluſionis, non aggeneratur ei alius habitus.* S. Doctorem ſequuntur communiter eius diſcipuli, Caietanus, Conradus, Medina, *loco proximè citato.* Capreolus *quæſt.* 3. *Prologi, art.* 1. *concluſ.* 1. Ferrara 1. *contra Gentes cap.* 56. Idem amplectuntur ex extraneis Valentia, Vazquez, Salas, & alij plures, quos refert, & ſequitur Gregorius Mart. 1. 2. *q.* 52. *art.* 2. *dub.* 2.

Probatur primò ratione deſumpta ex D. Thom. *loco citato*: quoniam ita proportionabiliter extenditur habitus ſcientificus ad diuerſas concluſiones, ſicut intellectus ad diuerſa objecta partialia

lia : habitus enim est perfectio potentiæ in ordine ad proprium eius obiectum, ac proindè debet illi in modo extensionis proportionari : atqui intellectus, etsi extendatur ad plura, & valdè diuersa obiecta, est simplex potentia, & non componitur ex potentiis partialibus : ergo, quamuis scientia extendatur ad plures, & diuersas conclusiones, erit vnus simplex habitus, absque additione reali habitus ad habitum. Probatur consequentia : nam ideò intellectus attingens plura obiecta partialia est vna simplex potentia, quia attingit illa sub vna ratione formali *sub qua* : sed etiam scientia attingit omnes suas conclusiones sub vna, & eadem ratione formali *sub qua*, vt statuimus *in Logica disp. 19. quæst. 4.* Ergo sicut ad hoc, vt intellectus se extendat ad sua obiecta, non est necessaria additio potentiæ ad potentiam ; ita ad hoc, quod scientia extendatur ad suas conclusiones, non erit necessaria additio habitus ad habitum.

Confirmatur, & simul præcluditur tacita quædam euasio : quoniam licet verum sit, quod potentia est principium magis vniuersale, quam habitus ; ex hoc tamen solùm sequitur, quod potentia ad plura obiecta se extendat, quam habitus, minimè autem, quod habitus non se extendat ad sua obiecta, etsi pauciora, eo proportionali modo, quo potentia fertur ad plura obiecta : sed potentia attingit plura obiecta sub vna, & eadem ratione formali *sub qua* ; & ob hanc rationem est vna, & indiuisibilis qualitas : ergo pariter habitus debet attingere sua obiecta sub eadem ratione formali *sub qua* ; & consequenter erit qualitas simplex, nec constituetur ex habitibus partialibus. Sicut quia species intelligibilis Angeli perficit illius intellectum, eique proportionatur, queit repræsentare plura obiecta materialia, & inadæquata sub eadem adæquata, & formali ratione sub qua ; & consequenter est forma simplex : quamuis intellectus Angeli sit principium magis vniuersale, quam illius species intelligibilis.

62 Secundò suadetur eadem conclusio : nam plures habitus partiales nequeunt vniri inter se ad constituendum vnicum habitum totalem : ergo habitus scientificus non extenditur per additionem habitus ad habitum. Antecedens suadetur : quia in primis nequeunt habitus partiales vniri per continuationem, tum quia huiusmodi vnitas solùm inuenitur per se primo in quantitate, & secundario in rebus quantis : habitus autem scientificus est purè spiritualis, vt ex se liquet. Tum etiã, quia ea, quæ sunt diuersæ speciei, non valent continuari : sed si darentur habitus partiales, non possent non specie distingui ; aliàs darentur in eodem subiecto duo accidentia solo numero distincta : ergo huiusmodi habitus nequeunt vniri per continuationem. Deindè non possunt vniri per modum actus, & potentiæ : quoniam illud, quod in aliquo ordine habet rationem actus, nequit in eodem ordine habere rationem potentiæ : sed quilibet ex illis habitibus est in genere habitus quidam actus seu forma accidentalis : ergo nequeunt inter se comparari, ac vniri per modum actus, &

potentiæ. Denique vniri non possunt per quandam subordinationem, & coordinationem (vt quidam loquuntur) ex eo, quod tendant ad vnum, & idem objectum totale: quia vel illud objectum est vnum, & idem in esse scibilis propter eandem rationem formalem *sub qua*; & sic poterit attingi per eundem simplicem habitum, eritque proindè superflua constitutio ex pluribus habitibus partialibus: vel objectum est multiplex in esse objecti propter plures rationes formales *sub quibus*, & ita specificabit habitus adæquatè distinctos: ac proindè minimè poterit habitibus aliàs diuersis vnitatem coordinationis trãsfundere.

63 Dicendum est secundò extensionem scientiæ fieri per additionem modi majoris actualitatis, ac perfectionis. Sic docet D. Th. 1. 2. *quæst.* 53. *art.* 2. *ad* 1. vbi inquit: *Habitus secundum se consideratus est forma simplex, & secundum hoc non accidit ei diminutio, sed secundum diuersum modum participandi, qui prouenit ex indeterminatione potentiæ ipsius participantis, quæ scilicet diuersimodè potest vnam formam participare, vel quæ potest ad plura, vel ad pauciora extendi.* Idem tradunt communiter Thomistæ, quos proindè superfluum foret in particulari referre.

Fundamentum est: quia non potest aliquid fieri perfectius absque additione alicuius entitatis, vel modi, vt suprà ostendimus *num.* 49. sed cùm habitus extenditur ad nouam conclusionem, fit perfectior, & actualior: ergo nequit eius extensio fieri sine additione alicuius nouæ entitatis, vel modi: at non extenditur per additionem habitus, seu entitatis partialis, vt constat ex proximè dictis: ergo extenditur per additionem modi. ¶ Confirmatur: nam sicut habitus habet suam latitudinem intensiuam per ordinem ad subjectum; sic habet latitudinem extensiuam per habitudinem ad objectum: sed vt habitus magis accedat ad subjectum, sufficit, & requiritur modus majoris radicationis, seu intensionis: ergo ad hoc, quod habitus magis accedat ad objectum per extensionem ad nouas conclusiones, sufficit, & requiritur modus nouæ extensionis ei superadditus.

§. II.

Soluuntur argumenta contraria.

64 OPpositam opinionem asserentem scientiam totalem attingentem objectum adæquatum esse habitum compositum ex pluribus habitibus partialibus tendentibus in diuersa objecta inadæquata defendunt Scotus *in* 2. *distinct.* 3. *quæst.* 15. Aureolus, Gabriel, Marsilius, & alij, quibus subscripsit Suarez *disp.* 44. *Metaph. sect.* 11.

Probatur primò authoritate D. Thom. 1. 2. *q.* 52. *art.* 2. vbi negans augmentum qualitatis intensiuum fieri per additionem statim id concedit augmento extensiuo dicẽs: *Sed quia quædam accidentia augentur secundum se ipsa, vt suprà dictum est*

est, in quibusdam eorum fieri potest augmentum per additionem, &c. *similiter & scientia potest augeri secundum se ipsam per additionem, sicut cum aliquis plures conclusiones Geometriæ addiscit.* Si autem augmentum extensiuum fieret per solum modum extensionis, non distingueretur augmentum extensiuum ab intensiuo per hoc, quod istud fiat absque additione, secùs verò illud: ergo ex mente D. Thom. extensio habituum non fit per solum modum, sed per additionem noui habitus partialis.

Respondetur, quod etsi augmentum tàm intensiuum, quàm extensiuum fieri non valeat per additionem qualitatis ad qualitatem, vel habitus ad habitum; attamen in hoc distinguuntur, quod in intensione nec modus additur modo, sed ad impressionem vnius alter necessariò destruitur, vt vidimus *quæst. præced.* Cæterùm in extensione habitus ad diuersas conclusiones modus superadditur modo præexistenti, & vterque simul est in eodem habitu. Ob quam differentiam merito asseruit S. Doct. intensionem qualitatum fieri absque additione; in extensione verò habituum aliquam additionem interuenire.

65 Sed contrà arguitur secundò: quoniam vel prædicti modi extensionis distinguũtur solo numero, vel distinguuntur specie? si dicatur primum: ergo jam duo accidentia solo numero, distincta inueniuntur in eodem subjecto. Si eligatur secundum: ergo non poterunt vniri inter se, neque cum habitu ad constituendam vnam, & eandem scientiam totalem; siquidem tàm habitus, quàm quiuis ex his modis habet rationem actus, & formæ, ac proindè non poterunt inter se vniri per modum actus, & potentiæ. Vnde ratio à nobis facta *n.* 62. contra oppositam sententiam retorqueri valet aduersus nostram opinionem.

Respondetur eligendo secundam partem dilemmatis: quoniam ij modi producuntur per actus scientificos specie diuersos, & tendunt ad distincta objecta partialia specie differentia. Objecta enim, quæ attinguuntur ab habitu sub ratione quadam communi, & ideò non impertiuntur habitui multiplicitatem specificam, respiciuntur ab actibus, & modis sub rationibus magis limitatis, ac proindè queunt illis diuersas species transfundere. Porrò modi non vniuntur inter se per modum actus, & potentiæ; sed omnes comparantur per modum actus ad habitum, quem modificant: & consequenter vniuntur in quodam tertio. Nam licet scientia habeat rationem actus, & formæ respectu intellectus; nihilominus in comparatione ad modos, & in ordine extensiuo habet rationem potentiæ: quia quamuis per suam entitatem sit extensibilis, non est tamen actu extensa; sed indiget peculiari modo superaddito sibi, vt inclinetur, ac determinetur ad particularia objecta. Neque hinc sequitur posse eodem modo vniri habitus partiales, quatenus recipiuntur in eodem intellectu: quoniam habitus, & potentia constituunt lineas adæquatè diuersas, & consequenter vnio habituum cum potentia nequit deseruire,

re, vt habitus dicuntur vniri inter se aliquomodo intra propriam lineam. Modus autem extensionis reducitur ad eandem lineam habitus, quem modificat, & cum quo saltem largè, identificatur : vnde queunt plures modi vniri per se in eodem habitu tanquam in vnico tertio.

66 Tertiò arguitur : nam ideò extensio habitus non fieret per additionem habitus, quia habitus debet proportionari potentiæ, & ista extenditur ad sua obiecta absque additione potentiæ : sed hæc ratio est nulla : ergo. Suadetur minor : quia potentia non indiget nouo modo, vt extendatur ad obiecta partialia sibi connaturalia : & tamen ex hoc non infertur, quod habitus valeat extendi ad distincta obiecta absque additione modi : ergo ex eo, quod potentia extendatur absque additione potentiæ, non rectè colligitur, quod habitus extendatur absque habitus additione.

Respondetur negando minorem ad cuius probationem dicendum est potentiam, v. g. intellectum esse proprietatem fluentem ab anima inuariabiliter, & ideò ex vi suæ primæ productionis oritur cum omni extensione, quam circa proprium obiectum valet habere in actu primo radicali : quapropter non indiget aliquo modo sibi superaddito, vt in actu primo inclinetur, seu determinetur ad obiecta sibi connaturalia ; sed solùm actuali operatione, per quam illa attingat in exercitio. Cæterùm habitus naturales produntur per nostros actus : Et quamuis omnes actus, qui versantur circa obiectum alicuius habitus, attingant idem formale obiectum ; nullus tamen actus in particulari, & specie materiali ab aliis distinctus extenditur ad obiectum materiale alterius ; sed ob suam limitationem determinatur ad obiectum proprium sibi. Vnde fit, quod quilibet actus ex quo capite attingit idem formale obiectum in esse scibilis, nequeat generare habitum diuersæ speciei ; ac proindè si illum inueniat productum, nullum habitum efficiet : ne vel semel factum iterùm producat, vel duo accidentia solo numero diuersa inueniantur in eodem subiecto. Sed ex quo capite vnus actus non se extendit ad obiectum particulare alterius, nequit producere habitum vt extensum ad tale obiectum ; & per consequens requiritur actus nouus, à quo recipit habitus nouum modum, per quem extenditur in actu ad obiectum prædicti actus. Quamobrem etsi intellectus, & habitus debeant proportionari in hoc, quod vterque sit qualitas simplex, seu non composita ex potentiis, ac habitibus partialibus, vt suprà ostendimus *num. 61.* nihilominus quoad modum extensionis habent differentiam, quam nuper assignauimus.

67 Quartò arguitur, & simul impugnatur præcedens solutio : nam habitus v. g. scientia ponitur ad vincendum difficultates occurrentes in attingentia proprij obiecti : sed intra latitudinem eiusdem scientiæ sunt plures, ac diuersæ difficultates ; quandoquidem, acquisita scientia circa primam conclusionem, adhuc datur difficultas circa vigesimam, & quadragesimam :

mam: ergo vt scientia extendatur ad omnes conclusiones, requiruntur plures habitus partiales. ¶ Confirmatur primò: quoniam habitus naturales generantur per actus: atqui intra latitudinem vnius scientiæ v. g. Philosophiæ dantur actus specie distincti; siquidem diuersus specie est actus, quo ostenditur mixtum esse corruptibile, quia constat ex contrariis, ab eo, quo demonstratur ignem esse leuem ex paucitate materiæ: quippè cùm ij actus attingant diuersa objecta, & per distincta media formalia: ergo generant distinctos habitus partiales, & consequenter extensio habitus fiet per additionem habitus ad habitum. ¶ Confirmatur secundò: nam per secundum actum scientificum acquiritur aliqua facilitas, vt experientia constat: sed habitus consistit in hac facilitate: ergo generatur aliquis habitus partialis; & consequenter extensio scientiæ non fiet per solam additionem modi, sed per additionem habitus.

Respondetur ad argumentum, quod habitus ponuntur ad vincendas difficultates formales prouenientes ex objecto, & actu adæquatis; secus verò ob diuersos actus inadæquatos, & objecta materialia: cùm autem per primum actum attingitur proprium objectum habitus, jam deuincitur difficultas formalis; siquidem jam attingitur propria ratio *sub qua* prædicti habitus: vnde non supereſt noua difficultas formalis adæquata; sed tantùm adest difficultas materialis ob defectum extensionis ad objecta inadæquata. Cæterùm vt hæc difficultas superetur non est necessarium ponere nouum, ac distinctum habitum; sed sufficit, quod habitui præexistenti imprimantur noui modi, quibus mediis determinetur intrinsecè ad objecta inadæquata.

Ad primam confirmationem respondemus, quod habitus neque specificatur, neque generatur per actus materialiter acceptos, & provt præcisè pertinent ad ordinem entis; sed per eosdem formaliter sumptos, quatenus pertinent ad ordinem scientificum, & attingunt objectum in esse scibilis. Quamuis autem intra latitudinem eiusdem habitus dentur actus specie distincti in esse entis ob diuersa objecta, quæ attingunt; nihilominus omnes illi actus constituunt vnum, & eundem actum adæquatum in esse scibilis, quia respiciuntur ab habitu sub eadem ratione formali *sub qua*: quocircà non generant necessariò diuersos habitus; sed vel generant habitum, cùm illum non supponunt productum, vel si supponant productum, imprimunt ei nouos modos, quibus determinatur, & extenditur ad diuersa objecta inadæquata. Et hoc pacto se habent illi actus, qui in hac confirmatione referuntur: distinguuntur enim specie ob diuersa objecta, quæ licet sint inadæquata respectu habitus, adæquantur actibus materialiter acceptis, & in esse entis: at ijdem actus constituunt eundem actum adæquatum in esse scibilis, ac proindè non producunt diuersos habitus. Per quod etiam patet ad secundam confirmationem: nam id, quod per secundum

ſecundum actum ſcientificum acquiritur, non eſt noua facilitas formalis in ordine ad objectum adæquatum ſpecificans, in qua facilitate ſita eſt eſſentia habitus; hæc enim ſupponitur acquiſita: ſed eſt extenſio facilitatis præexiſtentis, ſeu habitus jam acquiſiti, & in ordine ad objectum inadæquatum. Ad huiuſmodi autem extenſionem non requiritur productio habitus partialis; ſed ſufficit impreſſio noui modi. Videantur quæ diximus *in Logic. diſp. 19. quæſt. 4.* ex quibus facilè occurritur aliis difficultatibus, quæ poſſunt ſuboriri in præſenti; vnde in eis enucleandis non immoramur.

68 Vltimò arguitur: quoniam vnus, & idem ſimplex habitus nequit corrumpi, & non corrumpi, vt patet ex terminis: ſed habitus ſcientificus poteſt corrumpi circa vnam concluſionem, & non circa aliam: ergo habitus attingens vtramque non eſt ſimplex qualitas, ſed coaleſcit ex diuerſis habitibus partialibus, & ratione eorum queit extendi, vel non extendi ad diſtinctas concluſiones. Minor ſuadetur: quia frequenter quis obliuiſcitur vnius concluſionis, & non alterius; patiturque proindè magnam difficultatem circa vnam, & non circa aliam: ergo habitus (qui in facilitate conſiſtit) corrumpitur circa vnam concluſionem, & perſeuerat in ordine ad alteram.

Confirmatur primò: nam ſi habitus circa primam concluſionem, & habitus circa ſexageſimam foret idem ſimplex habitus, tunc per eundem habitum expelleretur error circa primam concluſionem, & error circa ſexageſimam: quippè cùm idem ſimplex habitus debeat habere idem contrarium: conſequens eſt falſum; ſiquidem valet quis habere ſcientiam primæ concluſionis, & errorem circa ſexageſimam, vt patet experientia: ergo habitus attingens vtramque concluſionem non eſt ſimplex, ſed componitur ex habitibus partialibus. ¶ Confirmatur ſecundò: quia ſi vnus, & idem ſimplex habitus ratione diuerſorum modorum extenditur ad omnes ſuas concluſiones, deperdito habitu circa primam concluſionem, corrumperetur omninò quoad ſuam entitatem, & conſequenter quoad omnes concluſiones; ſiquidem habitus fuit productus per primam demonſtrationem circa primam concluſionem à qua proindè dependet: hoc autem ſatis apparet abſurdum: ergo, &c.

Ad argumentum neganda eſt minor: quoniam nequit habitus corrumpi entitatiuè circa vnam concluſionem, quin pereat circa omnes; cùm ſit eadem ſimplex qualitas. Nec probatio in contrarium vrget: illa enim difficultas, quam quis experitur in attingentia concluſionis, cuius eſt oblitus, non oritur ex defectu inclinationis ad objectum formale ſpecificans; ſed ex defectu modi extẽſionis ad illam cõcluſionem particularem. Quapropter aduenientе illo modo extenſionis, vincetur prædicta difficultas; nõ quidem à ſolo modo, vel à ſolo habitu;

bitu ; sed ab habitu vt determinato per modum.

Ad primam confirmationem dicimus habitum scientificum , & errorem illi oppositum non habere contrarietatem perfectam , neque se expellere actu , nisi quatenus sunt sub statu perfecto , & vterque extenditur ad idem obiectum materiale, & formale. Ad quod requiritur non sola ac nuda entitas habitus,sed etiam modus;siue,quod idem est ,requiritur habitus vt determinatus per modum extensionis. Vnde cum habitus scientificus queat carere modo extensionis ad sexagesimam conclusionem,optimè fieri potest, quod detur scientia primæ conclusionis , & error circa sexagesimam , & ideo neganda est sequela.

Ad secundam confirmationem dicendum est nullum esse absurdum in eo , quod deperdita scientia primæ conclusionis , quæ se habeat vt primum principium respectu aliarum , destruatur habitus scientificus quoad omnes conclusiones , atque ideo secundum suam entitatem. Nam hoc ipso,quod quis nesciat resoluere conclusiones alicuius scientiæ vsque ad prima principia , nequit habere substantialiter scientiam ; & consequenter necesse est, quod habitus pereat entitatiuè.

DISPVTATIO V.

De Nutritione.

HABITA sufficienti notitia generationis in communi , rectus ordo postulat vt de nutritione , & augmentatione , quæ ad rem genitam sequuntur, cum Arist. disputemus. Et quia nutritio augmentationem præcedit , prius de illa differendum est. Quamvis autem possemus plura dubia excitare tam circa nutritionem , quam circa potentiam nutritiuam ; nonnulla tamen reseruabimus libris de Anima , vbi propriam sedem habent , ea tantum in præsenti tangentes , quæ conueniunt nutritioni , quatenus augmentationem concomitatur : sub hac enim ratione contemplatur illam Philosophus *in hoc libro*. sed quia ad perfectam intelligentiam eorum , quæ ad nutritionem spectant ; opus omnino est prius determinare , an

substantia corporea habeat intra proprium genus partes integrales actu distinctas : hac quippè difficultate non deuicta; impossibile est designare terminum *ad quem* nutritionis : idcirco ante alia dubium istud versabimus, ac decidemus. Cuius exacta resolutio pendet ex pluribus, quæ *in libris Physicorum* statuimus ; quamobrem noluimus illam anteuertere in Logica : & plurimum confert præcipuè ad notitiam nutritionis, quocirca huic disputationi attexendam fore censuimus.

QVÆSTIO I.

An substantia corporea habeat intra proprium genus partes integrales actu distinctas.

POssemus quidem quæstionem hanc vtpote valde grauem, & implexam longius producere ; cum noua fundamenta aperiendo in propriæ sententiæ patrocinium, cum noua tela intorquendo in aduersam opinionem. Id vero minime nobis in animo est : & quia non excogitandi noua, sed colligendi antiqua munus demandatum habemus : & quia vetera sufficiunt, nouo tamen ordine digesta ; ac perspicuitate vestita. Supponimus autem in præsenti, quod substantia corporea completa componitur ex partibus physicis, nimirum materia, & forma : & dubitamus, an ipsæ partes physicæ v. g. materia prima componantur ex partibus integralibus, distinctis actu intra genus substantiæ, atque ideo substantialiter ? an vero omnis multitudo actualis partium integralium sit formaliter accidentalis, & de linea quantitatis.

§. I.

Vera sententia, & primum illius fundamentum.

1 DIcendum est substantiam corpoream non habere partes integrales distinctas actu, & formaliter intra genus substantiæ. Hanc assertionem frequenter docent Arist. & D. Thom. quorum testimonia ideo in præsenti non congerimus, & recensemus, quia totam hanc quæstionem in suis locis pro oportunitate exornabunt. Eandem amplectuntur grauiores Thomistæ, Capreolus *in* 2. *dist.* 18. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 4. Caietanus 1. *p. q.* 52. *art.* 1. Ferrara. 1. *Physic. q.* 4. Soncin. 5. *Metaph. q.* 19. Sanchez Sedeño *lib.* 5. *Logicæ quæst.* 15. *concl.* 7. Nazarius 1. *p. q.* 50. *art.* 2. *in formatione textus* N. Salmantic. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 2. *dub.* 2. *& sequent.* Vnde merito Suarez *disp.* 4. *Metaph. sect.* 4. dixit hanc sententiam esse receptissimam inter Thomistas. Cui etiam suffragantur ex aliis Durandus *in prim. dist.* 34. *quæst.* 1. B. Albertus

Albertus 1. *Physic. quæst.* 5. Toletus ibidem *quæst.* 7. Vazquez 1. *p. disp.* 196. *cap.* 3. *& tomo* 3. *in* 3. *p. disp.* 190. *cap.* 3. & alij plures.

Probatur ratione primo: quoniam materia prima nequit habere ex se, & intra genus substantiæ partes integrales actu distinctas: ergo substantia corporea caret prædictis partibus. Consequentia liquet vt fatentur ipsi Aduersarij, apud quos huiusmodi partes reperiuntur, per se primo in materia; alias substantia hominis, cuius forma est spiritualis, nullas haberet partes entitatiuas, quas tamen illi totis viribus adstruunt. Antecedens autem suadetur: quia si materia prima haberet ex se, & intra genus substantiæ partes actu distinctas, non posset non habere ex se vnitatem numericam positiuam: consequens est falsum, vt constat *ex dictis in lib. Physic. disp.* 3. *quæst.* 3. ergo materia prima non habet ex se intra genus substantiæ partes actu distinctas. Sequela ostenditur: nam ideo quantitas est ex se positiuè indiuidua; & principium vnitatis numericæ in aliis, quia habet ex se, & intra proprium genus partes integrales actu distinctas: ergo si materia prima haberet ex se, & in ordine substantiæ partes actu distinctas, non posset non habere ex se vnitatem numericam positiuam. Quare cum materia prima solum sit vna numero negatiue, quatenus non habet ex se principium vnitatis, vel pluralitatis positiuæ, consequens est vt careat ex se partibus integralibus actu distinctis.

Quam rationem satis exprimit, & illustrat D. Thom. 4. *contra Gentes cap.* 65. his verbis: *Habet autem, & hoc proprium quantitas dimensiua inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se indiuiduatur: quod ideo est, quia positio, quæ est ordo partium in toto in eius ratione includitur: est enim quantitas positionem habens. Vbicumque autem intelligitur diuersitas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi indiuiduationem. Nam quæ sunt eiusdem speciei, non multiplicantur nisi secundum indiuiduum: & inde est, quod non possunt apprehendi multæ albedines nisi secundum quod sunt in diuersis subiectis; possunt tamen apprehendi multæ lineæ; etiam si secundum se considerentur. Diuersus enim situs, qui per se lineæ inest, ad pluralitatem linearum sufficiens est. Et quia sola quantitas dimensiua de sui ratione habet vnde multiplicatio indiuiduorum in eadem specie possit accidere, prima radix huius multiplicationis ex dimensione esse videtur. Quia & in genere substantiæ multiplicatio fit secundum dimensionem materiæ: quæ neque intelligi posset nisi secundum quod materia sub dimensionibus consideratur: nam remota quantitate substantia omnis indiuisibilis est; vt patet per Philosophum primo Physicorum.*

2 Neque vis huius rationis, atque auctoritatis infringitur dicendo materiam primam non habere in se partes nisi per ordinem ad partes quantitatis; & consequenter carere ex se vnitate numerica positiua, illamque desumere per habitudinem ad quantitatem tanquam ad primam indiuiduatio-

nis radicem. Nam contra est: quoniam si materia prima haberet partes actu distinctas intra genus substantiæ, nulla esset ratio, quare huiusmodi partium multitudo desumenda foret ex habitudine ad partes quantitatis; imo verò pluralitas partium quantitatiuarum deberet desumi per respectum ad partes materiæ. Sicut enim partes quantitatis essent actu distinctæ intra genus quantitatis; ita & partes materiæ distinguerentur actu in genere substantiæ: & sicut materia respicit quantitatem; ita & cum majori dependentia quantitas respicit materiam. Vnde cum substantia sit prior simpliciter quam accidens; vnitas, & distinctio numerica positiua potius in materiam sicut in primam radicem, quam in quantitatem reuocanda foret. Et consequenter sicut quantitas habet secundum se vnitatem, & multitudinem numericam positiuam: ita materia prima deberet ex se eadem vnitate gaudere. Quod tamen D. Thomæ, & rationi contradicit.

Confirmatur primo: nam quia quantitas habet in suo genere partes actu distinctas, ideo rationes finiti, & infiniti conueniunt per se quantitati: atqui substantia corporea in suo genere non habet partes finitas, vel infinitas: ergo non habet partes actu distinctas. Consequentia patet tum à paritate: tum quia partes actu diuersæ nequeunt non esse finitæ, vel infinitæ: Minor autem est Aristot. 1. *Physic. text.* 15. vbi inquit: *Infinitum enim in quantitate est; substantiam autem infinitam, aut qualitatem, aut passionem esse non contingit nisi secundum accidens, si simul, & alia quantitates sint: infiniti autem ratio quantitati congruit; sed non substantiæ &c.* Quæ verba sic elucidat D. Thom. *lect.* 3. *Hoc est contra positionem Melissi: posuit enim ens esse infinitum: vnde sequitur, quod sit quantum: quia infinitum per se loquendo, non est nisi in quantitate. Sed substantia, & qualitas, & huiusmodi non dicuntur infinita nisi per accidens, in quantum scilicet sunt simul cum quantitate. Cum ergo Melissus ponat ens infinitum, non potest ponere substantiam sine quantitate. Si ergo est substantia, & quantitas simul, sequitur, quod non sint tantum vnum ens, sed duo; si verò sit solum substantia, non est infinitum: quia non habebit magnitudinem, neque quantitatem.*

Confirmatur secundo: quia vbi nullus est actus, nequit esse vlla actualis distinctio partium, siquidem actus est qui distinguit *ex* 7. *Metaph. text.* 49. sed materia prima secundum se considerata est potentia pura, & nullum includit actum, vt ostendimus in *lib. Physic. disp.* 3. *quæst.* 2. ergo materia prima non habet ex se, & in proprio substantiæ genere partes actualiter distinctas. Dicere namque, quod habet partes per ordinem ad quantitatem; nullius roboris est: quoniam si semel materia habet partes; non est ratio, cur materia dicatur habere partes per ordinem ad quantitatem; & non quantitas per ordinem

ordinem ad materiam : vel, quod idem est, quare quantitas, & non materia sit prima radix prædictæ pluralitatis, vt nuper ostendimus.

§. II.

Aliud eiusdem veritatis argumentum.

53 SEcundo suadetur eadem sententia : quia si homo v. g. præter partes physicas, materiam videlicet, & formam, haberet partes integrales, vtputa pedes, & manus actu distinctas in genere substantiæ; non posset esse vnum ens per se : consequens est omnino absurdum: ergo substantia corporea non componitur ex partibus integralibus, quæ sint actu, & formaliter partes intra genus substantiæ. Minor, & consequentia liquent. Major autem ostenditur : quoniam ex pluribus entibus in actu, & completis nequit componi vnum ens per se ; siquidem totũ, quod est simpliciter totum, constituitur ex partibus, quæ sunt simpliciter partes, atque ideo entia incompleta : sed si in homine præter partes physicas darentur partes integrales de genere substantiæ ; non posset non dari in homine duplex totum, seu compositum completum, & in actu : ergo homo non esset vnum ens per se. Suadetur minor : nam in primis ex partibus physicis, nempe materia, & forma constitueretur totum physicum completum, & in actu : deinde ex partibus integralibus, capite videlicet, collo, pectore, & alijs coalescerent totum integrale completum, & in actu : ergo si in homine præter partes physicas darentur partes integrales, non posset non homo esse duplex compositum completum & in actu.

54 Respondebis primo, quod licet duo entia completa, & realiter distincta nequeãt vnum ens per se constituere ; duo tamen composita solum virtualiter, aut per rationem diuersa bene possunt constituere, vel potius esse vnum ens per se: quia hoc ipso, quod non distinguantur realiter, non sunt absolute duo composita, aut entia in actu ; sed vnum ens. Homo autem vt compositus ex partibus physicis non distinguitur realiter à se ipso vt constituto ex partibus integralibus ; sed sola ratione, vel virtualiter : quocirca licet habeat partes physicas : & integrales potest esse realiter vnum ens per se.

Sed contra : nam illa composita realiter distinguuntur, quorum omnes, & singulæ partes distinguuntur realiter ; cùm entitas totius non sit alia ab entitate partium vnitarum : atqui partes physicæ, & integrales realiter differunt : ergo compositum physicum & compositum integrale realiter distinguuntur. Minor probatur : quia partes physicæ sunt materia, & forma; partes vero integrales sunt v. g. os, & caro: constat autem, quod materia non est realiter os, neque forma caro, aut è conuerso : ergo partes physicæ, & integrales distinguuntur realiter inter se.

Dices majorem primi syllogismi esse falsam, quia partes physicæ hominis differunt realiter ab eius partibus metaphysicis, quæ sunt genus, & differentia; siquidem materia non est realiter *animal*, neque forma rationale, aut è conuerso: & tamen in homine totum physicum, & metaphysicum non differunt realiter: vnde non verificatur vniuersaliter illa tota distingui realiter, quorum singulæ partes realiter distinguuntur. ¶ Hæc tamen instantia veritatem illius majoris non infringit, sed exaggerat: ideo enim totum physicum, & metaphysicum non distinguuntur realiter inter se, quia partes metaphysicæ non sunt verè, & realiter partes inter se diuersæ; sed quælibet est ipsum totum ex parte rei conceptæ, & significat, atque importat totam essentiam hominis, & consequenter ipsas partes physicas. Si autem partes metaphysicæ essent veræ partes, & distinguerentur realiter à partibus physicis; non possent non totum physicum, & totum metaphysicum differre realiter inter se; siquidem totum non distinguitur realiter à partibus vnitis. Vnde cùm partes integrales (quas Aduersarij adstruunt dari in essentia hominis, & intra genus substantiæ) sint partes rigorosæ, & differant realiter à partibus physicis, nequit non totum physicum distingui realiter à toto integrali.

§ Respondebis secundo, quod licet compositum physicum, & integrale, si referantur ad suas partes, sint quædam tota; nihilominus, si comparentur ad essentiam totalem hominis, sunt quædam partes, quoniam substantia corporea completa debet constitui tùm ex totalitate physica, tùm ex totalitate integrali. Ea autem, quæ secundum vnam rationem sunt tota, bene possunt secundum aliam considerationem esse partes, ex quibus proindè resultet vnum ens per se.

Sed contra: nam licet id, quod in vno ordine est totum, queat in alio ordine esse pars; & ideo humanitas v. g. quæ in linea essentiæ est quid completum, potest esse quasi pars in linea subsistendi, & compleri per subsistentiam à se distinctam: implicat tamen, quod aliquid in eodem ordine sit simùl totum, & pars; qua ratione humanitas, quæ in linea essentiæ est totum, nequit in eadem linea esse pars, vel vniri cum alia essentia in ordine ad constituendam vnam essentiam totalem: atqui totum physicum pertinet ad lineam essentiæ, & est in hac linea simpliciter totum: ergo implicat, quod in linea essentiæ habeat rationem partis, & vniatur cum alio toto integrali in ordine ad constituendum aliam essentiam totalem, & per se vnam: ergo si homo in sua essentia includeret partes physicas, & partes integrales, complecteretur que proinde totalitatem tum physicam, tum integralem; non posset esse vnum ens per se.

Confirmatur: quia totum, quod est ens per se, importat partes simpliciter vnitas: sed totum physicum, & totum integrale nequeunt vllo modo inter se vniri: ergo ex illis nequit resultare vnum ens per se.

se. Minor suadetur : nam in primis nequeunt vniri per modum actus, & potentiæ, seu compositione physica, tùm quia totum physicum nequit in compositione physica habere rationem partis : tùm quia totum integrale non est pars physica, seu physicæ compositionis, vt liquet ex terminis, Nequeunt deinde vniri per continuationem, seu in ordine ad constituendum totum integrale, tùm quia totum integrale nequit simul esse pars integralis : tùm quia totum physicum non spectat ad compositionem integralem : tùm quia continuatio pertinet per se ad solùm genus quantitatis.

Dices vtrumque totum constituere vnum ens per se, siue vnum suppositum : quia non afferunt diuersas existentias, & subsistentias; sed per vnicum, & indiuisibile esse existunt, ac subsistunt : qua de causa ex humanitate Christi Domini, & subsistentia Verbi Diuini constituitur vnum ens per se in genere substantiæ. ¶ Sed hoc nihil est: *primo*, quia hæc euasio jam admittit, quod ex toto physico, & toto integrali non fit vnum ens per se in linea essentiæ. *Secundò* nam *esse* totius resultet ex vnione partium : ergo nequit ex toto physico, & toto integrali resultare vna existentia, nisi prius totum physicum, & integrale vniantur inter se, & fiant substantialiter vnum. *Tertio*, quoniam quælibet essentia totalis affert, naturaliter loquendo, suam propriam existentiam : sed totum physicum, & integrale important duas essentias totales, vt constat ex dictis: ergo afferunt diuersas existentias, & consequenter non possunt vniri, & constituere vnum ens per se adhuc in linea existendi. Humanitas autem Christi Domini, & substantia Verbi Diuini non comparantur vt duæ essentiæ totales; sed vt essentia, & terminus essentiæ : valentque proinde constituere vnum suppositum, & ens per se in genere substantiæ.

§. III.

Expenduntur aliæ rationes pro nostra assertione.

6 TErtio probatur eadem conclusio alia ratione satis efficaci : quoniam partes integrales materiæ primæ, si essent intra lineam substantiæ actu distinctæ, non possent inter se vniri aliqua vnione reali : ergo materia prima, & idem est de quacumque substantia corporea, non habet intra suam lineam partes integrales actu diuersas. Consequentia est euidens : nam partes inter se non vnitæ non componunt vnum ens per se; sed sunt simpliciter multa : quandoquidem multitudo nihil aliud re ipsa est, nisi plures entitates inter se non vnitæ. Antecedens autem suaderur discurrendo per omnia genera vnionum, quæ possent inter prædictas partes excogitari : nam in primis nequeunt vniri compositione physica, seu per modum actus, & potentiæ : quia partes materiæ, si darentur, omnes essent eiusdem rationis, & neutra haberet rationem actus. ¶ Deinde non valent vniri *penetratiuè*, vt aliqui Moderni loquuntur : tum quia pene

penetratio, & impenetratio ſumuntur per habitudinem ad locum; ſiquidem ea dicuntur penetrari, quæ eidem loco coexiſtunt: ſed ſubſtantia ſecundum ſe ſumpta non dicit ordinem ad locum: ergo partes eius nequeunt in propria linea vniri penetratiuè. Tum etiam, quoniam penetratio non eſt aliqua vera vnio ſufficiens ad conſtituendum vnum ens per ſe; qua de cauſa, etſi duo corpora penetrentur, manent ſimpliciter non vnita, & ſunt ſimpliciter plura: ergo partes integrales materiæ non poſſent per penetrationem vniri in ordine ad conſtituendum aliquod ens ſimpliciter vnum. ¶ Præterea nequeunt prædictæ partes vniri per continuationem medijs indiuiſibilibus quantitatis, vt alij iuniores autumant: tum quia poteſt dari ſubſtantia corporea ſine quantitate. Tum quia partes ſubſtantiales copulatæ nexu accidentali includunt res ſpectantes ad diuerſa genera; & conſequenter ſunt ineptæ ad conſtituendum vnum ens per ſe. ¶ Denique partes integrales materiæ non valent inter ſe vniri per continuationem medijs indiuiſibilibus ſubſtantialibus: nam vel huiuſmodi indiuiſibilia ſunt pura potentia; & ſic non poterunt vnire partes materiæ: vnio quippe habet rationem actus reſpectu eorum, quæ vnit, vel ſaltem reſpectu extremi, quod afficit. Aut prædicta indiuiſibilia ſunt actus; & ſic materia prima non erit pura potentia, ſed habebit ex ſe, & intra propriam lineam actualitatem, imo plures actus: quod eſt omnino falſum, vt conſtat ex dictis *in libr. Phyſic. diſput. 3. quæſt. 2.* Adde eos, qui ponunt prædicta indiuiſibilia continuatiua, & ſubſtantialia, ponere etiam lineas ſubſtantiales, & ſuperficies ſubſtantiales: quod tamen innititur ſoli imaginationi non diſtinguenti inter ſubſtantiam corpoream, & quantitatem. Vnde prædicta euaſio impugnatione non egeat, cùm ſe apertè prodat falſam, futilem, & à mente Philoſophorum extorrem. Maneat igitur nullam eſſe excogitabilem vnionem realem inter partes integrales materiæ; & conſequenter repugnare prædictas partes actu diſtinctas in genere ſubſtantiæ.

7 Vltimo probatur opinio noſtra eneruando præcipuum fundamentum aduerſæ: nam ſi ſubſtantia corporea haberet in ſuo genere partes actu diſtinctas, maxime vt poſſet recipere partes quantitatis: ſed ex hac ratione potius colligitur oppoſitum: ergo non eſt neceſſarium, quod ſubſtantia corporea habeat in ſuo genere partes integrales actu diuerſas. Probatur minor: quia ſubiectum non habet ex ſe ſubſtantialiter, & entitatiue illum effectum, quem illi impertitur forma accidentalis: hac quippe de cauſa vt ſubſtantia fiat alba accidentaliter per albedinem, non debet eſſe prius alba entitatiuè, & ſubſtantialiter per ſe ipſam; & vt anima recipiat intellectum, non debet præhabere in ſe intellectum ſubſtantialem, & entitatiuum: ergo vt ſubſtantia queat recipere partes integrales à quantitate, non requiritur, quod habeat partes integrales à ſe ipſa, vel in genere ſubſtantiæ.

Confir-

Confirmatur, & declaratur primo: nam vt substantia corporea recipiat à quantitate extensionem in ordine ad locum, non est necessarium, quod sit per se ipsam, & in genere substantiæ extensa in ordine ad locum; imo vero si substantia per se ipsam esset extensa localiter, seu actu repleret locum, neutiquam daretur alia extensio accidentalis in ordine ad locum: quandoquidem accidentia non instituuntur propter se ipsa, sed ob indigentiam substantiæ, & vt communicent illi eos effectus, quos ex se non habet: ergo pariter vt substantia recipiat à quantitate partes integrales, siue extensionem in ordine ad se, non oportet, quod sit extensa in ordine ad se, vel quod habeat partes entitatiuas. Nam quemadmodum bene concipitur, quod ante quantitatem substantia non habet actu extensionem in ordine ad locum; sed capacitatem recipiendi illam: ita recte intelligitur, quod ante quantitatem non habet actu extensionem in ordine ad se, siue partes integrales; sed solam capacitatem ad illas recipiendas. Et qui hoc non concipiunt, non discernunt inter substantiam corpoream, & quantitatem; sed eas confundunt.

Confirmatur, & declaratur amplius: nam Auctores oppositi imaginantur nos ponere substantiam corpoream esse inextensam, & indiuisibilem adinstar Angeli; in quo plane decipiuntur: Angelus enim neque habet partes in se ipso, neque capacitatem, vt recipiat partes accidentales à quantitate; atque ideo est indiuisibilis non solum entitatiue, sed etiam subiectiue, seu denominatiue. Substantia autem corporea licet non habeat in se partes integrales de genere substantiæ; habet tamen capacitatem recipiendi partes accidentales à quantitate: & consequenter denominatur actu diuisibilis, & extensa; licet non in proprio genere substantiæ. Sicut quamvis substantia corporea non sit in proprio genere substantiæ alba entitatiue; queit nihilominus fieri alba denominatiue, per formam accidentalem ei superadditam: quod tamen Angelo repugnat.

Ad hæc: quantitas non recipitur in sola materia prima, sed in toto composito, ac proinde afficit tanquam subiectum *quo* formam substantialem, vt pluribus ostendimus supra *disp. 2. quæst. 6.* & tamen forma animalium perfectorum est indiuisibilis, nullásque habet partes entitatiuas, vt docent communiter omnes Thomistæ; & tenet nobilior philosophorum pars, nosque statuemus *in lib. de Anima, disput. 4. quæst. 4.* ergo nulla est repugnantia in eo, quod substantia careat in proprio genere partibus integralibus; & nihilominus recipiat, ac sustentet per modum subiecti *quo*, vel *quod* partes integrales quantitatiuas.

§. IV.

Consectaria præcedentis doctrinæ, quæ viam simul sternunt, vt argumentis occurratur.

8 EX dictis infertur primo, quod si Deus conseruaret substantiam corpoream nudam ab omni quantitate; tunc prædicta substantia maneret indiuisibilis, & nulli loco coexisteret actu. Ratio est perspicua: quoniam substantia materialis nullas habet ex se partes integrales; sed illas mutuatur à quantitate: ergo sublata quantitate, nullas haberet partes; ac proinde maneret indiuisibilis. Cumque illud, quod est indiuisibile, nequeat coexistere, & commensurari loco; fieret consequenter, quod prædicta substantia nullibi existeret. Quam doctrinam tradit Angelic. Doctor, 4. *contra Gentes, capite* 65. vt *supra numero primo*, vidimus *& prima parte quæstione* 50. *articulo primo*, vbi inquit: *Materiam autem diuidi in partes non conuenit, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate: qua remota remanet substantia indiuisibilis, vt dicitur primo Physicorum. Et quodlib.* 9. *quæstione* 9. *articulo primo:* ait: *Diuersitas partium non intelligitur in materia non intellecta diuisione, neque diuisio non intellecta dimensione: quia substantia, quantitate sublata, remanet indiuisibilis, vt dicitur primo Physicorum.* Idem repetit *in* 2. *dist.* 32. *quæst.* 1. *articul.* 1. & alibi. Ex quibus valde confirmatur nostra conclusio: quia omne totum est actu diuisibile in partes ex quibus actu constituitur: ergo si substantia corporea haberet ex se partes integrales actu distinctas posset per se, & ratione sui diuidi in illas: atqui substantia, remota quantitate, manet indiuisibilis: ergo non habet ex se partes integrales substantiales, sed solum recipit à quantitate partes accidentales, & formaliter quantitatiuas.

9 Obijcies: si ab aqua existente in vase auferatur quantitas, adhuc substantia manebit in vase; siquidem nec destructa est, nec aliò migrauit: ergo substantia sublata quantitate, dicit habitudinem ad locum, ac proinde adhuc remanet diuisibilis, & extensa. ¶ Hanc tamen phantasiam acutè dispellit Caiet. 1. *p. q.* 50. *art.* 1. dicens: *Ad exemplum, quod adducitur de aqua existente in vase remota quantitate; dicitur, quod imaginatio in hoc decipitur: quoniam secluſa quantitate, aqua illa nusquam remaneret: quia nullam habitudinem haberet ad locum. Et ideo non oportet quærere, quò ierit; sed vas plenum aëre reperietur, aqua indiuisibili reddita, & nusquam existente. Sicut si poneretur à Sorte remoueri quantitatem, tunc non haberet partes integrales, scilicet cor, hepar, caput, &c. quia remaneret substantia indiuisibilis: & tamen imaginamur, quod remanet Sortes* (intellige vt totum integrale) *vnde istis imaginationibus non est credendum.* Obserua tamen, quod licet illa aqua non maneret nec in vase, nec alibi sicut locatum in loco: existeret tamen in vniuerso sicut pars in toto.

10 In

10 Infertur secundò substantiã corpoream, etsi actu existat sub quantitate, nullas habere partes substantiales integrales actu, & formaliter distinctas intra lineam substantiæ; sed omnem multitudinem partium integralium esse pro formali, & in recto de genere quantitatis. Ratio est: quia substantia corporea non habet ex se partes integrales actu distinctas: ergo solùm potest habere partes integrales à quantitate: sed hæc nequit conferre illi partes integrales actu distinctas in genere substantiæ: ergo, & si substantia quantitati actualiter substet; nullas tamen partes habet integrales substantiales, siue ad genus substantiæ pro formali pertinentes. Probatur minor: quia forma accidentalis, qualis est quantitas nequit communicare subiecto effectum substantialem: ergo licet quantitas conferat substantiæ corporeæ partes; eæ tamen non sunt formaliter, & in recto substantiales, sed sunt entitatiue accidentales: quia sunt realiter ipsa quantitas communicata subiecto. Vnde etsi aliquando dicatur substantiam habere partes substantiales, vtputa, caput, cor, brachium, &c. Locutio non est formalis; sed solum materialis, & denominatiua reddens hunc sensum: id quod substat his partibus, & eas recipit, est substantia. Quemadmodum enim annulus dicitur aureus: quia importat de materiali aurum recipiens figuram, seu formam annuli; siue quia componitur ex auro tanquam ex subiecto, & ex illa figura accidentali tanquam ex forma: ita similiter os, & caro dicuntur partes substantiales, quia important de materiali substantiam recipientem propriam quantitatem, & figuram ossis, & carnis; siue quia os, & caro componuntur ex substantia tanquam ex subiecto, & ex partibus quantitatis simul cum figura tanquam ex forma.

11 Infertur tertiò substantiam, quæ est sub quantitate capitis, & substantiam, quæ est sub quantitate pedis non distingui realiter actualiter intra lineam substantiæ: atque ideo totam substantiam hominis loquendo de totalitate propria substantiæ esse sub tota quantitate, & totam sub qualibet parte quantitatis. Hoc corollarium liquidò deducitur ex præcedenti: nam si substantia existens sub quantitate non habet partes actu distinctas intra genus substantiæ, vel pertinentes pro formali ad istud genus; consequens est vt substantia cãpitis, & substantia pedis non distinguantur substantialiter inter se: ergo sunt realiter, actualiter, substantialiter idem: ergo substantia hominis est realiter, actualiter tota sub quantitate totius hominis, tota sub quantitate capitis, & tota sub quantitate pedis. Explicatur amplius: nam inter substantiam capitis, & substantiam pedis, vel datur distinctio realis actualis, & substantialis; vel non datur. Si primum: ergo substantia corporea habet partes actu distinctas intra lineam substantiæ: quod esse falsum constat ex dictis. Si secundum: ergo eadem est realiter actualiter substantia pedis, & ca-

pitis ; & consequenter eadem substantia est sub tota quantitate , & sub qualibet parte illius.

Cui doctrinæ apertè suffragatur D. Thom. 4. *contra Gentes*, *capite* 67. vbi ex eo probat corpus Christi Domini esse totum sub tota quantitate hostiæ , & totum sub qualibet eius parte , quia est ibi per modum substantiæ : & proprium est substantiæ esse totam sub tota quantitate , & totam in qualibet parte quantitatis. Vnde ait : *Alio autem modo se habet aliquid substantiale ad id in quo est ; & alio modo aliquid quantum. Nam quantum ita est in aliquo toto , quod totum non est in parte ; sed pars in parte , sicut totum in toto. Vnde , & corpus naturale sic est in toto loco totum , quod non est totum in qualibet parte loci ; sed partes corporis partibus loci aptantur , eò quod est in loco mediantibus dimensionibus. Si autem aliquid substantiale est in aliquo toto totum , etiam totum est in aliqua parte eius. Quia igitur corpus Christi est in hoc Sacramento ratione suæ substantiæ , in quantum conuersa est substantia panis , dimensionibus eius manentibus ; integrum corpus Christi est sub qualibet parte earumdem.* Idem docet *tertia parte , quæstione 76. articulo primo* , vbi Caietanus hæc habet : *Conclude ergo , & tene , quod substantiam per modum substantiæ existere in aliquo , est substantiam indiuisibiliter esse in illo. Et non dico substantiam esse indiuisibilem ; sed substantiam esse indiuisibiliter in illo, hoc est , substantiam se habere ad illud indiuisibiliter , & non quantitatiue , seu diuisibiliter , hoc est coextensè , sicut quantitas locati coextenditur quantitati loci.* Quæ nequeunt intelligi de totalitate substantiæ præcisè specifica , vt aliqui minus rectè exponunt : sed accipienda sunt de totalitate substantiæ entitatiua , & indiuiduali. Aliàs nullum esset discrimen , quod Diuus Thomas ponit inter substantiam , & quantitatem : nam loquendo de totalitate specifica , sicut omnia prædicata essentialia panis v. g. saluantur sub qualibet parte quantitatis ; ita cuncta prædicata specifica quantitatis saluantur sub qualibet parte loci. Docet igitur , quod substantia entitatiuè , & indiuidualiter considerata est tota sub tota quantitate , & tota sub qualibet parte : quod repugnat quantitati , & etiam repugnaret substantiæ , si hæc intra proprium genus haberet partes integrales actu distinctas.

12 Infertur quarto , illud substantiale , quod per nutritionem, vel alio modo substantiæ præexistenti acquiritur , & aduenit sub eadem quantitate totali , fieri idem cum substantia præexistenti per identitatem excludentem distinctionem realem actualem , intra genus substantiæ, retinentem tamen distinctionem realem potentialem. Quod (suppositis his quæ diximus) perspicuum fiet animaduertendo, quod materia prima fit hæc numero positiue per habitudinem ad hanc numero quantitatem , provt habet rationem totius integralis , vt late ostendunt N. Salmant. *tom.* 1. *tract.* 1. *disput.*

1. *disput.* 1 *dub.* 5. Vnde quia duæ quantitates duarum v. g. aquarum, quæ actu sunt separatæ, & sunt duo tota integralia, queunt continuari, & fieri vnum; inde est, quod substantiæ existentes sub eisdem quantitatibus, valeant esse sub eadem numero quantitate, ac proinde fieri vnum per identitatem intra genus substantiæ. Quare cum actu coniunguntur in eodem vase, quantitates vniuntur præcise per continuationem, quia proprium est quantitatis habere partes actu distinctas: substantiæ verò fiunt vnum per identitatem, quoniam repugnat substantiæ distingui per modum partis, & partis, seu habere partes actu distinctas in proprio genere. Quia verò quantitas totius aquæ potest iterum diuidi in duas totales quantitates: ideo materia aquæ, quæ actu figillatur per vnam quantitatem, valet figillari per duas, & consequenter valet diuidi substantialiter. Vnde licet non habeat partes distinctas in actu, habet tamen partes distinctas in potentia. Quod etiam debet extendi ad formas valde immersas in materia, cui proinde in modo indiuiduationis accommodantur, qualis est anima lacertæ: hæc quippè ante diuisionem est actu vna, & nihilominus per diuisionem fit actu plures, siquidem quælibet pars lacertæ viuit separata.

13 Ex quo vlterius fit, quod præter distinctionem realem actualem, qualis datur inter hominem, & equum, & distinctionem pure virtualem, qualis reperitur inter attributa diuina: necessario admittenda sit distinctio realis potentialis, eorum videlicet, quæ licet sint realiter actualiter idem; queunt tamen fieri realiter actualiter plura: quia possunt separari; & per separationem actu distingui? Quam distinctionem potentialem agnouit, & expresè statuit Aristot. 1. de Anima *text.* 20. vbi loquens de animabus imperfectis scripsit: *In plantis quædam diuisa videtur viuere separata ad inuicem tanquam existente in his anima actu quidem vna in vnaquaque planta, in potentia autem pluribus.* Vbi D. Thom. *lect.* 4. *Hoc* (inquit) *manifestatur per hoc, quod ramusculi abscisi inseruntur, vel plantantur & coalescunt: quod non esset, nisi remaneret in eis vita, & per consequens anima, quæ est principium viuendi: quod contingit tanquam in vnaquaque planta anima sit vna in actu, & multiplex in potentia.* Imo verò idem S. Doct. *in 3. ad Anibald. dist.* 21. *q. vnic. art.* 1. *ad* 4. hanc doctrinam extendit ad vnionem humanitatis cum verbo diuino, dicens: *Dicendum est, in morte Christi fuit vna vnio ad animam, & carnem ex parte personæ diuinæ; sed ex parte assumptorum, scilicet animæ, & corporis fuerunt duæ in actu, cum prius esset vna tantum in actu, & plures in potentia; & sic non oportet, quod ibi facta fuerit noua vnio, sicut neque in diuisione continui fit omnino nouum corpus, licet vnum diuidatur in multa.* Et plane nulla major contradictio datur in eo, quod distinctio inter aliquas substantias aliquando sit in actu, & aliquando solum in potentia; quam in eo, quod idem verbi gratia homo sit aliquando solum in potentia, vt antequã producatur; aliquando verò

sit in actu, vt postquam productus est. Videantur N. Salmant. *tract. 3. disp. 2. dub. 2. §. 7.* vbi docent intellectum, & speciem intelligibilem, si considerentur in esse intentionali, identificari in actu, atque distingui in potentia; pluraque afferunt huc spectantia.

14 Infertur quinto, quod licet substantia corporea non habeat intra suum genus partes integrales, quæ sint tales formaliter, & actualiter; habet tamen partes integrales virtualiter æquiualenter, & in potentia. Ratio est: quia prædicta substantia per suam entitatem indiuisibilem, ac simplicem in actu, diuisibilem verò, ac multiplicem in potentia, exercet omnia munia, quæ posset exercere, si gauderet partibus integralibus formaliter talibus, & actu diuersis in genere substantiæ: quod est habere virtualiter, & æquiualenter partes, vt ex se liquet. Vnde etiam prouenit, quod substantia materialis habeat in suo genere maioritatem, & minoritatem virtualiter, & æquiualenter tales; & consequenter, quod non possit quæcumque substantia quamcumque quantitatem indifferenter recipere: sed ad maiorem quantitatem requiratur substantia virtualiter, & æquiualenter maior. Nam sicut in sententia concedente materiæ partes formaliter, & actu tales, ad recipiendas plures partes quantitatis requiruntur plures partes materiæ: ita in nostra sententia, vt materia recipiat plures partes quantitatis debet habere in suo genere plures partes potentiales, seu virtualiter, & æquiualenter tales: & consequenter debet identificare in actu plures portiones quæ potuerunt aliàs separari, & distingui in actu, licet nunc distinguantur solum in potentia. Quamobrem vt materia recipiat centum v. g. partes quantitatis, debet habere in se centum partes potentialiter distinctas, & sic de aliis.

15 Infertur vltimo omnia, quæ hactenus de substantia corporea diximus, fore qualitati, & aliis accidentibus à quantitate distinctis proportionabiliter applicanda. Rationes enim, quibus ostendimus substantiam non habere in suo genere partes actualiter, & formaliter tales, sed esse inextensam, & indiuisibilem; idem conuincunt de prædictis accidentibus, vt ipsas considerans deprehendet: quocirca in eis applicandis non immoramur.

§. V.

Proponitur opinio contraria cum suis fundamentis.

16 COntrariam nostræ conclusioni sententiam defendunt Nominales, quos referunt & sequuntur Suarez *disp. 4. Metaph. sect. 4.* Fonseca *lib. 5. cap. 13. q. 2. sect. 3.* Conimbricens. 1. *Physic. cap. 2. q. 2. art. 3.* Rubio ibidem *cap. 3. quæst. 2.* & alij Iuniores extra scholam D. Thomæ: quibus, etiam suppetias ferunt nonnulli ex modernis Thomistis. Quamvis autem discolor sit iis Auctoribus modus suum placitum defendendi, vt apud illos videri potest; omnes tamen contendunt, dari intra lineam substantiæ partes

partes integrales actualiter distinctas.

Quod potest suaderi primo ab auctoritate: nam D. Thom. 1. 2. q. 11. *art.* 4. *in corpore* inquit: *Totum in genere substantiæ compositum ex suis partibus vel integralibus, vel essentialibus est vnum simpliciter*: ergo sentit apertè, quod intra genus substantiæ dantur partes integrales, ex quibus fiat vnum ens per se. ¶ Confirmatur primo: nam 3. *p.* q. 76. *art.* 1. *ad* 2. docet quod in Eucharistia ponitur ex vi verborum non solum caro, *sed totum corpus, scilicet ossa, nerui, & alia huiusmodi*: atqui ex vi verborum non ponitur quantitas sed sola substantia, vt statim docet *art.* 4. sequenti: ergo ex mente S. Doct. intra genus substantiæ, & independenter à quantitate dantur os, neruus, & caro: quæ sunt partes integrales. ¶ Confirmatur secundo: quia in 2. *dist.* 39. q. 2. *art.* 1. agens de nutritione reprehendit eos, qui imaginantur materiam ad modum puncti, & asserunt posse quamcumque materiam recipere quamcumque quantitatem: si autem materia careret partibus integralibus non foret maior, & minor; sed se haberet instar puncti, seu indiuisibilis, valeretque quamlibet quantitatem recipere: ergo ponere materiam inextensam, & indiuisibilem contradicitmenti S. Doctoris. ¶ Confirmatur denique: quoniam 1. *p.* q. 92. *art.* 3. *ad* 1. docet Deum, cum formauit Euam ex costa Adami, addidisse materiam per creationem aut conuersionem productam: vbi autem datur additio ibi datur plus, & minus, ac distinctio partium: ergo D. Thom. admittit partes integrales in materia prima.

Respondetur Angelicum Doctorem in prima testimonio non loqui de partibus integralibus formaliter talibus, quas esse impossibiles intra lineam substantiæ satis ostensum est; sed loquitur de partibus integralibus virtualiter, & æquiualenter talibus, & quæ sunt realiter actualiter idem. Vnde prouenit, quod compositum ex eis coalescens sit vnum simpliciter; non quidem per compositionem formalem, ad quam requiritur distinctio realis actualis inter partes: sed compositione æquiualenti, & virtuali, pro qua sufficit distinctio realis potentialis partium. ¶ Adde prædicta verba solum proponi à D. Thom. exempli gratia, vt exponeret vnitatem actus imperantis, & imperati. Mens autem Doctoris venanda non est ex isto, vel illo exemplo, quod ad propriam sententiam explicandam adducit; satis quippe est, quod exemplum sit probabile apud alios, vt docet ipse S. Doct. 1 *p.* q. 67. *a.* 2. *ad* 2. vbi inquit: *Non est multum curandum de his exemplis, quæ Aristot. inducit in libris logicalibus, quia inducit ea; vt probabilia secundum opinionem aliorum.* Vnde ex prædicto testimonio conuinci nequit, quod D. Thom. sentiat dari partes integrales formaliter tales in genere substantiæ. Maxime cum loquatur sub disiunctione, *Ex suis partibus vel integralibus, vel essentialibus*: & ad veritatem disiunctiuæ sufficiat veritas vnius partis.

Ad primam confirmationem respondetur os, carnem, neruos &c. forma

formaliter ſumpta non ſolum dicere ſubſtantiam, ſed etiam quantitatem, figuram, duritiem, & alia accidentia: quæ tamen certum eſt non poni in Euchariſtia ex vi verborum. Vnde cum D. Thom. aſſerit poni ex vi ſacramenti, os carnem &c. intelligendus non eſt in ſenſu formali, ſed in ſenſu materiali: quatenus ponitur illa ſubſtantia corporea, quæ alias per quantitatem, figuram, & alia accidentia habet, quidquid requiritur, vt denominetur os, caro; caput, & alia huiuſmodi. Corpus enim ſubſtantiale ſolum dicitur habere caput, carnem, & oſſa ſubjectiuè, & materialiter: quia videlicet ſubſtat quantitati, à qua prædictæ denominationes formaliter proueniunt. Quamobrem huiuſmodi organizatio eſt formaliter accidentalis, & ſolum radicaliter inuenitur in ſubſtantia: atque ideo os, & caro non diſtinguuntur ſubſtantialiter ſed accidentaliter, quantitatiue.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur punctum eſſe omnino indiuiſibile actu, & potentia; ſubſtantiam verò corpoream eſſe diuiſibilem in potentia, & habere partes virtualiter, & æquiualenter. Quamobrem merito reprehendit D. Th. imaginantes indiuiſibilitatem materiæ ad modum puncti. Quorum etiam opinionem iure optimo refutat in eo, quod aſſerebat poſſe quamlibet materiam reſpicere, ac recipere indifferenter quamcumque quantitatem: quoniam materia prima habet partes potentiales ſecundum quas debet coaptari pluribus, vel paucioribus partibus quantitatis vt ſupra diximus *num.* 14. Hinc tamen minimè colligitur, quod D. Th. admittat partes integrales in genere ſubſtantiæ actu diſtinctas.

Vnde etiam patet ad tertiam confirmationem: nam materia exiſtens ſub coſta Adami non habebat partes potentiales requiſitas ad recipiendam quantitatem debitam corpori Euæ; & ideo opus fuit illi addi aliam materiam. Inter vtramque autem materiam, cum exiſterent ſub diuerſis, ac ſeparatis quantitatibus, erat diſtinctio realis actualis; ſed poſtquam ſub eadem quantitate extiterunt, non interuenit diſtinctio actualis, ſed ſolum potentialis. Ex quo non ſequitur, quod materia prima in genere ſubſtantia ſit integraliter maior, & minor formaliter actualiter; ſed ſolum virtualiter, & æquiualenter: & quod pro priori ad receptionem maioris quantitatis debeat identificare ſibi plures portiones, per quas fiat virtualiter, ac radicaliter maior.

17 Secundo arguitur ratione: quia ſubſtantia actu exiſtens ſub quantitate habet partes actualiter, & ſubſtantialiter diſtinctas ſed non habet illas à quantitate ſicut à forma: ergo habet eas à ſe, & intra propriam lineam, & genus ſubſtantiæ. Conſequentia liquet. Minor etiam conſtat: quia forma accidentalis nequit cauſare effectum formalem, qui ſit entitatiue ſubſtantialis. Maior autem pluribus ſuadetur: *primo*, quia quod eſt diuiſibile in plura tota, habet actu partes integrales; ſiquidem ſola pars integralis eſt, quæ proxime valet fieri totum, ſed ſubſtantia aquæ v. g. exiſtens

stens in vase est proxime diuisibilis in plura tota substantialia, vt ex se liquet: ergo habet actu plures partes substantiales, & integrales. *Secundo*: quoniam realis separatio est euidens signum realis distinctionis actualis: sed partes aquæ existentis in vase queunt separari realiter: ergo distinguntur realiter actualiter. *Tertio*: nam quæ distinguuntur actu realiter per suas entitates, nequeunt eisdem entitatibus permanentibus, fieri realiter idem: sed duæ aquæ existentes in diuersis vasis per suasmet entitates distinguuntur realiter substantialiter: ergo cum coniunguntur in eodem vase, adhuc distinguuntur realiter, non quidem vt duo tota, sed vt partes eiusdem aquæ. *Quarto*: quia subiectum, & forma debent proportionari: sed substantia per se ipsam est subiectum quãtitatis habentis partes: ergo substantia existens sub quantitate debet per se ipsam, siue in proprio genere habere partes. *Quinto*: nam res indiuisibilis nequit recipere quãtitatem; hac quippè ratione repugnat, quod Angelus sit quantitatis subiectum; sed substantia affecta quantitate, eam suscipit in se ipsa, vt liquet ex terminis: ergo substantia existens sub quantitate nequit esse indiuisibilis, sed debet habere partes integrales de genere substantiæ, & actu diuersas.

Ad hoc argumentum neganda est maior, vt constat ex supra dictis *num.* 20. Probationes autem in contrarium adductæ manent maiori ex parte solutæ ex iis, quæ statuimus *à num.* 8. & sequentibus; eis tamen claritatis gratia singillatim respondebimus. Ad primam dicendum est illud, quod est proxime, & ratione sui diuisibile in plura tota, habere partes integrales actu distinctas: illud verò, quod est diuisibile ad diuisionem alterius, & dependenter ab eo, non oportere, quod habeat per se, & intra proprium genus partes actu diuersas, sufficit enim, quod habeat partes eminenter integrales, & quæ realiter potentialiter differant. Vnde quia quantitas est ratione sui diuisibilis in plura tota; idcirco debet habere partes integrales actu distinctas: substantia autem aquæ, cum solum sit diuisibilis ad diuisionem quantitatis; non habet intra propriam lineam partes distinctas actualiter, sed solum potentialiter.

Ad secundum respondemus, realem separationem esse euidens signum distinctionis realis præexistentis in his, quæ ratione sui separantur: in illis verò, quæ separantur ad separationem alterius, solum arguere necessario distinctionem realem potentialem. Quare cum portiones aquæ existentis in vase solum separentur ad separationem quantitatis, & dependenter à discontinuatione illius; præcisè concluditur, quod fuerint ante separationem realiter potentialiter distinctæ.

Ad tertiam respondetur eodẽ modo, quod ea, quæ per suasmet entitates realiter distinguuntur, & independenter ab alio, nunquam possunt fieri realiter actualiter idem. Cæterum quæ in sua vnitate, & distinctione dependent à continuatione, vel separatione alterius; queunt

per illius variationem amittere vnitatem vel distinctionem actualem. Substantia autem materialis fit realiter vna numero positiuè per sigillationem ad vnam numero quantitatem; & realiter positiue plures per sigillationem ad diuersas numero quantitates. Porro ex vna quantitate possunt per discontinuationem fieri plures; & è conuerso ex pluribus quantitatibus valet per continuationem fieri vna numero quantitas. Quamobrem portiones substantiæ materialis, quæ existentes sub vna quantitate identificantur actu, queunt per illius discontinuationem fieri actu plures. Et è conuerso illæ, quæ actu existunt sub quantitatibus discontinuatis, & ideo sunt plura entia substantialia; possunt per sigillationem ad eandem quantitatem totalem fieri vnum, & idem substantialiter; quin propriam entitatem amittant. Vnde sicut duæ aquæ separatæ erant realiter actualiter plures, & potentialiter idem: ita positæ in eodem vase, & sub eadem quantitate sunt realiter actualiter idem; & distinguuntur realiter potentialiter.

Ad quartam dicendum est proportionem requisitam inter subiectum, & formam non consistere in eo, quod habeant ex se similes actus: imo verò repugnare, quoad subiectum habeat ex se, & intra propriam lineam illud, quod sibi per formam communicandum est; cum vnumquodque recipiat, secundum quod est in potentia. Hac quippè de causa repugnat quod subiectum receptiuum albedinis sit ex se album, & quod substantia ante figuram accidentalem habeat ex se aliquã figuram substantialem, & entitatiuam. Vnde ex eo, quod quantitas habeat partes, & illas substantiæ communicet; potius concluditur, quod hæc ex se careat partibus substantialibus, & solum habeat capacitatem recipiendi partes quantitatiuas.

Ad quintam, & vltimam respondetur illud, quod est omnino indiuisibile tam formaliter, quam virtualiter nullasque habet partes actu, vel potentia distinctas, non posse recipere quantitatem. Quocirca Angelus gaudens huiusmodi indiuisibilitate nequit esse quantitatis subiectum. Substantia verò materialis habet diuisibilitatem virtualem, & includit in suo genere partes potentialiter diuersas: vnde non repugnat ei, quod suscipiat in se quantitatem, licet non habeat in genere substantiæ partes integrales actu distinctas. Videantur supra dicta *n.* 7.

18 Arguitur tertio: nam ita se habet ordo substantiæ ad plures, & diuersas partes quantitatis, vt causet in substantia distinctionem substantialẽ partialem, siue partes substantialiter distinctas, sicut se habet ordo ad quantitatem totalem, vt causet in subiecto distinctionem substantialem totalem: vtrobique enim reperitur eadem ratio, ac proportio: sed quia substantia v. g. Ioannis dicit habitudinem ad hanc quantitatem totalem & non ad aliam, distinguitur realiter substantialiter à qualibet alia substantia totali: ergo quia dicit respectum ad plures, & diuersas partes huius quantitatis, habebit intra se partes substantialiter,

ſtantialiter, & actualiter diſtinctas.

Reſpondetur negando maiorem ob manifeſtam diſparitatem: nam quantitas habita, vel præhabita ideo eſt principium indiuiduationis ſubſtantialis, quia habet ex ſe rationem totius integralis. Eatenus quippè cõcurrit ad indiuiduationem ſubſtantiæ, quatenus ex ſe eſt quodammodo indiuidua: hanc vero indiuiduationem ideo vendicat ſibi, quia habet partes extra partes: quod proprium eſt totius integralis, vt ex ſe conſtat. Partes verò integrales, quandiu partes ſunt, & vt tales reſpiciuntur, non habent rationem totius integralis in actu, ſed ſolum in potentia: quæ reducetur ad actum per diuiſionem. Quamobrem licet ſubſtantia ſortiatur diſtinctionem numericam totalem, & actualem per reſpectum ad hanc quantitatem totalem; nequit tamen habere partes ſubſtantiales actu diſtinctas per ordinem ad partes quantitatis; ſed habebit partes potentialiter diuerſas. Imo verò ſi in genere ſubſtantiæ darentur partes actu differentes, nulla foret ratio, ob quam ſubſtantia deberet indiuiduari per habitudinem ad quantitatem totalem, vt ſupra *num.* 2. ponderauimus. Quibus addendum eſt nullum inconueniens ſequi ex eo, quod per ordinem ad duas quantitates totales dentur duæ ſubſtantiæ totales actu diſtinctæ: quælibet enim ſolum habet in ſe totalitatem Phyſicam, quæ eſt propria ſubſtantiæ. Cæterum ſi ſubſtantia per ordinem ad partes quantitatis haberet intra genus ſubſtantiæ partes integrales, importaret non ſolum totalitatem phyſicam, ſed etiam integralẽ; ex vtraque autem non poſſet coaleſcere vnum ens per ſe, vt ſupra oſtendimus *num.* 3.

19 Arguitur quarto: quoniam poſſet ſacerdos conſecrare medietatem hoſtiæ à ſe deſignatam, non conſecrando aliam medietatem: & conſequenter ſubſtantia panis deſineret eſſe ſub vna medietate quantitatis hoſtiæ; non verò ſub altera: ergo ſubſtantia panis habebat ante conſecrationem duas medietates ſubſtantiales actu diſtinctas. Patet conſequentia: nam cum conſecratio terminetur immediate ad ſubſtantiam; non poſſet attingere vnam medietatem reliquendo aliam, niſi vtraque pertineret ad genus ſubſtantiæ: hic enim dici non poteſt, quod ſubſtantia ſeparatur ad diuiſionem quantitatis.

Confirmatur primo: nam etiam ſi Deus auferret quantitatem à corpore Chriſti Domini, poſſet adhuc conuertere ſubſtantiam manus in ſubſtantiam pedis: quandoquidem tranſſubſtantiatio præciſe terminatur ad ſubſtantiam: & ibi perſeuerarent omnia ſubſtantialia, quæ fuerant ſub quantitate; qua ſtante, certum eſt, quod potuit fieri prædicta conuerſio: ergo ſubſtantia manus, & ſubſtantia pedis diſtinguerentur in actu intra propriam lineam ſubſtantiæ. Conſequentia eſt legitima: quia mutatio actualis, qualis eſſet prædicta conuerſio, petit diſtinctionem actualem inter terminum à *quo*, & terminum ad *quem*: quo pacto ſe haberent ſubſtantia manus, & ſubſtantia pedis.

Confirmatur ſecundo: quia ſi caro, & ſanguis Chriſti Domini non diſtinguerentur in genere ſubſtantiæ;

sequeretur, quod sub accidentibus panis, sicut ponitur caro, ita poneretur sanguis ex vi verborum; & sub accidentibus vini, sicut ponitur ex vi verborum sanguis, ita poneretur & caro; siquidem essent realiter idem in genere substantiæ: consequens est manifestè falsum: ergo caro, & sanguis distinguuntur realiter substantialiter vt partes actuales vnius & eiusdem corporis.

Respondetur ad argumentum, quod vt hostia consecretur secundum vnam medietatem, & non secundum aliam, sufficit sustantiam habere medietates realiter potentialiter distinctas intra genus substantiæ; licet actu prædictæ medietates non distinguantur intra propriam lineam, sed solum accidentaliter, & denominatiue ratione diuersarum partium quantitatiuarum, quibus subsunt. Nam quemadmodum prædicta distinctio potentialis queit naturaliter reduci ad actum distinctionis exercitæ per separationem inter partes quantitatis: ita valet miraculose reduci ad prædictum actum virtute consecrationis, quæ supplet defectum diuisionis in quantitate. ¶ Ad primam confirmationem negatur antecedens: quia transsubstantiatio petit distinctionem realem actualem inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*, vt sic ille possit transire realiter in istum. In prædicta autem hypothesi nulla distinctio actualis reperietur inter substantiam manus, & pedis: ac proinde vna non posset conuerti in aliam.

Ad secundam confirmationem neganda est sequela: quia terminus formalis consecrationis panis est substantia Christi, quatenus ex parte materiæ identificat intra propriam lineam illas portiones, quæ in aduersa opinione actu distinguntur sub quantitate carnis; & quatenus ex parte formæ dicit illum gradum, qui radicat accidentia propria corporis, ac partium solidarum. Terminus vero consecrationis calicis est substantia Christi, quatenus ex parte materiæ identificat in suo genere illas partes, quæ apud Aduersarios actu differunt sub quãtitate sanguinis; & quatenus ex parte formæ importat illum gradum, ad quem accidentia propria sanguinis consequuntur. Vnde licet caro, & sanguis sint idem realiter intra genus substantiæ; distinguntur tamen in esse termini; atque ideo non sequitur, quod sit idem formaliter terminus vtriusque consecrationis. Verum quidem est, quod propter actualem identitatem corporis, & sanguinis; cum ponitur ex vi verborum corpus sub quantitate panis, ponitur concomitanter ibidem sanguis; & è conuerso cum sanguis ponitur ex vi verborum sub speciebus vini, ponitur ibi concomitanter caro. Sed si in triduo mortis Domini fieret consecratio, tunc sub speciebus panis poneretur sola caro, & sub speciebus vini poneretur solus sanguis: quia illo tempore caro, & sanguis distinguebantur realiter actualiter substantialiter, ob realẽ separationem alterutrius; erant enim sub diuersis quantitatibus totalibus.

Alia argumenta possemus immediatè subijcere desumpta ex termino nutritionis, qui videtur debere esse substantia partialis, & habens in proprio

proprio genere latitudinem, vt sic valeat nutritionem successiuam terminare. Ea tamen consultò reseruamus quæstionibus sequentibus: tùm quia in illis propriam sedem habent: tum ne præsentem quæstionem plus, quam par est, longam, ac proinde fastidiosam reddamus.

QVÆSTIO II.

De existentia, quidditate, & termino nutritionis?

OMnia, quæ in titulo recensentur, comprehendimus sub vnica quæstione: quia vnius discussio alteri viam parat, & subsidio est: distinctionis tamen, & majoris claritatis gratia, singulas difficultates seorsim, ac breuiter decidemus.

§. I.

Ostenditur existentia nutritionis.

20 DIcendum est primo dari nutritionem. Ita Aristot. *in hoc libro, cap. 5. & 2. de Anima text. 43. & 47.* D. August. *libr. de vera Religione cap. 40.* vbi inquit: *Alimenta carnis corrupta, id est, amittentia formam suam, in membrorum fabricam migrant.* Idem tradit D.Th. pluribus in locis, & præcipuè *1.p.q. 119.a. 1.* vbi refutat sententiam aduersam sic concludens: *Et ideo dicendum est, quod alimentum verè conuertitur in veritatem humanæ naturæ, in quantum vere accipit speciem carnis, & ossis, & huiusmodi partium: & hoc est, quod dicit Philosophus in 2. de Anima, quod alimentum nutrit in quantum est potentia caro.* Vnde hic dicendi modus communis est inter Theologos, & Philosophos.

Probatur ratione: quia nutritionis nomine significatur transmutatio per quam materia alimenti amissa propria forma, recipit formam aliti: sed huiusmodi transmutatio est possibilis, & datur: ergo, &c. Suadetur minor: nam virtus residens in semine animalis generantis, & deriuata ab anima illius, non est majoris efficaciæ, quam ipsa anima: sed virtute seminis potest aliqua materia trãsmutari, & recipere formam animalis: ergo virtute animæ potest, & debet materia alimenti transmutari, & formam animalis recipere.

Confirmatur primò: quia animalia per continuam actionem caloris naturalis deperdunt aliquid de substantia: ergo debet dari nutritio per quam damnum illud queat vtcumque resarciri; alias animalia quã citissime mortem obirent: quod est contra experientiam. ¶ Confirmatur secundo: quoniam cum aliquis in grauem morbum incidit, solet plurimum flaccescere: postea verò per sumptionem alimenti detrimentum illud reparat, imo & pinguescit: ergo manifestum signum est, quod materia alimenti transit in substantiam aliti, nullum quippe aliud caput est, in quod

possimus reuocare huiusmodi reparationem.

21 Contra commune placitum sensit Magister *in 2. dist. 3.* inducens verba Christi Domini *Math. 15. Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & per secessum emittitur.* Quod non posset verificari, si aliquid alimenti conuerteretur in substantiam alitì. ¶ Confirmatur primo: quia si esset possibilis nutritio posset animal ea mediante, reparare quidquid deperdit vi morbi, & caloris naturalis; & consequenter valeret se in perpetuum aduersus mortem tueri: hoc autem est contra experientiam: ergo non datur nutritio. ¶ Confirmatur secundo: quia per nutritionem, si daretur, posset restaurari humidum radicale, sicut alia dicuntur reparari: sed humidum radicale nequit reparari, vt communiter docent Medici: ergo nutritio non est possibilis.

Hæc tamen minoris ponderis sunt, vt ob ea deseratur communis ac vera sententia. Primam obiectionem diluit Angelicus Doctor, *loco supra citato*, his verbis: *Dicendum, quod Dominus non dicit, quod totum quod in os intrat, per secessum emittatur: sed oportet, quod de quolibet cibo aliquid impurum per secessum emittatur.* Itaque ly *omne* intelligitur per distributionem accommodam: quod sufficit ad intensionem Christi Domini; probat quippe id, quod intrat in os, non inquinare hominem, quia si inquinaret, esset ob aliquam impuritatem: id autem quod impurum est, emittitur per secessum; atque ideo non coinquinat hominem.

Primæ confirmationi respondet S. Doct. in eodem loco dicens: *Omnis virtus in corpore passibili per continuam actionem debilitatur: quia eiusmodi agentia etiam patiuntur; & ideo virtus conuersiua in principio quidem tam fortis est, vt possit conuertere non solùm, quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augmentum. Postea vero non potest conuertere nisi quantum sufficit ad restaurationem deperditi; & tunc cessat augmentum. Demùm nec hoc potest, & tunc fit diminutio. Deinde deficiente huiusmodi virtute totaliter, animal moritur: sicut virtus vini conuertentis aquam admixtam paulatim per admixtionem aquæ debilitatur, vt tandem totum fiat aquosum, vt Philosophus exemplificat. 1. de Generat.*

Ad secundam respondetur per nutritionem non reparari saltim perfecte humidum radicale; bene autem humidum nutrimentale: & ideo non sequitur, quod nutritio vel sit impossibilis, vel superflua, Distinctionem verò, ac diuersitatem inter vtrumque humidum expressit D. Thom. *loc. cit.* his verbis: *Ad humidum radicale intelligitur pertinere totum id, in quo fundatur virtus speciei: vnde si substrahatur, restitui non potest, sicut si amputetur manus, aut pes, vel aliquid huiusmodi. Sed humidum nutrimentale est, quod nondùm peruenit ad suscipiendum perfectè naturam speciei; sed est in via ad hoc, sicut est sanguis, & alia huiusmodi: vnde si talia substrahantur remanet adhuc virtus speciei in radice, quæ non tollitur.*

De

De quo iterum agemus *in libr. de Anima.*

§. II.

Exponitur, in quo nutritio essentialiter consistat.

22 Dicendum est secundo nutritionem sumptam in esse actionis consistere in ea alteratione, per quam alimentum vltimo disponitur, vt illius materia transeat ad formam viuam aliti; consideratam vero in ratione mutationis esse transitum materiæ alimenti ad formam aliti. Hæc conclusio, suppositis his, quæ supra statuimus *disp. 2. quæst. 2.* facile suadetur: quoniam sicut anima media potentia generatiua est principium generandi aliud indiuiduum simile secundum speciem; ita per potentiam nutritiuam est principium nutriendi animal, ac proinde generandi aliquo modo simile sibi secundum vnitatem numericam: qua ratione nutritio solet aggeneratio, vel generatio partialis appellari: sed generatio totalis siue distincti indiuidui considerata in esse actionis consistit in alteratione per quam materia seminis vltimo disponitur ad formam animalis; sumpta vero in esse mutationis consistit in illo transitu instantaneo, quo materia transit à *non esse* formæ ad *esse* illius: ergo pariter nutritio, seu aggeneratio sumpta in esse actionis debet consistere in illa alteratione, per quam materia alimenti vltimo disponitur, vt transeat ad formam aliti, licet ad hoc requirantur plures aliæ alterationes, vtputa masticatio, concoctio, & considerata vero in esse mutationis consistet in transitu ipso instantaneo materiæ primæ à forma alimenti ad formam aliti. Diximus in assertione nutritionem esse *transitum materiæ alimenti ad formam viuam*, &c. quia nutritio in solis viuentibus reperitur, vt constabit ex ijs, quæ *disputatione sequenti, qu. 1.* dicemus.

23 Dicendum est tertio nutritionem tàm vt actionem, quàm vt mutationem distingui realiter ab augmentatione. Ita Aristoteles, & D. Thomas *in hoc libro, cap. 5. lect. 16.* & communiter Philosophi. Probatur ratione supponendo augmentationem esse motum substantiæ completæ à minori ad majorem quantitatem, vt constat ex dictis *in libris Physicorum, disput. 22. qu. 1.* & ex dicendis infra *disput. sequenti*: quoniam nutritio, & augmentatio siue sumantur in esse actionis, siue in esse mutarionis habent subiecta realiter diuersa; siquidem nutritio in esse actionis recipitur in alimento corrumpendo, vtpote in quo introducit suum terminum primarium, nempe dispositionem vltimam antecedentem; in ratione vero mutationis recipitur in materia prima, vt constat ex dictis *num. anteced.* augmentatio vero tam in esse motus, quam in esse actionis considerata recipitur in toto viuenti, quod augetur: ergo nequeunt non distingui realiter inter se.

Confirmatur: nam terminus primarius nutritionis, & terminus primarius

primarius augmentationis differunt realiter : ergo & ipſa nutritio, & augmentatio. Conſequentia liquet : quia termini primarij, & realiter diuerſi petunt actiones, vel mutationes realiter diſtinctas. Antecedens autem conſtat : quoniam terminus primarius nutritionis in eſſe actionis eſt vltima diſpoſitio antecedens ad formam aliti ; in eſſe vero mutationis eſt ipſa aliti forma modo infra declarando : terminus autem primarius augmentationis conſideratæ tùm in eſſe motus, tùm in eſſe actionis eſt ſola quantitas : conſtat autem inter quantitatem, & vltimam diſpoſitionem antecedentem, atque formam ſubſtantialem aliti realem diſtinctionem interuenire : ergo terminus primarius nutritionis, & terminus primarius augmentationis differunt realiter.

24 Contrariam huic concluſioni opinionem defendunt Albert. de Saxon *in hoc libro, quæſt.* 9. Marſilius, *quæſt.* 10. & alij. Quæ poteſt probari ex Philoſopho *in hoc libro, cap.* 5. *text.* 41. vbi ait : *Etenim ſic differunt nutrimentum, & augmentatio ratione* ; ſubditque iuxta tranſlationem Vatabli : *Nutritio idem quod accretio exiſtit, ratio tamen eſt diuerſa* : ergo iuxta mentem Ariſtot. nutritio, & augmentatio non diſtinguntur realiter. Idemque ſuadetur ratione *primo* : nam ideo per vnam, & eandem actionem generatiuam producitur ſubſtantia totalis, & quantitas totalis, quia hæc eſt proprietas illius, atque ideo conſequitur ad ipſam : ſed quantitas partialis eſt proprietas ſubſtantiæ partialis : ergo vna actio ſufficit ad producendum vtramque, ſubſtantiam videlicet primario ; quantitatem vero ex conſequenti : ac proinde eadem realiter actio eſt nutritio, quatenus attingit ſubſtantiam partialem ; augmentatio vero, quatenus ſe extendit ad quantitatem. *Secundò* : quoniam actio non ſpecificatur à termino, ſed à principio : ergo ex eo, quod ſubſtantia, & quantitas ſint termini diuerſi ; non recte colligitur, quod producantur per diuerſas actiones ; poteſt enim principium eſſe idem. *Tertio* : quia id, quod, producto viuenti, per ſe primo intenditur, eſt augmentatio, ſeu debita magnitudo ; ſubſtantia vero, quæ ibi producitur ſolùm intenditur ſecundario, vt ſit ſubiectum nouæ quantitatis : ſed terminus ſecundarius non terminat propriam actionem : ergo nutritio terminata ad ſubſtantiam non eſt actio realiter diuerſa ab augmentatione, quæ terminatur ad quantitatem. *Quarto* : nam licet in prima generatione ſubſtantia per ſe primo intendatur à natura ; attamen non fit per actionem propriam diſtinctam ab alteratione præcedenti : ergo ex eo, quod in augmentatione quantitatis intendatur per ſe primo ; non ſequitur, quod fiat per actionem diſtinctam à nutritione antecedenti : quemadmodum enim poſito termino proprio alterationis ; naturaliter reſultat ſubſtantia genita ; ita poſito termino proprio nutritionis, nempe ſubſtantia partiali, neceſſariò quantitas partialis conſequitur ad ipſam.

Reſpondetur ad auctoritatem Ariſt.

Aristotel. cum D. Thom. ibidem *lect.* 17. quod differentia inter nutritionem, & augmentationem potest sumi vel ex parte terminorum *ad quos*; vel ex parte subiectorum, in quibus recipiuntur; vel ex parte materiæ, *circa quam* versantur. Et quidem ex primo, & secundo capite nequeunt non distingui realiter; cùm habeant subiecta realiter diuersa; & terminos primarios realiter distinctos, vt constat ex supra dictis *numero* 23. Cæterum si attendamus præcisè ad materiam circa quam; solum ratione differrent: quia versantur circa materiam realiter eandem, & sola ratione distinctam. Idem enim alimentum, quatenus est caro in potentia, habet rationem materiæ, circa quam versatur nutritio: & idemmet alimentum, quatenus est quantitas carnis in potentia, vel caro quanta habet rationem materiæ, circa quam versatur augmentatio. Vnde nutritio, & augmentatio ex hoc capite solum differrent ratione. Et in hac posteriori consideratione loquitur Aristoteles.

Ad primam rationem in contrarium neganda est minor: quia quantitas vt partialis non est proprietas, vel effectus substantiæ vt partialis; sed potius ipsa substantia vt partialis est effectus formalis quantitatis: nam vt liquet ex *qu. præc.* substantia non habet rationem partis nisi denominatiue à quãtitate. Verum quidem est quantitatem partialem esse accidens connaturale substantiæ corporeæ, conueniens illi ratione materiæ: sed hoc non tollit, quod fiat per propriam actionem ad ipsam primario terminatam; intenditur enim primario à natura in augmentatione; & alias habet omnes conditiones requisitas ad terminandum per se motum vt constat ex dictis *in lib. Phys. d.* 22. *q.* 1. In generatione autem non intenditur quantitas per se primo; atque ideo non fit per propriam actionem.

Ad secundam quidquid sit de veritate antecedentis, negatur consequentia: nam nutritio, & augmentatio non solùm habent terminos realiter diuersos, sed etiam principia proxima realiter distincta; nam potentia nutritiua, & augmentatiua realiter distinguuntur, vt ostendemus *in lib. de anima, disp.* 8. *qu.* 3.

Ad tertiam dicimus substantiam in nutritione productam non posse habere rationem termini secundarij respectu augmentationis terminatæ ad quantitatem: tum quia augmentatio nequit attingere qualitates disponentes ad conuersionem alimenti, & productionem nouæ substantiæ; cùm prædictæ qualitates per se fiant per alterationẽ, quæ est motus diuersus ab augmẽtatione, vt ex se liquet. Tum etiam, quia substantia, vt proxime capax majoris quantitatis producitur in executione prius absolute, & simpliciter quam ipsa quãtitas major; atque ideo nequit esse post quantitatem resultatiue, & instar termini secundarij. Quamobrem opus est, vt nutritio sit actio distincta ab augmentatione, & elicita à potentia respiciente, & intendente per se productionem sustantiæ; quamvis hæc intensio subordinetur alij intensioni producendi majorẽ quantitatẽ; nulla

quippe repugnantia est in eo, quod actiones realiter distinctæ seruent inter se aliquam subordinationem.

Ad quartam neganda est consequentia: nam substantia non habet omnia requisita, vt terminet per se, & immediate actionẽ, vt constat ex supra dictis *disput. 2. num. 10.* quocirca licet sit terminus primarius naturæ operantis, non tamen ipsius operis; sed fit per resultantiam à termino primario alterationis, nempe ab vltima dispositione. Quantitas autem vt major habet omnes conditiones requisitas ad terminandum per se motum, & consequenter potest, & debet esse terminus primarius non solùm operantis, sed operis: ac proinde fit per actionem distinctam à nutritione sumpta in esse actionis, siue alterationis antecedentis. Ex eo autem, quod quantitas partialis necessario consequatur substantiam partialem, minime infertur, quod quantitas major non producatur per distinctam actionem; sed solum conuincitur, quod posita productione substantiæ radicaliter majoris, necessario sequatur alia actio attingens majorem quantitatem, nempe augmentatio.

§. III.

Statuitur terminus formalis nutritionis.

25 Dicendum est quarto terminum *quo*, seu formalem nutritionis v. g. plantæ esse substantiam viuam ex alimẽto productam, quatenus fit realiter actualiter idem cum ipso alito: & consequenter non esse substantiam, vt habet formaliter rationem partis; sed esse substantiam, quæ aliàs est pars ratione quantitatis, & quæ reddit suppositum proxime capax ad recipiendam quantitatem majorem. Hæc conclusio suppositis his, quæ statuimus *tota qu. præc.* solùm indiget explicatione, vt probetur. Et in primis animaduertendum est nos in præsenti non loqui de termino nutritionis sumptæ in ratione actionis: sic enim considerata non distinguitur ab alteratione antecedenti, cuius terminus est aliqua qualitas habens rationem vltimæ dispositionis, vt diximus supra *num.* 22. Sed procedit conclusio circa nutritionem sumptam in ratione mutationis substantialis ad illam alterationem præuiam consecutæ. Nec loquimur de termino *qui*, siue totali nutritionis, quem supponimus esse suppositum, quod augetur: de hoc enim non est specialis difficultas; sed philosophandum est proportionabiliter circa ipsum, sicut circa terminum *quo*, & formalem. Vnde si terminus *quo* est substantia denuò producta, vel vnita, non vt formaliter pars, sed quæ aliàs est pars, & tribuit capacitatem ad majorem quantitatem: pariter terminus *qui*, seu totalis erit suppositum vt habet nouam substantiam, non sub ratione partis formalis, sed quæ alias fit pars ratione nouæ quantitatis. Quo supposito,

26 Probatur conclusio vnico fundamento: quoniam terminus *quo*, & formalis nutritionis vt habet rationem mutationis substantialis, debet esse substantia: sed non est substantia totalis, vt ex se liquet; cum hæc

hæc sit terminus proprius generationis: ergo debet esse substantia partialis : atqui nequit esse substantia formaliter partialis, siue habens formaliter rationem partis intra genus substantiæ : ergo est substantia, quæ aliàs sit pars ratione quantitatis, siue, & in idem redit, est substantia, quæ solùm habet rationem partis potentialis, & sit idem realiter actualiter cum alito intra lineam propriam substantiæ. Primus syllogismus, & hæc vltima consequentia constant. Minor autem subsumpta ostenditur : quia terminus nutritionis debet esse substantia secundum ea quæ sunt propria lineæ substantialis : sed substantia intra propriam lineam non habet partes formaliter, siue actu distinctas, vt pluribus ostēdimus *tota qu. præc.* ergo terminus nutritionis non est substantia noua, vel denuo vnita, quatenus habet formaliter rationem partis.

Confirmatur, & explicatur : nam omnes portiones materiæ, vel formæ materialis hoc ipso, quod figillentur ad vnam numero quantitatem totalem ; fiunt intra genus substantiæ vnum, & idem per identitatem excludentem distinctionem actualem, licet retinentem distinctionem potentialem, vt supra explicuimus *n.* 12. sed substantia aliti, & substantia acquisita per nutritionem figillantur per eandem numero quantitatem totalem ; ergo fiunt idem in actu, licet distinguantur realiter in potentia ; & consequenter terminus nutritionis nequit esse substantia denuò acquisita, quatenus habet in genere substantiæ rationē partis actualis ; sed debet esse substantia, quæ aliàs est denominatiuè pars per quātitatem, & in genere substantiæ fit realiter actualiter idem cum substantia aliti. Vnde si in nutritione attendamus præcisè ad substantialia, non interuenit vnio inter substantiam aliti, & substantiam ex alimento comparatam sicut inter extrema actu distincta ; sed identitas actualis inter vtramque.

27 Sed obijcies: principium, & terminus actionis debent distingui realiter actualiter : sed principium effectiuum nutritionis est substantia aliti, & terminus eius est substantia denuò acquisita, & producta ex alimēto : ergo prædictæ substantiæ debent realiter actualiter differre: ergo cùm non comparētur vt totum, & totum ; debent comparari vt partes intra lineam substantiæ : & consequenter substantia partialis, vt habet formaliter rationem partis erit terminus nutritionis. ¶ Confirmatur: quia per nutritionem debet acquiri id, quod in diminutione deperditur per actionē caloris naturalis humidum radicale depascentis: sed in diminutione deperditur substantia partialis quatenus talis: ergo in nutritione acquiritur substantia vt habet formaliter rationem partis ; quæ proinde sub hac ratione erit terminus nutritionis. Probatur minor: quia in diminutione non deperditur quidquid substantiæ præexistit in viuenti ; alias non esset diminutio sed corruptio: ergo solum deperditur pars substātiæ, quatenus habet rationem partis.

Respondetur ad obiectionem, quod terminus nutritionis vt habet rationem actionis, non est substantia; sed vltima dispositio accidēralis:

inter quam, & ſubſtantiam aliti certum eſt interuenire diſtinctionem realem actualem. Si vero loquamur, vt in præſenti loquimur, de termino nutritionis in ratione mutationis ſubſtantialis conſideratæ, non oportet quod terminus formalis illius diſtinguatur realiter actualiter à ſuo principio ſubſtantiali, nempe ab alito: quia licet nutritio ſupponat diſtinctionem inter principium, & terminum; tandem terminatur ad idem alitum. Nutritio enim eò tendit vt per illam acquiratur viuenti illud ſubſtantiale, quod antè ipſam diſtinguebatur ab illo: ſed hoc ſubſtantiale, poſita acquiſitione, fit realiter actualiter idem cum ipſo viuenti: quia tàm ſubſtantia præexiſtens, quàm ſubſtantia denuò acquiſita ſigillantur actu ad eandem numero quantitatem, ſub qua non poſſunt dari partes ſubſtantiæ actu diſtinctæ. Vnde licet nequeat dari actio realis inter principium, & terminum, quæ nullo modo realiter diſtinguntur; bene tamen inter ea, quæ ante mutationem diſtinguebantur realiter actualiter; & data etiam mutatione, diſtinguuntur adhuc realiter potentialiter: quo pacto diſtinguntur principium radicale, & terminus formalis nutritionis. Maxime, quia principium adæquatum nutritionis non eſt ſubſtantia aliti ſolitarie ſumpta, ſed ſimul cum potentia nutritiua: & terminus nutritionis eſt ſubſtantia, vt connotat, & habet ſibi aſſociatam nouam partem quantitatis: inter huiuſmodi autem principium, & terminum datur diſtinctio ſufficiens ad actionem; hac quippe de cauſa eadem actio conuerſiua, & eſt à Chriſto Domino tanquam à principio effectiuo, & terminatur ad ipſummet, vt habet nouum modum ſubſtantialem in Sacramento.

Ad confirmationem reſpondemus in deperditione ſubſtantiæ facta per calorem naturalem, & in eius reſtauratione facta per nutritionem ſeruari maximam proportionem: nam id, quod deperditur, non eſt tota ſubſtantia præexiſtens, ſed aliquid ſubſtantiæ, quod intra genus ſubſtantiæ habebat rationem partis virtualis, & diſtinctæ realiter in potentia: & ſimiliter id, quod per nutritionem acquiritur, eſt aliquid ſubſtantiæ, quod intra genus ſubſtantiæ ſolùm radicaliter, & potentialiter eſt pars: licet aliàs ſit formaliter denominatiuè pars ratione quantitatis. Vnde ſicut id, quod deperditur, ante diminutionem erat realiter actualiter idem cum viuenti; & per diminutionem fit realiter actualiter diuerſum ab eo: ita quod acquiritur erat ante nutritionem realiter actualiter diuerſum ab alito, & per nutritionem fit idem realiter actualiter cum illo. Quare licet id quod additur alito, ſit in actu; diſtinctio tamen eius ab alito non eſt actualis, ſed potentialis.

QVÆ.

QVÆSTIO III.

An nutritio sit mutatio successiua, & continua?

SVpponimus ex dictis *in lib. Physicorum disp.* 22. *quæst.* 4. substantiam non terminare per se motum: qua de causa non inquirimus, an nutritio, quatenus immediate terminatur ad substantiam, habeat rationem motus; sed vtrum sit mutatio continua? Nomine autem mutationis continuæ non intelligimus mutationem, quæ continuo, & absque interruptione duret toto vitæ tempore: certum quippè est posse calorem naturalem adeò languescere, vrgente graui infirmitate, vt vel nequeat agere, vel adeo remisse agat, quod non valeat alimentum disponere, & conuertere in substantiam aliti. Cui suppositioni minime opponitur Philosoph. *in hoc lib. text.* 41. dicens: *Quandiu saluum manet animal, etiam si decretionem subeat, alitur; sed non semper accrescit*: quia solum intendit non posse animal per multum tempus conseruari absque nutritione; bene autem absque augmentatione: cum quo tamen stat, vt per breue aliquod interuallum cesset nutritio. Nomine igitur *mutationis continuæ* intelligimus mutationem, quæ licet non semper duret; nihilominus, quandiu est, durat per aliquod tempus continuum, & non præcisè per correspondentiam ad instans, vel ad instantia discreta: plures enim existimant totam nutritionem coalescere ex pluribus mutationibus instantaneis, & discreto sibi succedentibus.

§. I.

Eligitur communior sententia.

28 DIcendum est nutritionem esse mutationem successiuam, & continuam. Sic docent Aristot. 5. *Physicor. cap.* 2. D. Th. *in hoc lib. lect.* 11. & 16. necnon 3. *p. q.* 33. *art.* 1. Soto 1. *Physic. q.* 4. *art.* 3. Bañez *in hoc lib. cap.* 5. *q.* 2. Zanardus *in* 2. *parte vniuersi elementaris quæst.* 67. & communiter Philosophi. Et quidem si conclusio restringatur præcisè ad nutritionem, quæ comitatur motum augmentationis, constans debet esse apud omnes, qui cum Aristot. tenent prædictum motum esse continuum. Si enim quantitas producitur per augmentationem in tempore; substantia vero non posset per nutritionem in eodem tempore produci, sequeretur dari in prædicto tempore quantitatem absque substantia sibi correspondente: quod est manifestum absurdum. Sed conclusio intelligitur vniuersaliter de nutritione, si coniungatur augmentationi, & attingat substantiam maiorem, siue non; in quo sensu,

Probatur ratione: nam ideo, prima generatio viuentium fit

in instanti; quia petit determinatam materiam, & certam quantitatem, ita vt in minori nequeat forma substantialis introduci vt constat *ex lib. Physic. disp. 24. qu. 3.* sed ad nutritionem non requiritur determinata materia, aut certa quantitas: sed potest fieri per partes minores, & minores: ergo nutritio fieri potest in tempore, & consequenter continuò; quandoquidem mutatio facta in tempore debet esse continua, sicut tempus ipsum. Probatur minor: tum quia viuens per generationem jam habet debitam materiam, & quantitatem, vt anima informet corpus: ergo in nutritione non requiritur determinata materia, vt anima extendatur ad informandum illam. Tum etiam, quia ex suppositione, quod viuens habeat per generationem debitam materiam; potest quælibet pars materiæ alimenti, quantumuis minor, & minor, ei vniri, & sub eius forma conseruari: nam ab aliis partibus quasi fouetur: ergo ad nutritionem non requiritur certa materia, vel determinata quantitas; sed fieri poterit per partes indeterminatas minores scilicet, & minores.

Confirmatur, & explicatur: nam quoties vltima dispositio ad aliquam formam ponitur continuò; toties ipsa forma inducitur continuò, & non indiuisibiliter, vel instantaneè: sed vltima dispositio, vt forma aliti, media nutritione, informet materiam alimenti ponitur continuò: ergo nutritio fit successiue, & continuò. Suadetur minor: quoniam agens prius agit in partes sibi proximas passo contrarij, quam in partes remotiores ex Aristot. *in hoc lib. cap. 5.* ergo potentia nutritiua prius aget in partes alimenti sibi proximas, quam in remotiores: ergo prius in illis quam in istis introducet vltimam dispositionem ad formam aliti: & consequenter vltima dispositio sub conceptu talis non inducitur instantaneè, sed successiue, & continuo.

§. II.

Respondetur argumentis opinionis aduersæ.

29 NEgatiuam sententiam tuentur Pomponacius *lib. de Nutritione cap. 19. & 8. Metaph. disp. 7. cap. 4.* Toletus *in præsenti quæst. 11.* quibus, vt ipsi referunt, suffragantur etiam B. Albertus, Auerroes, Themistius, & Simplicius. Et potest suaderi primo: quia vt mutatio sit continua, debet habere terminum diuisibilem: implicat enim rem indiuisibilem fieri continuò; sed nutritio sub ratione mutationis terminatur immediatè ad substantiam, quæ est in suo genere indiuisibilis, vt supra statuimus *qu. prima*: ergo nutritio nequit esse mutatio continua.

Respondetur, quod licet substantia intra propriam lineam careat partibus actu distinctis; habet tamen diuisibilitatem virtualem, & radicalem; quæ æquiualet diuisibilitati formali: nam alitum ratione prædictæ diuisibilitatis acquirit realiter media nutritione, aliquid intra proprium genus, quod antea non habebat; quamvis semel acquisitum,

situm, & subeadem quantitate existens non distinguatur à substantia præexistente. Vt autem mutatio sit continua, sufficit, quod eius terminus habeat vel diuisibilitatem formalem, sicut quantitas; vel diuisibilitatem potentialem, virtualem, & æquiualentem, sicut substantia corporea. Quod potest explicari exemplo qualitatis, quæ caret partibus actu distinctis; & tamen terminat motum continuum alterationis: quia est diuisibilis virtualiter. Videantur supra dicta *disp. præced. num.* 13.

30 Arguitur secundo: nam ideo forma substantialis in prima generatione petit certam quantitatem, & non potest introduci in minori, quia habet certam, & determinatam essentiam, vt patet ex dictis *in lib. Physic. disp.* 24. *quæst.* 3. sed cum forma viuentis extenditur, media nutritione, ad materiam alimenti, etiam habet determinatam essentiam: ergo petit certam ac determinatam materiam, & non poterit introduci in minori: sed si nutritio fieret continuò, fieret vtique per partes minores, & minores, sicut aliæ mutationes continuæ: ergo nutritio nequit esse mutatio continua.

Respondetur negando primam consequentiam: quia vt supra diximus, forma substantialis ante primam sui communicationem non supponitur existens in determinata, & sibi debita materia; ac proinde postulat tunc prædictam determinationem, & quod materia terminetur per *minimum quod sic*. In nutritione autem jam supponitur forma existens in subiecto debite terminato, saltem versus paruitatem: quocirca potest optime se extendere ad informandas nouas portiones materiæ minores, & minores. Sicut etiam quantitas, cum primo producitur ad generationem formæ, postulat certam, & determinatam magnitudinem: & nihilominus, hoc supposito, queit postea augeri per partes incertas, & indeterminatas, vt ex se liquet.

31 Arguitur tertio: quoniam si nutritio esset mutatio continua, inciperet per *vltimum sui non esse*; & consequenter verificaretur: *Nunc non est forma aliti in materia alimenti, & immediatè post erit*: sic enim incipiunt omnia successiua, & continua, vt diximus *in lib. Physicor. disp.* 24. *quæst.* 1. atqui nutritio nequit incipere prædicto modo: ergo non est mutatio continua. Suadetur minor: nam vel in illo instanti materia alimenti habet vltimam dispositionem ad formam aliti, vel non? Si primum: ergo forma aliti introducetur in illo instanti; & consequenter nutritio non fiet in tempore immediatè sequenti. Si secundum: ergo forma non introducetur in tempore immediatè sequenti: quoniam in prædicto tempore materia vltimo disponetur, & forma non introducitur nisi postquam vltima dispositio introducta est.

Confirmatur, & explicatur primo: nam quando verificatur, quod non est forma alimenti, debet verificari, quod in materia eius est forma aliti; ne materia illa sit in aliqua duratione absque omni forma: sed datur aliquod instans, in quo verificatur: *Nunc non est forma alimenti & immediatè antea erat*, illud nempe

pe instans, in quo datur maximum cibi distemperamentum: ergo datur instans, pro quo verificatur: *Nunc est forma aliti in materia alimenti, & immediatè antea non erat*: ergo nutritio incipit intrinsecè in instanti, & consequenter non est mutatio continua.

Confirmatur, & explicatur secundo: nam si nutritio incipit successiue, debet forma alimenti desinere ad instar successiuorum, vt sic introductio formæ aliti, & corruptio formæ alimenti seruent debitam proportionem inter se: sed successiua desinunt intrinsecè in instanti siue per *primum non esse*: ergo datur aliquod instans, in quo verificatur: *Nunc non est forma alimenti, & immediatè ante erat*: ergo nisi in illo instanti incipiat intrinsecè forma aliti informare materiam alimenti, erit materia eius absque omni forma, quod est absurdum: debet igitur nutritio exerceri in illo instanti.

Ad argumentum negatur minor, ad eius probationem dicendum est duplex dari genus dispositionum vt forma aliti actuet formam alimenti: nam alia est vltima dispositio antecedens; & hæc præcedit duratione formam inducendam: alia est vltima dispositio concomitans formam; & ista coexistit illi in primo instanti suæ introductionis, & non datur ante illud, vt in simili diximus supra *disp. 2. quæst. 6.* In eo autem instanti in quo verè enuntiatur: *Nunc non est forma aliti &c.* jam est vltima dispositio antecedens, quæ præcedit formam duratione: sed adhuc deest vltima dispositio concomitans, quæ introducetur in tempore immediate sequenti, & formam substantialem indiuulsè comitatur. Vnde ex vi huius potius concluditur, quod nutritio fiat in tempore, & continuò.

Ad primam confirmationem neganda est minor, quia forma alimenti non desinit *per primum non esse*, siue in instanti; *sed per vltimum sui esse*, siue in tempore, quatenus verificatur: *Nunc est forma alimenti, & immediate post non erit*. Neque in illo instanti (vt sic probationi ibi insinuatæ occurramus) est vltimum, & magnum distemperamentum, sub quo cibus esse non potest; sed est maximum distemperamentum, sub quo pro illo instanti esse valet; non tamen sub maiori, vel sub eodem in maiori duratione. Quod explicatur in generatione ignis ex aëre: etenim vltima dispositio antecedens non est maximum distemperamentum, sub quo aër esse nequeat; sed est maximum, sub quo potest esse, non tamen sub maiori, vel sub eodem pro duratione sequenti. Ita contingit etiam in nostro casu debita proportione seruata: nam vltima dispositio antecedens ad generationem substantialem ponitur in tempore, & ideo generatio fit intrinsecè in instanti sequenti: vltima autem dispositio antecedens ad introductionem formæ aliti in materia alimenti ponitur in instanti: quare introductio formæ, seu nutritio debet exerceri in tempore immediatè sequenti.

32 Sed dices: licet vltima dispositio antecedens ad formam aliti introducatur in minoribus, & minoribus partibus subiecti, vt supponimus; nihilominus sub ratione vlti-

mæ

mæ introducitur in instanti ; ergo licet forma aliti incipiat informare minores, & minores portiones materiæ, valebit tamen introduci in instanti: ergo non est necessarium, quod nutritio fiat in tempore, & consequenter corruit confirmatio facta pro nostra conclusione. ¶ Respondetur vltimam dispositionem posse bifariam considerari: primo secundum suam entitatem, & provt est *in fieri*: secundo quatenus est *in facto esse*, & importat determinationem in sua entitate. Primo modo sumpta introducitur in tempore, & continuo: posteriori vero modo accepta introducitur in instanti terminatiuo alterationis antecedentis, vt diximus *in lib. Physicor. disp. 24. qu. 2.* Vnde etiam forma aliti comparata ad materiam alimenti potest considerari dupliciter; vno modo absolutè, & provt est *in introduci*, seu extendi: & hoc pacto incipit successiue actuare materiam alimenti; atque ideo nutritio, quæ in prædicta introductione consistit, est mutatio successiua. Alio modo sumitur *in introducto esse*, & quatenus informat materiam determinatam: & hac ratione incipit in instanti, quia non incipit per nutritionem, provt in fieri; sed per nutritionem in facto esse, siue per vltimum mutatum esse nutritionis.

Ad secundam confirmationem respondetur maximam seruari correspondentiam inter introductionem formæ aliti, & corruptionem formæ alimenti: vnde sicut illius introductio exercetur intrinsecè in tempore; ita huius corruptio debet in tempore intrinsecè exerceri: ne materia prima in aliqua duratione careat omni forma, vel simul habeat duas. Quamobrem in illo instanti, in quo verificatur: *Nunc non est forma aliti in materia alimenti, & immediatè post erit*; etiam debet verificari: *Nunc est forma alimenti in sua materia, & immediatè post non erit.* Neque oportet, quod in duratione immediatè sequenti desinat forma alimenti absolutè, & quoad omnem suam entitatem, sed sufficit quod desinat vt tanta, & quoad aliquid materiæ præexistentis, quantumuis, minus, & minus ab ea non informetur: sicut ad hoc, vt desinat vlna in ratione talis, satis est, quod aliquid auferatur ab illa. Quare falsum est, quod forma alimenti debeat desinere ad instar successiuorum, & *per primum sui non esse*: nam cùm supponatur habere determinatam materiam, & entitatem, consistit secundum hanc rationem in indiuisibili; & consequenter potius debet desinere ad modum indiuisibilis, & *per vltimum sui esse*. Qua de causa quando forma aliti incipit absolutè, & *per vltimum non esse*; forma alimenti desinit vt tanta, & *per vltimum sui esse*: & cùm forma est introducta in facto esse; & vt tanta; tunc forma alimenti est totaliter corrupta, & desinit absolutè. Videantur quæ diximus *in lib. Physic. disp. 24. quæst. 2. & 3.* vbi occurrimus aliquibus objectionibus, quæ possent doctrinam hactenus traditam impugnare: & ideò eas non inculcamus in præsenti.

DISPVTATIO VI.

De Augmentatione.

POST nutritionis notitiam rectus ordo postulat, vt differamus de augmentatione, quæ ad nutritionem consequitur. De illius autem existentia dubitari non potest: videmus siquidem eundem hominem esse majoris magnitudinis in ætate virili, quam in puerili: hoc autem non fit per rarefactionem; aliàs durjora, solidioraque essent membra pueri, quam viri, quod euidenti experientiæ contradicit: vnde relinquitur, quod fiat per augmentationem, seu motum acquirentem suppositò majorem quantitatem, vt docet Aristot. *in hoc lib. text.* 31. Pari etiam certitudine supponimus augmentationem esse mutationem successiuam, & continuam. Ad quod suadendum nouæ rationes inculcandæ non sunt; cùm id satis superque constet ex dictis *disp. præced. quæst. vltima* & *in lib. Physic. disp.* 22. *quæst.* 1. Quod minimè labefactat auctoritas Philosophi *in hoc lib. text.* 23. dicentis: *Neque enim augeri, nec minui possibile est continuè:* tùm quia solùm intendit, quod augmentatio non sit perpetua, & correspondens motui locali cælorum; minimè verò, quod quandiu durat, non sit continua, vt in simili obseruauimus *disp.* 4. *q.* 3. in principio. Tum quia solùm impugnat positionem Heraclyti asserentis augmentationem non tantum esse continuam, sed etiam omninò regularem, & vniformem ita quod sicut tota augmentatio correspondet toti v.g. horæ; sic medietas medietati correspondeat, & sic de aliis. Quod meritò redarguit Aristot. quoniam opus non est quod augmentatio tanta vniformita-

te

te exerceatur. Minimè verò statuit augmentationem nullo modo esse continuam.

Imò verò etsi alteratio, & nutritio fiant successiuè, & continuò, vt constat ex dictis *disp. præcedent.* peculiaris tamen titulus inuenitur in augmentatione, vt sit mutatio continua, qui non competit aliis mutationibus. Quoniam mutatio concomitans motum localem, ipsique correspondens nequit non habere rationem mutationis continuæ & successiuæ; si enim exerceretur in instanti, minimè posset correspondere motui locali, qui exercetur in tempore. Constat autem subiectum, quod augetur mutare locum; secùs verò illud, quod vel nutritur, vel alteratur, vt expressè tradit Aristoteles *in hoc libro capite quinto, text.* 25. his verbis: *Nam neque id, quod alterationem subit, neque id, quod generatur, necessariò mutari loco cernitur: quod autem accrescit, aut decrescit cernitur.* Redditque rationem D. Thom. ibidem *lect.* 11. dicens: *Locus commensuratur locato, & hoc secundum magnitudinem; non autem secundum qualitatem, aut substantiam: & ideò necesse est, quod quando mutatur magnitudo locati, quod etiam fiat transmutatio secundum locum; non autem, quando transmutatur aliquid secundum substantiam, vel secundum qualitatem.* Vnde rationem motus successiui peculiari jure vendicat sibi augmentatio. Ad huiusmodi verò transmutationem localem, quæ in augmentatione inuenitur, non desideratur, quod totum suppositum transeat de loco totali ad alium locum totaliter diuersum; sed sufficit, & requiritur, vt quælibet eius pars transeat ad nouum locum quasi partialem, quem anteà non occupabat. Quod in augmentatione inuenitur: nam eius, quod augetur, quælibet pars augetur, vt dicemus *quæst.* 2. ac proindè nouum subintrat locum. Hæc in limine disputationis prælibauimus, & quia non postulant specialem quæstionem, & quia ad resolutionem aliarum conducere queunt.

QVÆSTIO I.

Vtrum augmentatio propriè dicta conueniat solis viuentibus.

PRo tituli intelligentia obseruandum est augmentum esse duplex, proprium videlicet, & improprium. Illud est quod fit per virtutem actiuam internam conuertentem partes alimenti in substantiam rei, quæ augetur, illasque ita subtiliter subinferentem, vt à partibus præexistentibus discerni non valeant, vt videre est in augmento plantæ. Augmentum verò improprium solùm fit per juxtapositionem, & extrinsecam applicationem vnius rei ad aliam, quin ibi vlla conuersio in rem præexistentem, aut transmutatio inueniatur; sed res præexistens eodem modo maneat in se, ac anteà se habebat: vt si ferro quantitatis digitalis affigas aliud eiusdem magnitudinis: nulla quippè fit substantialis transmutatio; sed ferrum præexistens eodem modo se habet in se, sicut anteà. In præsenti ergo supponimus augmentum impropriè dictum posse non viuentibus conuenire, vt liquet exemplo proximè inducto: dubitamus autem, vtrum augmentum proprium possit etiam in non viuentibus inueniri.

§. I.

Statuitur communis sententia.

1 DIcendum est sola viuentia augeri augmento propriè dicto. Ita Aristot. 2. *de Anima text.* 40. D. Th. ibid. *lect.* 9. *& in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 7. quibus consentiunt alij Philosophi, vt testatur Bañez in præsenti. Fundamentum præcipuum desumitur ex Angelico Doct. *quæst. vnica de Anima art.* 13. *ad* 15. potestque sub hac forma proponi: quoniam augmentum propriè dictum fit per virtutem actiuam internam ad hunc finem destinatam: sed natura contulit hanc virtutem viuentibus; secus verò non viuentibus: ergo sola viuentia augentur augmento propriè dicto. Suadetur minor: quia natura neque deest in necessariis, neque redundat in superfluis: prædicta autem virtus est necessaria viuentibus; & in non viuentibus superflua; siquidem viuentia, quia generantur ex semine, habent modicam quantitatem à principio, & indigent majori magnitudine cùm ad diuersa organa, cùm ad exercendas suas operationes: quocircà debuit natura vt illi defectui occurreret, communicare illis virtutem, seu potentiam, per quam decursu temporis acquirerent debitam sibi quantitatem. Quæ ratio minimè vrget in non viuentibus: hæc quippè, quando recipiunt naturam, & esse, recipiunt etiam debitam

quanti

quantitatem. Cuius signum manifestum est, quod vbi primò producuntur, queunt optimè alia indiuidua eiusdem speciei generare: vt patet in generatione ignis, qui alium statim generat. Vnde non indigent virtute actiua, & interna ad proprium augmentum acquirendum: quam proindè si eis impertiretur natura, prodigalitatis arguenda foret. Si autem inanimata in exigua, & minori quantitate generari contingat; id est per accidens: cui proindè defectui non tenetur natura occurrere: hæc quippè in communicatione virtutum solùm attendit ea, quæ sunt per se.

Confirmatur primò: quia virtus, seu potentia augmentatiua est vitalis, cùm illius peculiaris actus sit augeri, seu moueri à se, quod est proprium vitæ officium; vt docet Aristot. 8. *Physic.* atqui repugnat, quod potentia vitalis communicetur rebus inanimatis: ergo natura non communicauit eis prædictam virtutem, ac proindè non poterunt augeri augmento propriè dicto, quod per illam virtutem exercendum est, vt constat ex dictis.

Confirmatur secundò: nam quia viuentia augentur augmento proprio, & per virtutem intrinsecam, ideò habent peculiarem partem, per quam attrahant alimentum, vti se habent os in animalibus, & radices in arboribus: & deinde aliam partem, in qua alimentum concoquant, variaque organa, & meatus, per quæ alimentum ad partes remotiores transfundant: nil autem horum cernitur in rebus inanimatis, vt puta in igne, vel aqua; sed sunt purè homogenea, siue habentia partes eiusdem rationis: ergo signum manifestum est, quod inanimata non augentur augmento proprio, sed improprio aut per juxtapositionem.

Confirmatur tandem: quia ea propriè augentur, quæ propriè nutriuntur: ex Aristot. *in hoc lib. cap.* 5. sed sola viuentia propriè nutriuntur: ergo sola viuentia augentur propriè. Minor constat tum ex Arist. *loco suprà cit. text.* 46. quem sic exponit D. Thom. ibidem: *Dicit ergo primo, quod nihil nutritur, quod non participet vitam: omne autem participans vitam est animatum: sequitur ergo, quod corpus, quod alitur, est animatum.* Et infrà: *Considerandum est autem, quod nihil propriè nutritur, nisi animatum.* Tum efficaci ratione: quoniam nutritio reparat partes, quæ deperduntur vi caloris naturalis humidum depascentis: ad quod proculdubio requiritur diuersitas partium habentium contrarias, & rixantes dispositiones, vt sic vna queat agere in aliam: constat autem, quod huiusmodi partes dumtaxat inueniuntur in viuentibus, siquidem omnia inanimata sunt simpliciter homogenea: ergo nutritio propriè dicta solum in viuentibus reperitur. Videantur quæ diximus *disput. præced. quæst.* 2, §. 1.

§. II.

Nonnullæ objectiones diluuntur.

2 SEd aduersus communem assertionem oppones primò: nam ignis verè & propriè nutritur, & augetur: & tamen non est viuens: ergo augmentum propriè dictum potest non viuentibus conuenire. Suadetur major tum ex D. Th. 2. *de Anima lect.* 8. vbi inquit: *Ignis præexistens ad sui conseruationem, & augmentum videtur in se humorem conuertere: & ideò in elementis videtur solus ignis nutriri.* Vbi planè loquitur de augmentatione, & nutritione propriè dictis: aliàs eas specialiter igni non attribueret, aliisque elementis denegaret; siquidem augmentum improprium cæteris etiam elementis queit adaptari, vt ex se liquet. Tum etiam: nam ideò viuens propriè nutritur, & augetur, quia indiget extrinseco pabulo ad sui conseruationem, sed hæc indigentia etiam inuenitur in igne; quippè qui, deficientibus combustilibus, statim perit: ergo propriè nutritur, & augetur. Tum denique: quia ad augmentum propriè sumptum tria tantum desiderantur, videlicet alimentum ab extrinseco aduenies, identitas numerica rei auctæ, & quod quælibet eius pars augeatur; vt constabit ex dicendis: sed hæc omnia possunt inueniri in augmento ignis; si enim flamma vndique aspergeretur guttis olei, augeretur medio alimento extrinseco, & per virtutem intrinsecam, & secundum omnes suas partes, & tandem maneret idem: ergo ignis augetur augmento propriè dicto.

Respondetur negando majorem, & ad primam probationem desumptam ab auctoritate dicendum est D. Th. non attribuere igni augmentum propriè sumptum, sed impropriè acceptum: quia tamen in hoc magis assimilatur viuentibus quam alia elementa; idcircò asserit solum ignem videri augeri, & nutriri. Quod facilè deprehendet, qui textum legerit: nam postquam S. Doctor negauit ignem nutriri, & augeri propriè, subjunxit: *Ideò autem similitudo augmenti, & nutrimenti præcipuè apparet in igne: quia ignis habet plus de forma, quam alia elementa, & est potentior in virtute actiua: vnde propter hoc, quod manifestè alia conuertit in se, videtur nutriri, & augeri.*

Ad secundam respondetur ignem non indigere per se pabulo extrinseco ad sui conseruationem, vt apparet in igne elementali existente in proprio, & sibi debito loco, sed indiget eo per accidens, nimirùm quia inuenitur extra propriã sphæram, & circundatur pluribus contrariis; quibus facilè cedet, nisi externo pabulo affixus sit, ipsumque in se conuertat. Viuentia autem indigent per se externo alimenti subsidio ad reparandum detrimentum quod continuò subeunt ob internam, & perpetuam concertationem contrariarum partium, quibus naturaliter constant. Quamobrem natura attendens ea, quæ sunt per se; secus verò illa, quæ sunt per accidens, tribuit viuentibus instrumenta

ad

ad nutritionem propriam desiderata; illaque denegauit igni, aliisque rebus inanimatis.

Per quod patet ad tertiam probationem: quia virtus, per quam flamma conuertit in se guttas olei, non est potentia per se destinata ad talem conuersionem, sed tendit per se ad generandum alium ignem numero diuersum. Sed quia per accidens combustibile est indistans à flamma; ideò post generationem noui ignis, illum sibi identificat, vel annectit. Quocircà, quod ibi propriè, & per se loquendo, inuenitur, est quædam generatio, ad quam posteà per accidens sequitur vnio, vel identificatio ignis geniti ad ignem generãtem. Vnde partes præexistentes non augentur, nec fiunt majores; sed eisdem additur noua pars, ratione cuius est major ignis. Quod minimè sufficit ad augmentationem propriè dictam: hæc enim postulat, vt sicut totum, ita quælibet eius pars, in se ipsa accreationẽ consequatur.

3 Secundò objicies: quoniam ad augmentationem propriam non requiritur, quod fiat per virtutem internam: ergo ex hoc capite non repugnat inanimatis, quod augeãtur augmento propriè dicto. Antecedens probatur: quia ad motum localem, vel alterationem propriè sumpta non requiritur, quod fiant per virtutem internam; & ideò licet fiant ab extrinseco, queunt esse tales cum proprietate: ergo pariter ad augmentationem non desideratur, quod fiat ab intrinseco; sed poterit esse talis cum proprietate, quamuis fiat per juxtapositionem.

Respondetur negando antecedens: quia augmentatio propriè dicta comitatur nutritionem: hæc autem est mutatio ordinata ad conseruationem eiusdem suppositi, à quo procedit; atque ideò est mutatio vitalis, cui repugnat fieri ab extrinseco: idemque proindè de augmentatione asserendum est. Vnde exempla in contrarium adducta non vrgent: nam alteratio, & motus localis ex genere suo non sunt actiones vitales: vnde mirum non est, quod queant fieri ab extrinseco. Si autem aliquis motus localis sit vitalis, minimè poterit fieri purè ab extrinseco; sed erit diuersæ rationis, si ab extrinseco fiat; vnde quia cursus petit fieri ab intrinseco, & à pedibus velociter motis; Petrus v.g. cuius pedes ab alio velociter mouerentur, non diceretur propriè currere, sed tantum moueri. Ita quia augmentatio petit fieri ab intrinseco ob rationes suprà traditas; si fieret præcisè per juxtapositionem, non foret augmentatio propria, sed impropria.

4 Tertiò objicies: quia plura inanimata, vt puta lapides sub terra geniti, habent poros, quibus attrahũt humorem, & per hunc crescunt: ergo hæc augentur per intussumptionem: ergo nihil deest illis ad augmentum propriè dictum.

Respondetur negando vtramque consequentiam: quia licet lapides habeant poros & in iis recipiant humorem, qui posteà in lapidem conuertitur: attamen nihil horum fit per virtutem internam, & ad hoc munus per se tendentem; sed fit ab extrinseco per virtutem cœlorum, & aliorum agentium vniuersalium.

Vnde

Vnde non concurrunt ibi eæ conditiones, quæ ad augmentum propriè dictum desiderantur.

5 Quarto objicies: quia cum vino parum aquæ infunditur, quæ cõuertitur in illud; prædictum vinum augetur, vt constat; atqui in eo augmento concurrunt conditiones augmenti proprij; quandoquidem fit per virtutem internam, & innatam vino; & est secundum omnes illius partes, cùm secundum omnes fiat vinum debilius; & tandem hoc manet idem numero: ergo non repugnat augmentum propriè dictum inueniri in re inanimata, vti est vinum.

Respondetur negando minorem: prædictum siquidem augmentum non fit per virtutem internam designatam, & ordinatam ad illud. Cuius satis manifestum signum est, quod illud vinum manet, facta aquæ conuersione, debilius, & simpliciter imperfectius. Quod non sic contingeret, si prædicta augmentatio fieret per potentiam augmentatiuam: hæc quippè propendit in majorem perfectionem suppositi, quod augetur, & per suos actus reddit illud magis vegetum, & perfectius. Tendebat igitur virtus vini ad producendum ex materia aquæ aliud vinum, illudque produxit: sed quia per accidens erant indistantia, ideò vinum genitum vino generanti copulatum est, sicut suprà de igne dicebamus. Et quia omne agens in agendo repatitur; propterea vinum illud aliquam debilitatem ex prædicta transmutatione contraxit.

QVÆSTIO II.

Vtrum eius, quod augetur, quælibet pars augeatur?

STatuit Aristoteles *in hoc libro capite quinto*, ad augmentum proprium requiri, quod eius, quod augetur, quælibet pars augeatur. Quam conditionem hîc exponere, ac defendere necessarium est.

§. I.

Illustratur mens Aristotelis.

6 DIcendum est augmentationem propriam fieri secundum omnes partes rei, quæ augetur, ac proindè quamlibet rei auctæ partem augeri. Ita Philosophus *loco citato*, Diuus Thomas ibidem *lect.* 14. Bañez, Zanardus, Toletus in præsenti, & communiter Doctores. Fundamentum est: quia id, quod mouetur per se, & ratione sui, debet moueri secundum omnes partes: sed viuens augetur per se, & ratione sui: ergo debet secundum omnes partes augeri. Major constat, tùm ex Aristotele 5. *Physic. text.* 1. tùm quia id, cuius vna, vel altera pars mouetur, non dicitur moueri secundum se totum, & ratione sui; sed solùm secundum partem, vt dicitur vulnerari ratione manus,

manus homo, cuius manus vulneratur: ergo vt totum moueatur per se, & ratione sui, debet moueri secundum omnes partes. Minor etiam liquet: quia viuens per se, & ratione sui mouetur per eas operationes, quæ ipsi debentur per se, & ratione suæ naturæ: sed augmentatio est operatio debita toti viuenti vt quantitatem sibi conuenientem assequatur: ergo viuens augetur per se, & ratione sui.

Confirmatur: quia quælibet pars viuentis nutritur: ergo quælibet pars viuentis augetur: Consequentia patet à paritate, & insuper quia augmentatio comitatur nutritionem. Antecedens autem probatur, tum quia calor naturalis, medio quo fit nutritio, reperitur in omnibus viuentis partibus. Tum quia nutritio reparat detrimentum, quod inducit calor naturalis depascens humidum radicale: sed quælibet pars subit aliquod detrimentum: ergo omnes debent per nutritionem reparari. Tum denique, quia quælibet pars viuentis viuit ad vitam eius: sed per nutritionem viuunt vegetatiua: ergo cum nutritur totum v. g. planta, debent etiam omnes eius partes nutriri.

7 Inquires, an assertio nostra intelligenda sit de omnibus partibus tam proportionalibus, quam aliquotis. ¶ Respondetur affirmatiue, vt ratio, & confirmatio nuper factæ concludunt. Obseruandum tamen est contra Rubium in præsenti, quod licet partes proportionales augeantur ad augmentum totius; nihilominus prædicta augmentatio non conuenit eis immediatè, & per se adhuc in ratione partium, sed tantum mediatè, & ratione partium aliquotarum. Et fundamentum est quia partes eo proportionali modo mouentur, quo existunt; constat autem, quod partes proportionales non habent esse per se adhuc in ratione partium; sed solum existunt indeterminate confuso modo, & ratione partium aliquotarum, vt diximus *in lib. Physicor. disp. 23. quæst. 3.* ergo eodem proportionali modo debent augeri, videlicet mediate, & ratione partium aliquotarum.

Confirmatur: nam ideo partes sensibiles, seu aliquotæ queunt immediate, & per se primo in ratione partium augeri, quia quælibet earum habet suum porum, per quem attrahat alimentum ad se: at non quælibet pars proportionalis habet porum, alias viuens tot poros haberet, quot partes proportionales, subindeque totum resolueretur in poros: & omnia corpora essent æqualiter porosa, quod est absurdum; ergo licet omnes partes viuentis, eo aucto, augentur; nihilominus prædictum augmentum conuenit partibus aliquotis immediatè, & per se, proportionalibus verò solum mediatè, & ratione partium aliquotarum. Quod satis aperte indicarunt Aristot. & D. Thom. dum partium aliquotarum expresse meminerunt, non autem proportionalium, vt videre est *in hoc lib. textu. 33. & 35. lect. 15.*

8 Nec refert si obijcias: quoniam partes aliquotæ non sunt secundum se totas immediatæ alimento, quod per poros attrahunt;

sed tantum per extremitates, & partes minores, & minores quæ proculdubio sunt proportionales: ergo istæ sicut immediatius sunt contiguæ alimento, ita immediatius, & primario debent augeri. ¶ Et confirmatur: quia augmentatio, sicut & quilibet alius motus continuus, fluit per partes proportionales, minores videlicet, & minores: ergo pariter res quæ augetur, debet augeri secundum eandem proportionem, nimirum per partes minores, & minores: ergo augmentum prius & immediatius conuenit partibus proportionalibus, quam aliquotis.

Non, inquam, hæc referunt: respondetur enim ad obiectionem negando consequentiam: quia pars aliquota sicut intra lineam partis habet *esse* determinatum, & gaudet poro; sic debet per se augeri, quod ob oppositam rationem parti proportionali denegandum est. Porrò quod inter partem aliquotam, & alimentum mediet pars proportionalis, non tollit quod illa augeatur per prius, principalius, ac immediatius quam hæc: quoniam proportionalis non mediat vt aliquid habens porum, & *esse* determinatum, ac proinde vt capax augmenti per se & ratione sui; sed vt aliquid pertinens ad partem aliquotam, illique deseruiens: quamobrem non impedit, quod hæc augeatur per se, & immediatius. Nec sequitur partem proportionalem augeri præcise, per iuxta positionem; licet careat poro: augetur quippe per intus sumptionem, quatenus augmentatio, quæ primario exercetur in partibus aliquotis, extenditur secundario ad proportionales, vt ad aliquid incluſum in aliquotis, & ad eas intrinsecè pertinens.

Vnde ad confirmationem concesso antecedenti, negatur consequentia: & ratio disparitatis est perspicua, quia partes motus non petunt habere poros; & aliàs partes proportionales sunt immediatiores indiuisibilibus, seu mutatis *esse*, per quæ existunt, quam partes aliquotæ: & ideo motus prius fluit per partes proportionales, quam per aliquotas. Res autem, quæ augetur, petit habere poros; & cum ij inueniantur in partibus aliquotis, secus verò in proportionalibus: idcirco augmentum potiori iure conuenit illis, quam istis.

§. II.

Satisfit aliquibus obiectionibus.

9 VEritatem communis sententiæ sequentes difficultates videntur obnubilare. Primo: quia si viuens augeretur secundum omnes partes, æqualiter secundum omnes extenderetur, seu porrigeretur, vt ex se constare videtur; consequens est euidenter falsum, vt patet in homine qui habet maiorem longitudinem, quàm latitudinem: ergo non est necessarium augeri quamlibet partem eius, quod augetur. ¶ Confirmatur primo: quia vngues & capilli augentur, etiam postquam cessat augmentum aliarum partium; è contra verò palpebræ parum, aut nihil augentur: ergo signum est, quod non omnes partes viuentis augentur ad augmentum

tum illius. ¶ Confirmatur secundo: quia spadones habent brachia, & crura satis magna; caput autem valde paruum: quod stare non posset, si eius, quod augetur, quælibet pars deberet augeri.

Respondetur obiectioni negando sequelam: quoniam virtus augmentariua imitatur virtutem formatiuam corporis, illiusque sequitur ductum: vnde cum hæc à principio formet humanum corpus magis longum, quam latum (id quippè expoſcit recta disposition illius) propterea in augmento eadem determinatio, ac proportio seruanda est, quamvis omnes partes simul augeantur. ¶ Ad primam confirmationem, respondetur, quod cum asserimus eius, quod augetur quamlibet partem augeri, sermo est de partibus, quæ nondum acquisierunt terminum magnitudinis sibi à natura, præfixum. Palpebræ autem prius, quam aliæ partes, habent quantitatem sibi debitam, & ideo desinunt prius augeri: è conuersò vngues, & capilli postulant plus incrementi, quam aliæ partes; vnde eis cessantibus, adhuc crescunt. Sed priusquam singulæ partes habeant debitam quantitatem, omnes ad augmentum viuentis simul augentur. ¶ Ad secundam dicendum est, quod licet omnes spadonum partes augeantur; attamen minus crescunt secundum caput ob defectum caloris; est enim cerebrum membrum frigidissimum, quod nimia frigiditate concrescit, & arctatur. Dilatantur autem improportionato modo secundum alias partes, eo quod superfluum alimenti, quod in aliis hominibus conuertitur in semen, in illis transit in carnem, & ossa.

10 Secundo difficultatem ingerere videtur, quod vt omnes partes possent ad augmentum viuentis augeri, requirebatur, vt cuiuis extrinsecum alimentum applicaretur: sed hoc nequit fieri absque penetratione, & hæc est naturaliter impossibilis: ergo viuens non augetur secundum omnes partes. Suadetur minor quoad primam partem, in qua sola est difficultas: quoniam alimentum denuò partibus aduenies non potest illis applicari occupando aliquod vacuum, quod præexisteret in eisdem partibus viuentis; cum non detur vacuum in natura: neque applicatur per ruptionem, & diuisionem ipsarum partium; alias sentiretur aliquis dolor: ergo per solam penetrationem posset omnibus viuentis partibus applicari.

Respondetur ex Aristot. 4. *Meteor.* & D. Thom. ibidem *lect.* 12. quod in viuenti reperiuntur pori, qui sunt viæ, & meatus quidam subtilissimi, per quos alimentum, & humores ad diuersas partes deferri queunt. Quorum necessitatem satis euincit sudor è corpore egrediens: qui nisi per istos poros exiret, vel penetraretur cum corpore, vel illud rumperet, ac diuideret, inferretque proinde dolorem: quorum primum repugnat naturaliter, & secundum contradicit experientiæ. Præterquam quod medulla osse durissimo circumsepta minime posset attrahere alimentum; nisi darentur in esse huiusmodi pori, per quos succus deferretur ad il-

lam. Eis autem admissis facile extricatur supra adducta difficultas: nam per ipsos potest sanguis nutrimentalis ad quancumque partem deferri. Nec sequitur, quod ante aduentum alimenti sint vacui, vt obiectio insinuat; sunt enim repleti alio corpore, aut humore valde tenui, & subtili quod, adueniente alimento, facile cedit, egreditur, aut resoluitur.

11 Sed aduersus hanc solutionem oppones primo Aristot. *in hoc lib. text.* 80. & 81. vbi refutat Philosophos ponentes poros, mediis quibus fieret augmentatio: quia iuxta hunc dicendi modum, inquit augmentatio non esset vera augmentatio, sed solum quædam iuxtapositio. *Secundo*: quia inter porum, & porum mediat aliqua pars solida; alias totum viuens resolueretur in poros: ergo huiusmodi pars media, atque centralis non potest augeri, nisi attrahat alimentum per penetrationem, quæ est naturaliter impossibilis. *Tertio*: quia alimentum subintrans porum debet esse maius, quam corpusculum, quo porus prius replebatur; alias non poterit causare augmentum: ergo alimentum non potest intra porum claudi, sed penetrabitur cum illo. *Quarto*; quoniam pori supponuntur repleti alimento, quod primo augmento deseruit, & in substantiam viuentis jam conuersum est: ergo nequeunt præbere locum alimento denuò aduenienti, vt deferri queat ad alias partes magis remotas. Cum enim ex communi quasi officina sanguis nutrimentalis ad omnes viuentis partes atrahendus sit, pori proximiores prius replebuntur prædicto sanguine; viaque proinde oppilabitur, qua alimentum posset ad alias partes deferri.

Hæc tamen facile diluuntur; ad primam enim obiectionem respondetur Aristot. non impugnare Philosophos in eo, quod ponerent poros; sed quia in eorum opinione corpuscula intrantia poros non conuertebantur in substantiam viuentis, sed manebant immutata. Vnde meritò infert in prædicta sententia non dari veram augmentationem; sed tantum quandam iuxtapositionem, & vt sic dicamus, inflationem. Ad *Secundam* dicendum est, quod vt pars medians inter duos poros augeatur per intussumptionem, & absque penetratione, sufficit contineri intra ipsos poros: nam hoc ipso habet alimentum sufficienter sibi applicatum, saltem secundum extremitates; cum ipsi pori pertineant etiam ad prædictam partem. Ad *tertiam* dicimus poros frequenter esse constrictos, & dilatari per alimentum subintrans eo proportionali modo, quo vtres inflantur: vnde queunt recipere alimentum absque vlla penetratione. Maxime, quia humor in eis præexistens cedit alimento superuenienti, vt supra diximus. Ad *quartam* respondemus, quod licet pori aliqui supponantur repleti, & quasi obturati alimento prius accepto; adhuc tamen non impeditur applicatio noui alimenti: quia calor naturalis depascens perpetuo humidum radicale, & partes animalis, efficit

efficit nouos poros, quibus valeat nouum alimentum viuentis partibus applicari. Nec verum est id, quod vltimo additur: nam sanguis nutrimentalis existens in venis per totum corpus ramificatis prius attrahitur à partibus remotioribus, quam sistat in minus distantibus, viamque ad alias partes occludat.

QVÆSTIO III.

Vtrum viuens maneat idem numero toto tempore augmenti, & augeatur per totam vitam.

VNam, & alteram difficultatem sub vna quæstione conjungimus, quia vtriusque resolutio facilior est, vt postulet in diuersis agitari. Claritatis tamen gratia, eas singilatim decidemus.

§. I.

Examinatur prior difficultas.

12 DIcendum est viuens manere idem numero toto tempore augmentationis. Sic docent communiter Philosophi, quibus præluxit Aristot. *in hoc libro text.* 33. & 34. vbi assertionem hanc expressè docet his verbis: *Nam cum quidpiam simpliciter, absolutèque gignitur, aut interit, non permanet: at cum alteratur, aut crescit, decrescitve, quod alteratur, aut incrementa suscipit; id permanet.*

Probatur ratione: quia si viuens, cùm nutritur, & augetur, non maneret idem numero, sed amitteret substantialiter vnitatem, & esse præexistens; nutritio, & augmentatio non differrent à generatione substantiali: consequens est absurdum, & contra communem sententiam Philosophorum: ergo viuens manet idem numero toto tempore augmenti. Sequela est manifesta: quia mutatio, per quam compositum præexistens corrumpitur, & aliud de nouo generatur, nequit non esse generatio substantialis.

Confirmatur: quia nihil potest destrui per id, quo perficitur, vt liquet ex terminis: at viuens perficitur per augmentationem; siquidem per eam consequitur quantitatem necessariam ad exercendas sibi debitas operationes: ergo viuens per augmentationem non amittit vnitatem numericam; sed manet idem toto tempore augmenti. ¶ Ad hæc: nutritio, quam augmentatio præsupponit, ordinatur ex natura sua ad conseruandum viuens in suo esse: ergo implicat, quod per nutritionem destruatur vnitas numerica viuentis; sic enim non conseruaret viuens in suo esse, vt ex se liquet: ergo viuens manet idem numero toto tempore nutritionis, & augmentationis.

13 Obijcies: vnitas numerica sumitur à materia: sed in augmentatione, quamvis maneant partes formales viuentis; partes tamen materiales variantur, & mutantur, vt

docet Aristot. *in hoc libr. text.* 35. ergo viuens non manet idem numero toto tempore augmentationis.

¶ Confirmatur primo: nam entitas rei non distinguitur ab eius partibus simul sumptis: sed tempore augmenti possunt deperdi omnes partes communicatæ viuenti in prima generatione, & succedere aliæ: ergo viuens non manet idem numero.

¶ Confirmatur secundo: quia vt vnitas numerica viuentis substantialiter varietur, satis est, quod plures sint partes, secundum quas fit variatio, quam illæ, quæ remanent ex prima generatione: at hoc contingere potest in augmento viuentis; siquidem viuens fit longè majus in tempore augmenti, quam erat cum primo genitum est: ergo, &c.

Respondetur ex D. Thom. 1. *parte quæstione* 119. *art.* 1. *ad* 2. quod Aristot. nomine partis materialis, & formalis non intellexit materiam, & formam, sed partes integrales viuentis diuerso modo consideratas. Nam caro v. g. potest dupliciter sumi, nempe materialiter, & formaliter: primo modo dicit aliquas portiones substantiæ omnino determinatè, & signatè sumptas, præscindendo ab ordine successionis, & participationis eiusdem *esse*: posteriori autem modo considerata importat portiones eiusdem substantiæ, quatenus imperceptibiliter succedunt, & identificantur intra proprium genus, atque trahuntur ad communicationem eiusdem *esse*, & in eodem supposito. Et quia partes primo modo consideratæ variantur; posteriori vero modo acceptæ continuò, dum animal viuit, persistunt; cùm loco vnius statim, & imperceptibiliter succedat alia: ideircò Aristot. asseruit variari in viuenti partes materiales, secus vero formales. Porrò vnitas numerica rei corruptibilis, (quæ hoc ipso, quod talis sit, debet aliquam variationem in propria entitate admittere; alias ab ente incorruptibili non differret) non desumitur ab eius materia materialiter accepta; sed formaliter considerata: vnde ex priori variatione minime infertur, quod viuens non maneat idem toto tempore augmentationis.

Ex quibus respondetur vtrique confirmationi: primæ quidem, nam tota illa variatio fit in partibus substantiæ materialiter, hoc est, determinate, & signate sumptis; non vero formaliter acceptis, videlicet sub munere succedendi, & participandi idem *esse* per imperceptibilem successionem. Sub hac quippe consideratione, penes quam attenditur vnitas numerica viuentis, semper sunt eædem partes toto tempore augmenti: quia sibi imperceptibiliter succedunt, & participant in *esse*, & in eodem supposito. Secundæ etiam satisfit quia licet partes in quibus fit variatio, excedant eas, quæ viuens per generationem accepit; attamen hæc variatio solum est materialis; siquidem eæ, quæ denuo aduenium, succedunt imperceptibiliter ijs, quæ dilabuntur; & trahuntur ad idem totum, cuius illæ fuerant partes. Videantur, quæ circa similem difficultatem diximus *in lib. Physic. disp.* 19. *qu.* 2.

§. II.

§. II.

Resolutio posterioris difficultatis.

14 Dicendum est secundo augmentationem non durare toto tempore vitæ. Ita Arist. *in hoc libro text.* 41. *& lib.* 3. *de Anima text.* 59. D. Thom. *in eisdem locis, & 2. 2. quæst.* 147. *art.* 4. *ad* 2. quibus communiter subscribunt omnes Philosophi. Probatur ratione primo: quia augmentatio ordinatur ad tribuendum viuenti debitam quantitatem, vt exerceat proprias operationes: sed hanc potest ante finem vitæ conferre: ergo assecuto prædicto fine, cessabit augmentatio, & consequenter non fiet toto tempore vitæ. In quo satis distinguitur augmentatio à nutritione: hæc enim ordinatur ad reparandum illud, quod per calorem naturalem destruitur in viuente: vnde sicut illa destructio durat toto tempore vitæ, ita oportet, quod etiam nutritio eodem tempore duret: & vbi tandem cessat, finitur vita.

15 Probatur secundo: nam augmentatio consequitur illam nutritionem, per quam acquiritur plus substantiæ, quam sit illud, quod vi caloris naturalis dissipatur: ergo vt augmentatio duraret toto tempore vitæ, opus erat, quod huiusmodi nutritio simul etiam duraret: at hæc non continuatur toto vitæ tempore: ergo nec augmentatio. Suadetur minor: quia ad prædictam nutritionem requiritur, quod virtus conuersiua sit valde vigorosa: sed hæc continuo fit debilior, tùm quia omne agens in agendo repatitur, vt patet in gladio, qui continuo scindendo tandem hebescit. Tum quia prædicta virtus fundatur in humido, & calido debite proportionatis, & admixtis; quod temperamentum in dies langueſcit ob continuam actionem caloris in humidum, eo plane modo, quo oleum, ex quo alitur ignis, eius actiuitate consumitur: ergo nutritio, per quam acquiratur plus substantiæ, quam sit illud, quod vi caloris naturalis deperditur, nequit durare toto tempore vitæ.

Confirmatur: quoniam ea substantia, quæ per nutritionem acquiritur, est aliquo modo extranea respectu substantiæ per generationem acquisitæ: sed extraneum mixtum cum alio reddit debiliorem virtutem illius, vt docet Arist. 1 *de Generat. cap.* 5. & patet in vino, quod redditur debilius per admixtionem aquæ, licet illam in se conuertat: ergo virtus nutritiua fit continuo debilior, ac proinde non poterit conuertere perpetuo plus substantiæ, quam deperdatur per calorem naturalem, neque inferre viuentis augmentationem. Minor, & consequentia liquent. Major autem solum indiget declarationne: etenim illud, quod non participat perfectè speciem viuentis, est aliquo modo extraneum respectu eius, quod illam sic consequitur; cum sit ei aliqualiter dissimile. Substantia autem per generationem communicata est fundamentum totius viuentis, ac proinde debet esse optime dispositа per humidum, & calidum,

dum, & conſequi perfecte ſpeciem viuentis. Illa vero, quæ per nutritionem comparatur, nequit ob oppoſitam rationem participare ita perfecte ſpeciem viuentis; ſed ſe habet vt quoddam illius additamentum. Quamobrem opus eſt, vt comparetur tanquam quid extraneum reſpectu ſubſtantiæ præexiſtentis. Maximè quia quanto magis extenditur anima tanto eius virtus redditur debilior, vt patet in corde, quod quo majus eſt eo eſt minus calidum: & ideo animalia magni cordis ſunt naturaliter timida ex Ariſtot. *lib.* 13. de partibus animalium: ergo id, quod per nouam animæ diffuſionem, ſeu extenſionem acquiritur, non participat ita perfecte naturam viuentis ſicut illud, quod per generationem primo comparatum eſt.

16 Inquires, quod temporis ſpatium viuentibus pro augmento deſignandum ſit? Reſpondetur non poſſe idem tempus pro omnibus viuentibus deſignari; cum hoc dependeat ex vniuſcuiuſque propria conditione: quod impoſſibile, vel ſaltem impertinens eſſet, in præſenti pro ſingulis inueſtigare. Homo autem, omnium viuentium corporalium princeps, regulariter loquendo augetur vſque ad finem tertij ſeptennij, videlicet vſque ad vigeſimum primum annum completum, vel vt aliqui volunt, vſque ad vigeſimum quintum. Quoniam in hoc tempore calor naturalis eſt valde vigoroſus, atque ideo plus ſubſtantiæ alimenti conuertit in ſubſtantiam alti, quam defluat ex eodem alito: Tempus vero ſtatus, ſeu conſeruationis eſt vſque ad quadrageſimum: ſecundum, vel iuxta alios vſque ad quinquageſimum: tunc enim calor naturalis eſt in quadam temperie, hoc eſt non ita vigoroſus ſicut prius, nec tamen valde remiſſus. Tempus denique decrementi eſt ab hoc tempore vſque ad finem vitæ: quia tunc vis nutritiua tepeſcit, & continuo fit remiſſior, & tandem perit. De quo videndus eſt D. Thom. *loco ſupra citato ex* 2.2. Determinat autem Ariſtot. *in libr. de generatione animalium, cap.* 18. quod homo in anno quinto ſuæ ætatis ſolet habere dimidium magnitudinis, quam poſtea comparaturus eſt per quod venari valemus magnitudinem, quam pueri in majori ætate habituri ſunt.

§. III.

Objectiones contra ſecundam concluſionem.

17 PLura tamen hic ſeſe offerunt, quæ tam aſſertionem, quam rationes pro illa factas labefactare videntur; quibus proinde oportet occurrere. Igitur obijcies primo: nam plures homines poſt quadrageſimum ſecundum, vel etiam poſt quinquageſimum annum valde pingueſcunt; ac proinde acquirunt majorem quantitatem, per quam augeantur: ergo augmentum hominis, & idem eſt de aliis viuentibus, nullum ſibi durationis præfigit terminum, ſed poteſt toto tempore vitæ durare. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: quia ad augmentum ſimpliciter dictum requiritur, quod corpus fiat majus

majus secundum longitudinem: vnde quod pingueſcat, & fiat majus ſecundum alias dimenſiones, ſolùm arguit augmentum ſecundum quid, de quo in præſenti non diſputamus.

8 Secundo obijcies: nam ſæpè generans paruum, & debile adjutum concurſu benigno cœleſtium corporum generat aliud viuens fortius, & perfectius: ergo poterit ex concomitantia eiuſdem influxus comparare media nutritione ſubſtantiam ita bene diſpoſitam, & participantem ſuam ſpeciem, ac erat illa, quæ ei per generationem communicata fuit; ac proinde non eſt, cur ex hoc capite debeat augmentatio certo tempore ceſſare.

Reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quod in generatione producitur noua forma; in nutritione autem extenditur. Vnde fit quod in generatione forma explicet ſuam virtutem, & adjuta benigno influxu cœlorum, vel aliarum cauſarum conſtituat compoſitum fortius, ac perfectius, quam ſit generans proximum. At in nutritione virtutem jam explicatam magis, ac magis diffundit; ac proinde imperfectius informat, & radicat virtutem debiliorem. Quamobrem, etſi adjuuetur benigno concurſu cœlorum, nequit informare materiam communicando ei ſpeciem ita perfecte ſicut in prima generatione: & conſequenter id, quod acquiritur per nutritionem, habet rationem extranei, & debilitat ſubſtantiam præexiſtentem.

19 Sed replicabis: quoniam anima ſatis diffunditur per corpus ante tē-pus, in quo debita quantitas vltimo comparatur: & tamen non ob id debilitatur vis caloris naturalis, ſed potius decoquit optime alimentum, vt in viuentibus ſatis apparet: ergo non recte colligimus animam debilitari ex eo, quod diffundatur. ¶ Confirmatur: nam ex oppoſito fieret, quod infans recens natus haberet calorem vigoroſiorem, quam ipſemet in ſtatu adoleſcentiæ: conſequēs eſt euidenter falſum; ſiquidem tunc nequit concoquere cibos ſolidos, quibus poſtea paſcitur: ergo &c.

Reſpondetur ad replicam negando minorem, quam non euincit inſerta probatio: quoniam quod juuenis bene decoquat cibos, non probat ipſum habere calorem intenſiorem, vel æque intenſum ſicut à principio habebat; eſt enim remiſſior vt hactenus dictum eſt. Cæterum quia calor juuenis, etſi aliquantulum remiſſior, reſidet in mēbris magis conſolidatis, poteſt producere effectum perfectiorem, & quem prius, licet intenſior eſſet non poterat producere, eò quod reſidebat in minori materia, & non ita robuſta. Solet quippe ad ſimiles effectus non parum conducere multitudo, & denſitas materiæ, vt apparet exemplo: nam aër medius inter ſolem, & parietem eſt magis calidus, quam paries; & tamen manus magis ſentit calorem parietis, quam aëris, non alia ratione, niſi quia paries eſt magis denſus, & ſolidus, quam aër. ¶ Vnde ſoluta manet confirmatio: nam quod infans nequeat decoquere cibos ſolidos, non prouenit ex defectu caloris, quem habet valde intenſum; ſed ex defectu ſolidationis mem-

membrorũ, & organi ad decoctioné deseruientis. Et ideo si aliqua arte prædictus cibus illi applicaretur, obrueret proculdubio virtutem eius: sicut strues magna lignorum extinguit, & suffocat ignem paruum; quamvis istius virtus sit valde intẽsa.

20 Neque hinc inferas posse calorem naturalem, & multitudinem materiæ ita attemperari, vt licet transacto tempore, quod à nobis pro augmentatione designatur, non valeret homo v. g. augeri ratione caloris præcisiue sumpti; augeretur tamen per illum vt affixum materiæ valde solidæ, & densæ, qualis solet post vigesimum quintum annum communiter inueniri: nam quod in calore deest intensionis, poterit suppleri per robustam densitatem materiæ; atque ideo non erit, cur cesset augmentum. ¶ Non inquam, hoc recte infertur: quia multitudo, vel densitas materiæ solum conducit ad hoc, vt virtus operatiua exerceat facilius, & citius propriam operationem intra latitudinem intensionis sibi correspondentis. Potest autem contingere, quod per additionem materiæ extraneæ virtus præexistens reddatur paulatim debilior, & tandem reddatur inepta ad exercendam propriam operationem; quin illi prosit multitudo, aut densitas materiæ. Et ita contingit in nutritione: nam cum omne agens naturale in agendo repatiatur; ita vis nutritiua comparat nouam materiam, vt nihilominus reddatur in se debilior, tantumque potest in hoc laborare, vt tandem deficiat: & ita contingit de facto, vt dictum est.

21 Tertio obijcies: nam ignis per hoc, quod conuertat in se plura ligna, non redditur impotentior ad agendum; imo vero fit actiuior, quò magis augetur: ergo viuens per conuersionem alimenti in propriam substantiam, fiet potentior vt nouam, & majorem substantiam sibi comparet; ac proinde non est necessarium quod illius augmentum cesset.

Respondetur omisso antecedenti, negando consequentiam: & disparitas consistit in eo, quod calor vt octo est proprietas ignis, & ideo quoties nouus ignis generatur, vel aggeneratur, toties resultat nouus calor vt octo: qui licet aliquando ab agente contrario patiatur; attamen seclusis illo, & aliis, statim recuperat omnem intensionem, quia est proprietas ignis. Vnde mirum non est, quod ignis per continuam lignorum combustionem non reddatur impotentior. Cæterum calor naturalis viuentis non est proprietas illius secundum illam intensionem, quam habuit vbi primo productus est: quocircà non recuperat pristinam perfectionem si semel illam amittit. Illam autem continuò deperdit, vt supra ostendimus: quare continuò langueſcit, & tandẽ perit.

22 Quarto obijcies: nam quò alimentum est nobilius, eò facilius concoquitur, & conuertitur in substantiam aliti: sed in ætate virili, aut senili potest quis vesci alimento nobiliori, quam in iuuenili ætate: ergo sicut in juuenili augetur, ita, & melius poterit in virili, atque senili augeri. ¶ Respondetur majorem solum verificari, si cætera sint paria: quod

quod in præsenti neutiquam contingit: nam virtus in ætate senili jam est satis debilis, & languida: vnde non potest acquirere plus substantiæ quam sit illud, quod viuens amittit: quamvis nobilitas, & perfectio ciborum conducat vt alimentum facilius coquatur, & ne viuens ita citò pereat, sed queat amplius viuere.

25 Vltimo oppones: quia vt detur augmentatio, sufficit, quod in termino ad *quem* motus, habeat viuens majorem quantitatem, quam habebat in termino à *quo*, vt ex se constare videtur: sed hoc conuenit viuenti toto tempore vitæ: ergo omni hoc tempore augetur. Suadetur minor: quoniam toto tempore vitæ durat nutritio: sed in nutritione acquiritur noua quantitas, sicut & noua substantia: ergo in termino ad *quem* dictæ mutationis dabitur aliqua quantitas, quæ non erat in termino à *quo*; ac proinde viuens habebit majorem quantitatem.

Respondetur negando minorem: quia licet in termino ad *quem* detur aliqua noua quantitas; hæc tamen non est major illa, quam viuens habebat in termino *à quo* sed est minor ad illam comparata. Quoniam in eodem tempore, in quo senex v. g. acquirit nonnihil substantiæ, & quantitatis, in eodem, inquam, amittit plures portiones cùm substantiæ, cùm quantitatis, quas antea habebat. Quamobrem in fine dictæ nutritionis, attentis omnibus, non inuenitur major, sed minor, & imperfectior.

In fine huius disputationis obseruandum est ea, quæ hactenus de augmentatione viuentium diximus, fore proportionabiliter eorum diminutioni applicanda: quapropter non instituimus pro ea peculiarem disputationem.

DISPVTATIO VII.

De Condensatione, & Rarefactione.

NOn minima similitudo reperitur inter augmentationem, & diminutionem ex vna parte, & rarefactionem, ac condensationem ex alia. Quod in causa est, vt Interpretes post præcedentem disputationem præsentem communiter instituant: quibus morem gerentes, quæ ad hanc materiam spectant, breuiter elucidare curabimus.

QVÆSTIO vnica.

Quid sint rarefactio, & condensatio?

POssibilitatem, & existentiam harum mutationum, & attestatur commune placitum Philosophorum cum eorum principe Aristot. *in hoc lib. c. 5.* & satis euincit apertum experimentum; cum videamus aquam v. g. condensari, & rarefieri. Vnde superuacaneum foret in hoc ostendendo immorari. At non ita peruium est explicare, in quonam essentia rarefactionis, & condensationis consistat: sed pluribus difficultatibus obnoxium est. Quas vt perspicue extricemus, supponendum est rarefactionem, & condensationem esse motus rigorosos, successiuos, & continuos, de quibus egimus *in lib. Phys.* Et ratio est: quoniam raritas, & densitas habent omnes conditiones, quæ ad terminandum motum rigorosum desiderantur; cum sint entia positiua, & habeant inter se contrarietatem fundêtque proinde latitudinem successiue percurrendam: vnde rarefactio & condensatio ad ipsas terminatæ nequeunt non conditionem rigorosi motus sortiri. Id, quod communiter admittunt, & supponũt Interpretes nec indiget examine prolixiori.

Porro quidditas cuiuscumque motus per habitudinem ad illius terminum primarium ad *quem* venari debet; ab eo quippe speciem, & vnitatem deriuat, vt ostendemus *in lib. Physicor. disp. 22. qu. 1.* Et hac ratione Doctores reuocant omnes motus ad tria genera, quæ sunt augmentatio, alteratio, & vbi: quia tria prædicamenta inueniuntur apta ad terminandum motum, nempe quantitas, qualitas, & vbi. Quamobrem optima erit via ad inuestigandum essentiam rarefactionis, & condensationis statuere terminos harum mutationum: ijs siquidem designatis, facile quiuis poterit illas in genere, & specie propriis constituere, atque ideo cognoscere earum quidditatem. Quod §. *sequenti* præstare curabimus: claritatis tamen gratia, & ne eandem doctrinam inculcemus, de rarefactione specialis nobis cura erit; quidquid autem de ea dictum fuerit; debet condensationi proportionabiliter applicari.

§. I.

Aliquæ assertiones pro veritatis resolutione.

1 DIcendum est primo rarefactionem non esse motum terminatum per se primo ad *vbi*, vel extensionem localem. Ita omnes Doctores *numero* 5. referendi. Probatur ratione efficaci: quia rarefactio terminatur per se primo ad raritatem, vt omnes in hac difficultate admittunt, & supponunt: sed raritas non est *vbi*, siue præsentia localis, neque est extensio in ordine ad locum: ad hæc igitur non

non terminatur per se primo motus rarefactionis. Minor ostenditur, tum quia si darentur duo vasa æqualia, quorum vnum esset plenum aqua congelata, & aliud aqua rarefacta; tunc vtraque aqua haberet æqualem præsentiam localem: & tamen non haberent æqualem raritatem, vt liquet ex terminis: ergo raritas non est præsentia localis, neque extensio in ordine ad locum. Tum etiam, quia Christus Dominus in Eucharistia existens habet in quibusdam partibus, vtputa in sanguine raritatem, quæ ad debitam organizationem desideratur: & tamen ibi non habet præsentiam vel extensionem localem, vt tradunt communiter Theologi: ergo manifestum signum est, quod raritas non consistit essentialiter in extensione, vel præsentia locali.

2 Dicendum est secundo rarefactionem non terminari ad quantitatem totalem, & maiorem, quæ, deperdita antiqua minori, de nouo producatur, Ita sentiunt communiter Philosophi, quos proinde opus non est in particulari referre. Fundamentum est: quoniam nihil potest corrumpi nisi vel ad corruptionem subiecti, vel defectu causæ conseruantis, vel per actionem contrarij, vel tandem ob absentiam termini per se petiti: at nullo ex iis modis queit in rarefactione quantitas præexistens corrumpi: ergo rarefactio non fit per hoc, quod quantitas antiqua minor destruatur, & alia noua producatur. Suadetur minor quoad omnes partes: nam in primis non perit quantitas antiqua ad corruptionem subiecti; alias rarefactio non esset motus accidentalis, sed transmutatio quædam substantialis. Neque defectu causæ conseruantis; siquidem causa conseruans subiectum sufficit ad conseruandam eius quantitatem. Neque per actionem contrarij; quoniam quantitati absolute, & secundum entitatem sumptæ nihil est contrarium, licet secundum tantitatem seu terminationem contrarientur quantitas maior, & minor; & consequenter licet quantitas in rarefactione pereat quoad terminationem; non tamen quantum ad entitatem. Nec tandem corrumpitur ob absentiam alicuius termini, àquo specificetur, & dependeat essentialiter; cum quantitas sit accidens omnino absolutum. Ergo in rarefactione nequit quantitas antiqua corrumpi absolute, & secundum entitatem.

Confirmatur: quoniam, pereunte quantitate, pereunt omnes dispositiones, quæ ad conseruationem totius suppositi concurrunt; omnes quippè recipiuntur, & conseruantur media quantitate, quæ est ratio recipiendi alia accidentia corporea: sed destructis omnibus dispositionibus, necessum est, quod substantia, naturaliter loquendo, pereat: ergo si rarefactio produceret nouam quantitatem totalem, destruendo antiquã, jam quælibet rarefactio induceret transmutationem substantialem: consequens est aperte falsum; cum euidenter videamus ceram non corrumpi per hoc, quod aliquantulum rarefiat: ergo rarefactio non terminatur

ad quantitatem totalem denuo productam. Quod à fortiori constabit ex dicendis *conclusione sequenti.*

3 Dicendum est tertio rarefactionem non terminari per se primo ad nouam partem quantitatis. Ita D. Augustin. *cap.* 1. *Categ.* D. Damascenus *cap.* 12 *suæ Physicæ* B. Albertus *in prædicamento quantitatis*, & alij plures, quos dabimus *num.* 5. Estque expressa sententia Arist. 4. *Physic. text.* 84. cuius sensum exprimit, & illustrat. D Thom ibidem dicens: *Magnitudo, & paruitas sensibilis corporis non extenditur, vel ampliatur rarefactione, vel condensatione per hoc, quod materia aliquid superadditum recipiat, sed quia materia, quæ prius erat in potentia magnum, & paruum, transmutatur de vno ad alterum. Et ideo rarum, & densum non fit per additionem partium subintrantium, vel per subtractionem earundem, sed per hoc quod vna est materia rari, & densi.*

Probatur primo ratione fundamentali: quoniam repugnat, quod detur noua pars quantitatis absque noua parte materiæ: sed potest fieri rarefactio absque additione partis materiæ: ergo absque noua parte quantitatis; & consequenter rarefactio non terminabitur ad illam. Consequentia liquet. Minor etiam constat: nam ex sola materia aëris & absque alterius materiæ additione potest generari ignis, qui est corpus magis rarum, quam aër: ergo ad productionem raritatis non est necesse, vt addatur noua portio materiæ. Maior autem suadetur: nam si produceretur noua pars quantitatis absque productione, vel additione partis materiæ, vel illa pars quantitatis reciperetur in materia informata per aliam quantitatem; vel in materia, quæ præexisteret absque quantitate? Si primum; jam duæ illæ quantitates penetrarentur. Si secundum: aliqua materia supponeretur nuda ab omni accidenti: quorum vtrumque est naturaliter incompossibile. Repugnat ergo productio nouæ partis quantitatis absque productione, vel additione nouæ partis materiæ.

Confirmatur, & explicatur primo: nam tota materia aëris redditur sufficienter extensa per quantitatem ipsius aëris; nulla siquidem est pars in tali materia, quæ per illam quantitatem non extendatur: ergo repugnat, quod prædicta materia recipiat nouam partem quantitatis absque additione alicuius partis materiæ: alias non supponeretur adæquatè extensa secundum suam capacitatem; siquidem posset plures partes suscipere. ¶ Confirmatur, & explicatur secundo: quia licet materia prima non habeat partes actu, & formaliter distinctas in genere substantiæ; habet tamen partes potentiales: inter quas, & partes actuales quantitatis, tanta inuenitur commensuratio, vt partes actuales quantitatis non excedant partes potentiales materiæ, neque è conuerso: ergo impossibile est, quod addatur noua pars quantitatis absque noua parte materiæ. Patet consequentia: nam alias vel antea partes potentiales materiæ excederent partes actuales quantitatis; vel postea partes actuales quantitatis excederent partes potentiales subiecti: & consequenter non seruarent

rent debitam commensurationem.

4 Secundo probatur eadem conclusio ratione: nam si terminus formalis rarefactionis, esset noua pars quantitatis, sequeretur rarefactionem non esse motum essentialiter diuersum ab augmentatione: consequens est falsum: ergo &c. Probatur minor: quoniam augmentatio semper est coniuncta cum nutritione, seu productione nouæ substantiæ partialis, vt constat ex dictis *disp. præced.* rarefactio autem queit optime fieri absque nutritione, aut productione substantiæ, vt liquet ex nuper dictis: ergo nequeunt non essentialiter distingui. Sequela etiam ostenditur: quia terminus formalis augmentationis est noua quantitas, seu quantitas maior: ergo si rarefactio terminaretur per se primo ad nouam partem quantitatis, non posset essentialiter distingui ab augmentatione.

§. II.

Decisio difficultatis iuxta mentem D. Thomæ.

5 Dicendum est quarto rarefactionem esse motum terminatum per se primo ad quandam qualitatem, nempe ad raritatem; & consequenter esse veram alterationem. Hæc conclusio respondet directe quæstioni: & illius secunda pars liquido ex prima deducitur: nam verus motus terminatus ad qualitatem, nequit non veræ alterationis quidditate gaudere, vt supra obseruauimus in introductione quæstionis. Vtramque autem docet expresse Angelicus Præceptor pluribus in locis, & præcipue *in hoc lib. lect.* 14. his verbis: *Si aër rarefiat, vel condensetur, talis transmutatio non potest proprie dici augmentum, sed alteratio: fit enim secundum transmutationem passibilium qualitatum, scilicet rari, & densi.* Et 3. *p. quæst.* 77. *art.* 2. *ad* 3. inquit: *Rarum; & densum sunt quædam qualitates consequentes corpora ex hoc quod habent multum, vel parum de materia sub dimensionibus &c.* Vnde hanc sententiam amplectuntur Capreolus *in* 2. *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 3. Bañez in præsenti, Sonzinas 8. *Metaph. quæst.* 27. & alij Thomistæ, quibus consentiunt communiter Philosophi.

Probatur primo: quia rarefactio non terminatur per se primo ad quantitatem, vel vbi, vt constat ex dictis §. *præced.* ergo terminatur ad qualitatem. Probatur consequentia: tum quia omnis verus motus qualis est rarefactio solum terminatur ad tria prædicamenta, nempe ad quantitatem, qualitatem, & vbi: ergo si rarefactio non terminatur ad quantitatem, & vbi; opus est, vt terminetur ad qualitatem. Tum etiam quia euidens est rarefactionem non terminari per se primo ad substantiam, vel relationem, vel ad alia prædicamenta: ergo à sufficiente terminorum enumeratione, & exclusione, recte infertur, quod terminatur ad qualitatem.

6 Deinde suadetur assertio ratione à priori: quoniam raritas est vera qualitas: sed rarefactio terminatur per se primo ad raritatem: ergo est motus terminatus per se primo ad qualitatem, ac proinde vera alteratio.

Probatur

Probatur maior : quia accidentia, quæ per se primo causant passionem in sensu pertinent ad tertiam speciem qualitatis, scilicet passionem, vel passibilem qualitatem vt statuimus *in Logica disp.* 15. *quæst.* 4. & hac ratione calor, & frigiditas in prædicto prædicamento, & specie constituuntur : sed raritas immutat per se primo sensum ; percipitur enim per tactum non minus, quam calor, & frigiditas : ergo raritas est vera qualitas.

7 Ex quibus infertur primo effectum formalem primarium raritatis non esse maiorem præsentiam localem, aut maiorem extensionem in ordine ad locum. Et ratio est manifesta : quoniam effectus formalis primarius importat in recto ipsam formam : & ab ea non distinguitur distinctione excludentis, & exclusi: at *vbi* & extensio in ordine ad locum distinguuntur omnino à qualitate, & pertinent ad diuersa prædicamenta : ergo nequeunt esse effectus formalis primarius raritatis, quæ qualitas quædam est. ¶ Infertur secundo, quod *rarum*, vt rarum est, non dicit formaliter, & in recto extensionem, aut vbi : quoniam concretum, & abstractum non differunt ex parte eius, quod in recto significant, vt statuimus *in Logica disp.* 5. *quæst.* 1 at *raritas* non est extensio, aut vbi ; sed qualitas : ergo rarum non importat pro formali, & in recto quantitatem, extensionem localem, aut vbi ; sed qualitatem.

8 Sequitur tertio illam maiorem extensionem localem, quæ naturaliter loquendo raritatem & consequitur, & comitatur non esse effectum illius in genere causæ formalis ; sed in genere causæ dispositiuæ. Nam cum extensio in ordine ad locum sit proprietas consequens extensionem in ordine ad se, in qua consistit quidditas quantitatis, nequit formaliter communicari nisi ab ipsa quantitate ; cuius proinde, & non alterius accidentis erit effectus formalis. Cæterum quia raritas ita afficit partes quantitatis, vt absque additione entitatis queant occupare locum maiorem : idcirco maior extensio localis prouenit à raritate in genere causæ dispositiuæ. Frequenter enim eadem forma nobiliori modo dispositа communicat præstantiorem effectum : qui à forma in genere causæ formalis ; à dispositione verò in genere causæ dispositiuæ dependet. Sic enim esse subiectum *magis calidum* est à calore tanquam à forma ; & à modo radicationis caloris superaddito velut à dispositione. Et similiter forma substantialis eadem existens queit communicare effectum substantialem perfectiorem ; si nobilioribus accidentibus disponatur materia ad participationem prædicti effectus. Hoc ergo pacto licet extensio, aut occupatio loci sit proprietas, & effectus formalis quantitatis, potest tamen in genere causæ dispositiuæ prouenire à raritate : quia ita hæc quantitatem afficit, & disponit, vt absque additione nouarum partium occupet maiorem locum. Et quia hic effectus raritatis est nobis valde notus, effectus autem primarius illius non ita sensibiliter apparet : propterea raritatis essentiam per effectum occupandi

maiorem

maiorem locum communiter circumloquimur, definimus, & explicamus.

9 Vnde colligitur quarto recta intelligentia definitionum, quibus Aristot. 4. *Physic. text.* 84. *rarum, & densum* explicuit. Sunt autem huiusmodi: *Rarum est, quod sub magnis dimensionibus parum continet materiæ. Densum est, quod sub paruis dimensionibus multum continet materiæ.* Quarum sensus non est, quod rarum, v. g. sub magna quantitate, vel sub pluribus partibus quãtitatis cõtineat paruam, vt sic dicamus materiam, vel pauciores partes illius: id quippe repugnat; cum inter partes potentiales substantiæ, & partes actuales quantitatis debeat commensuratio, & proportio reperiri. Sed legitima expositio est, rarum ita per qualitatem esse dispositum vt sub magna extensione locali contineat parum materiæ, & quantitatis. Posset autem facilius, & apertius exponi quidditas raritatis dicendo: *Raritas est qualitas ita disponens quantitatem, vt eadem entitatiuè existens occupet maiorem locum.* Oportet verò siue raritas sumatur in abstracto, siue in concreto, illam definiri per prædictum effectum: quia effectus primarius latet nos, & ideo illum circumloquimur per secundarium.

10 Dices primo: Aristot. *in 3. de Cælo cap. 1. text. 10.* definit rarum, & densum his verbis: *Est autem spissum à raro differens, eo quod in æquali mole id est, sub eisdem dimensionibus plura existant; quia plus habet de materia*; vt apparet in ferro digitali, quod continet plus materiæ, quam flamma digitalis, quamvis habeant easdem dimensiones. Atqui habere multum, vel parum materiæ sub eisdem dimensionibus non est idem, ac habere parum, vel multum materiæ sub maiori, vel minori mole, vt liquet ex terminis: ergo hæc & supra adducta definitio sibi contradicunt: atque ideo nequit non vna esse defectuosa.

Respondetur negando consequentiam: nam hoc ipso, quod raritas disponat quantitatem ad occupandum maiorem locum, & densitas vt constringatur ad minorem; jam illa duo, quæ tangit obiectio, facile componuntur, & ex eadem radice proueniunt. Si enim sub eadem extensione locali habeat ferrum digitale multum materiæ, & flamma digitalis parum; optime etiam sequitur, quod ferrum illud, sub paruis dimensionibus habeat multum materiæ, & ea flamma sub magnis contineat paruam. Nam extensio localis ferri, si comparatur ad materiam, quam continet est parua dimensio: & extensio localis flammæ relata ad propriam materiam est satis magna. Itaque, si extensiones locales ferri digitalis, & flammæ digitalis inter se comparentur, æquales sunt, nempe vnius digiti: si verò referantur ad subiecta, dimensio ferri est parua, quia refertur ad magnam materiam; dimensio autem flammæ dicitur magna, quia materiæ paruæ comparatur: in quo nulla apparet contradictio. Vnde merito Philosophus vno, & altero modo explicuit rarum, & densum, quò facilius vtriusque ratio nobis innotesceret.

11 Dices secundo inter subiectum, & proprietatem illius commensuratio seruanda est: at quantitas est proprietas materiæ: ergo repugnat, quod sub magna quantitate detur parua materia; vel quod sub parua detur magna: ergo non recte definitur rarum per hoc, quod habeat paruam materiam sub magnis dimensionibus; nec densum per habere sub paruis dimensionibus materiam magnam.

Respondetur nomen dimensionis bifariam accipi: nam aliquando sumitur pro quantitate entitatiue considerata; aliquando verò pro extensione in ordine ad locum, quæ consequitur quantitatem. Si ergo de dimensione priori modo accepta loquamur, omnimoda commensuratio inter illam, & materiam, cuius est proprietas, seruanda est: & ideo partes actuales quantitatis non excedunt partes potentiales materiæ. Si verò sermo sit de dimensione posteriori modo sumpta, optime fieri potest, vt crescat absque additione materiæ, vel partium quantitatis: quoniam conuenit subiecto quatenus affecto, & disposito per raritatem: vnde si magis ac magis rarefiat, magis, & magis extendetur in ordine ad locum. In explicatione autem rari, & densi ly *sub magnis, vel paruis dimensionibus &c.* procedit de dimensione posteriori modo considerata: vnde nullo vitio prædictæ definitiones laborant.

§. III.

Diluuntur aduersæ opinionis argumenta.

12 VArij sunt dicendi modi, qui in expositione rarefactionis exorbitarunt à vera D. Th. sententia, quam hactenus explicuimus. Omnes tamen in eo conspirant, vt terminus primarius rarefactionis non sit qualitas, sed aliquid de genere quantitatis. Ita Scotus *in 4. dist. 12. quæst. 4.* Masil. 1. *de Generat. qu. 15.* Burindanus 4. *Physicor. text. 84.* Toletus ibidem *quæst. 11.* & alij.

Probatur primo ex Aristot. 4. *Physic. text. 84.* vbi asserit rarefactionem fieri per hoc, quod magna dimensio, quæ erat prius in potentia, fiat in actu: ergo terminus rarefactionis est magna dimensio: sed hæc est pro formali de genere quantitatis: ergo quantitas est terminus formalis rarefactionis. Quod satis expressit D. Thom. ibidem *lect. 14.* his verbis: *Condensatio, & rarefactio fit per hoc, quod materia earumdem partium accipit nunc maiorem, nunc minorem quantitatem, vt sic rarefieri nihil aliud sit, quam materiam recipere maiores dimensiones &c.* ¶ Confirmatur: quia *rarum*, secundum Philosophum, est, *quod sub magnis dimensionibus parum continet materiæ*: sed rarefactio terminatur per se primo ad rarum: ergo terminatur per se primo ad ipsas dimensiones magnas, per quas rarum formaliter constituitur. Maxime cum in prædicta definitione nulla fiat mētio qualitatis: quod proculdubio non

non contingeret citra vitium, si qualitas terminaret primario rarefactionem, & constitueret formaliter rarum.

Respondetur Aristot. *in 4. Physic.* explicuisse rarefactionem, per respectum ad terminum secundarium, qui nobis notior est, quam primarius. Vnde non concluditur, quod dimensio sit terminus primarius rarefactionis; sed solum, quod posito termino illius primario, nempe raritate, statim, naturaliter loquendo, sequatur variatio in dimensionibus, & occupatio maioris loci. Quod optime vidit D. Thom. *in hoc lib. lect.* 13. vbi postquam dixit rarefactionem fieri secundum transmutationem passibilium qualitatum, subiunxit: *Variatio autem quantitatis, scilicet quoad praedictam extensionem localem, habet se ex consequenti, sicut ex motu, qui est secundum locum, variatur situs &c.* Vnde etiam constat ad illa verba S. Doct. continent enim eundem sensum & eodem modo explicanda sunt. Nam cum raritas ita disponat subiectum, vt absque additione nouarum partium occupet maiorem locum, nequit non radicaliter continere dimensionem maiorem, non quidem entitatiue, sed explicatiuè. Quocircà merito asseruit D. Thom. *rarefieri nihil aliud esse, quam materiam recipere, maiores dimensiones*, est quippè raritas causa earum, quatenus explicantur ad maiorem locum.

Ad confirmationem respondetur Philosophum in praedicta definitione exposuisse naturam rari per effectum secundarium. Quod satis frequens est, vbi effectus primarius formae est valde reconditus, vt in praesenti contingit. Praeterquam quod posset explicari definitio de continentia radicali, quae coincidit realiter cum essentia raritatis: vt sensus sit rarum esse, quod ita est affectum per qualitatem, vt contineat radicaliter magnas explicatiuè dimensiones respectu paruae materiae. Per quod patet ad id, quod additur: nam etsi in praedicta definitione, si ad sonum verborum grammaticaliter attendamus, non fiat mentio qualitatis; bene tamen si sensum illius philosophice penetremus.

13 Secundo arguitur ex eodem Philosopho in praedicamento qualitatis, vbi inquit: *Rarum verò, & spissum, asperum, & lene putabuntur quidem quale quid significare: sed aliena huiusmodi putantur esse à diuisione, quae circa quale est*: ergo ex mente Aristot. rarum non constituitur formaliter per qualitatem; & consequenter rarefactio non habebit rationem alterationis. ¶ Confirmatur ex D. Thom. *lib. 2. huius operis lect. 2.* vbi ait: *Rarum autem, & densum, vt in 4. Physic.* dicitur, *non sunt qualitates Physicae.* Quo nihil apertius potuit dici aduersus nostram sententiam.

Ad haec tamen facile constat ex dictis: quoniam raritas potest considerari dupliciter, vno modo secundum effectum primarium, & sic est qualitas: cum praedictus effectus consistat in disponendo sic, vel sic partes subiecti, non quidem primario in ordine ad locum, quod est peculiare munus *situs*; sed in ordine ad se, quod est propriū qualitatis officium. Altero modo po-

test considerari secundum effectum secundarium, & connotata, quæ necessario naturaliter affert: quo pacto dicit actualem dilatationem partium in ordine ad locum, & peculiarem earum positionem, & situm. Et quamvis prior consideratio pluris habenda sit, vtpote attendens ad raritatis quidditatem; secunda tamen vsitatior est, quia magis subiacet sensibus. Hinc ergo fit, quod licet rarum absolute, & metaphysicè loquendo, dicat formaliter, & in recto aliquid pertinens directe ad prædicamentum qualitatis: nihilominus vt communiter concipitur (quo pacto præsefert explicite illam positionem, & dilatationem partium) non ad genus qualitatis, sed ad prædicamentum quantitatis, vel ad aliud spectat. Aristot. ergo, & D. Th. in locis, quæ nobis obiiciuntur, & in aliis, quæ omittimus, quia continent eundem sensum, loquuntur de raro in hac posteriori consideratione: vnde non aduertantur nobis, qui raritatem, & rarefactionem secundum suas essentias, seu primarias rationes considerabamus. Ad quas etiam attendens Philosophus 7. *Physic. text.* 11. collocat raritatem, & densitatem inter qualitates tangibiles, quas ibi recenset: idemque præstat, vbi harum formarum naturas examinat ex professo.

14 Tertio arguitur ratione: quia repugnat produci nouam, & maiorem extensionem in ordine ad locum absque productione nouæ, & maioris quantitatis: sed per rarefactionem producitur noua, & maior extensio in ordine ad locum; siquidem hoc ipso, quod corpus rarefiat, habet vim ad occupandum locum maiorem: ergo per rarefactionem producitur noua, & maior quantitas; quæ proinde erit terminus primarius rarefactionis, cum sit radix eorum effectuum, qui posita rarefactione, resultant. Minor, & consequentia constant. Maior autem suadetur: quoniam repugnat produci nouam, & maiorem passionem absque noua, & maiori essentia; vel nouum, & maiorem effectum secundarium, absque noua, & maiori effectu primario: sed extensio in ordine ad locum est proprietas, & effectus secundarius quantitatis, seu extensionis in ordine ad se: ergo repugnat produci nouam, & maiorem extensionem in ordine ad locum absque noua, & maiori quantitate.

Confirmatur, & simul tacita solutio præcluditur: nam id, quod est formaliter inextensum, nequit esse ratio maioris extensionis: sed qualitas est accidens formaliter inextensum, vt diximus *disp. 5. num. 15.* ergo nequit esse ratio maioris extensionis in ordine ad locum: constat autem, quod corpus vt affectum raritate magis extenditur: ergo raritas non est qualitas, sed quantitas. Patet hæc vltima consequentia tum ex præmissis, tum quia sola quantitas habet ex se extensionem actualem, & formalem.

Respondetur ad argumentum, quod quantitas, seu extensio in ordine ad se potest dupliciter dici maior: primo entitatiue, & quoad multitudinem partium: secundo

cundo explicatiue, quatenus eædem partes sunt minus oppressæ, & complicatæ. Vnde omissis præmissis, distinguendum est consequens: *Ergo in rarefactione producitur noua, & major quantitas*, noua, & major *entitatiue* negatur: noua, & major *explicatiue*, conceditur. Nam vt quantitas occupet majorem locum, non requiritur determinate, quod habeat extensionem in ordine ad se majorem entitatiue; sed sufficit, quod prædicta extensio sit major explicatiuè. Et ita contingit in rarefactione: nam illa qualitas, quæ raritas appellatur, & rarefactionem primario terminat, ita disponit, & dilatat partes quantitatis, vt fundent majorem extensionem localem. Hæc quippe proprietas quantitatis conuenit ei, provt est sic, aut sic modificata (quod in aliis proprietatibus solet accidere) atque ideo potest crescere vel per additionem entitatis vt in augmentatione, vel per additionem modificationis, vt in rarefactione contingit.

Ex quibus patet ad confirmationem: nam licet raritas sit qualitas formaliter inextensa; attamen queit esse dispositio ad majorem extensionem. Vnde illa major extensio localis, quæ per rarefactionem acquiritur, prouenit in recto, & formaliter à sola quantitate; à raritate vero est dumtaxat dispositiue; explicat enim raritas præexistens partes quantitatis, vt occupent majus spatium. Quod potest declarari exemplo intensionis: nam vt de nouo aliquod subiectum reddatur magis verbi gratia calidum, non est necessarium, vt superaddatur ei nouus calor entitatiue; sed sufficit, quod calor præexistens afficiatur nouo modo actualitatis, seu radicationis: quamobrem esse magis calidum prouenit à calore tanquam à forma; & ab illo modo tanquam à modificatione, seu determinatione caloris. Sicut ergo ex eo, quod modus radicationis non possit reddere subiectum calidum; non sequitur, quod nequeat conducere ad hoc, vt sit magis calidum ratione caloris præexistentis: ita neque ex eo, quod qualitas non valeat extendere subiectum, minime colligitur, quod nequeat disponere ad hoc, vt fiat magis extensum ratione quantitatis antiquæ.

15 Dices: quælibet qualitas corporea recipitur in quantitate extensa per tantam, aut tantam extensionem: ergo extensio, seu dilatatio quantitatis præsupponitur ad qualitatem: ergo nulla qualitas potest communicare illam dilationem quantitati. Patet hæc secunda consequentia ex prima: quia nulla forma valet conferre illum effectum, qui ad ipsam necessariò præsupponitur. ¶ Respondetur negando vltimam consequentiam: nam cùm causæ adinuicem sint causæ, nulla est contradictio in eo, quod quantitas vt sic vel sic dilatata supponatur in genere causæ materialis receptiuæ ad qualitatem, quæ est raritas; & nihilominus in genere causæ dispositiuæ sit posterior illa; & ab illa dependeat: sed hæc duo optime cohærent, cum &

quantitas extenſa ſit ſubiectum *quo* qualitatis ; & iſta ſit diſpoſitio ad illam dilatationem. Quod declaratur exemplo accidentium conſequentium formam genitam , quæ illam ſupponunt in genere cauſæ receptiuæ ; & nihilominus ad eam ſupponuntur in genere cauſæ diſpoſitiuæ , quin interueniat in hoc aliqua repugnantia.

16 Arguitur quarto : quoniam nequeunt produci noua puncta quantitatis abſque productione nouarum partium : ſed in rarefactione producuntur noua puncta : ergo & nouæ partes. Suadetur minor : nam dato vaſe raro , cuius medietas ſit plena cera condenſata , omnia , & ſingula puncta extremitatis ceræ correſpondent omnibus, & ſingulis punctis extremitatis vaſis, vt ſic ſeruetur debita correſpondentia inter locatum , & locum , nempe partis ad partem , & puncti ad punctum : at ſi cera liquefiat , & repleat totum vas , incipit correſpondere infinitis aliis punctis vaſis: ergo opus eſt , vt producantur in cera alia infinita puncta.Nam aliàs, vel puncta ceræ condenſatæ excedebant puncta medietatis vaſis ; vel puncta ceræ liquefactæ exceduntur à punctis illius : & conſequenter, nec antea , nec poſt ſeruabitur debita commenſuratio inter locatum, & locum.

Confirmatur : quia partes ceræ liquefactæ magis diſtant inter ſe, quam antea diſtabant ; ſiquidem correſpondent partibus loci magis diſtantibus : ſed hoc fieri nequit abſque productione nouæ partis : ergo. Probatur minor : nam ſi non producitur noua pars , quæ mediet inter illas partes , ſolùm diſtabunt per vnicum punctum intermedium: ſed hoc eſt indiuiſibile , & ineptum ad inducendum diſtantiam : ergo impoſſibile eſt partes corporis, quod rarefit magis diſtare ; quin noua pars quantitatis producatur.

Huic argumento (relicta ſolutione contendentium tot eſſe puncta, & partes in quanto minimo, ac in quanto maximo , quos refutauimus *in libr. Phyſic. diſp. 23. quæſt. 3.*) reſpondetur negando minorem : ad cuius probationem dicendum eſt, quod omnimoda adæquatio loci, & locati quantum ad numerum punctorum , & partium ſolum obſeruatur , cùm locus , & locatum habeant eandem raritatem , & denſitatem. Quando autem ſunt inæqualis raritatis , ſolùm queunt habere commenſurationem , ac correſpondentiam in punctis ſignabilibus , & determinatis ; ſecus vero in punctis vagis , confuſis , & exiſtentibus quaſi in potentia. Nam cùm corpus denſum habeat plus materiæ , quam rarum ; opus eſt , vt ſaltem vagè implicet plures partes , & puncta , quam in raro reperiantur. Vbi autem id ; quod erat denſum, rarefit, & explicatur ; illa puncta, quæ erant vaga , & quaſi centralia, incipiunt eſſe certa , & deſignabilia; valentque proinde correſpondere punctis determinatis rari majoris. Et ita contingit in caſu argumenti; nam licet omnia , & ſingula puncta certa , & deſignabilia extremitatis ceræ condenſatæ correſpondeant omnibus , & ſingulis partibus medietatis

dietatis vasis rari: plura tamen alia puncta indesignabilia implicabat cera, quæ per rarefactionem explicantur, & fiunt puncta certa, & correspondent alijs punctis vasis; quin sit necessaria nouorum punctorum productio. Quæ omnia illustrari possunt exemplo motus tardi & velocis, qui eodem tempore exercentur; quamvis enim habeant tum inter se, tum respectu motus primi mobilis omnimodam correspondentiam in instantibus, seu indiuisibilibus determinatis; tamen motus velox plura puncta, & partes confuso modo inuoluit, & conglomerat: alias nec percurreret majus spatium, nec esset velocior altero. Videantur quæ diximus *in lib. Physic. disp.* 21. *qu.* 3.

Ad confirmationem respondemus duas v. g. partes proportionales, quæ immediate vniuntur inter se, nunquam magis, vel minus distare; quia inter eas solùm mediat vnicum indiuisibile, quod nequit deseruire ad majorem, aut minorem distantiam. Et hoc solum conuincit hæc confirmatio. Cæterum partes proportionales non immediatæ, posita rarefactione magis distant inter se: ad quod non requiritur, quod nouæ partes producantur; sed sufficit quod antiquæ magis explicentur. Cum enim in corpore denso partes sint valde constipatæ, & compressæ, occupant minus spatium: at rarefactio tollit illam compressionem partium; atque ideo quoad effectum dilatandi illas, æquiualet earumdem productioni.

17 Vltimo suadetur hæc opinio ab incommenientibus, quæ ex nostra sententia sequuntur: nam in primis infertur idem corpus esse in duobus locis circunscriptiuis; quandoquidem eadem cera, quæ condensata existebat in medietate vasis velut in loco adæquato, si rarefiat, occupat aliam medietatem. *Secundo* infertur duas quantitates partiales penetrari: nam si cera liquefacta occupabat totum vas, condensata occupabit solam medietatem, atque ideo locum duplo minorem: quod absque penetratione partium fieri non valet. *Tertio* infertur quantitatem esse formam intensibilem, & remissibilem; siquidem eadem existens, & absque additione partium redderet substantiam magis, & minus occupatiuam loci, sicut albedo reddit subiectum magis, & minus album.

Respondetur nullum ex adductis incõueniẽtibus vrgere in nostra sententia: non *primum*, quia cera, quæ liquefiet, non occupat nouum, & distinctum locum, sed incipit esse in majori. Sicut enim si illi adderentur partes, per quas repleret medietatem vasis, non diceretur occupare nouum locum; sed quod crescceret, & occuparet locum majorem: ita cum dilatatur, idem dicendum est: quia rarefactio explicans partes æquiualet additioni. Neque etiam infertur *secundum*: nam condensatio æquiualet diminutioni, quatenus sic constringit partes, vt corpus reducatur ad paruam adeo extensionem localem, sic vt posset per diminutionem reduci. Vnde non sequitur, quod dum occupat minorem locum, habeat partes

tes penetratas ; sed sufficit, quod habeat per densitatem constrictas. Nec tandem sequitur *tertium* : quia licet corpus fiat magis, & minus rarum, quod est intendi : attamen hoc non prouenit formaliter à quantitate ; sed à raritate, quæ qualitas quædam est, & intensionis capax. Substantiam vero magis, & minus extendi in ordine ad locum cum ratione eiusdem quantitatis, minime arguit intensionem quantitatis, sed extensionem illius, vt ex ipsis terminis liquet. Cuius signum satis perspicuum est, quod acedente rarefactione, raritas est magis raritas ; & tamen quantitas non est magis quantitas : neque extensio est magis extensio ; sed major, seu habens majorem dilatationem.

DISPVTATIO VIII.

De Actione, & Reactione.

ACTVRVS Aristotel. de elementorum mixtione, in qua eorum actio, & reactio mutuo inuenitur, conuenienter de ijs priori loco disseruit : quod præstitit *à cap. 6. huius libri* vsque *ad 10.* exclusiue. Nonnulla autem, quæ possent, & solent in præsenti versari, discussa jam reliquimus *in libr. Physicor. disputat. 26.* per totam. Quamobrem, eis relictis, aliis enucleandis in hac disputatione insistemus.

QVÆ

QVÆSTIO I.

Vtrum agens possit agere in passum sibi simile.

SVpponimus in hac quæstione posse agens agere in passum sibi simile in specie virtutis actiuæ; dummodo ipsum excedat in intensione prædictæ virtutis: quo pacto calidum vt sex valet agere in calidum vt tria, eique imprimere nouum gradum caloris, vt ex se liquet. Difficultas verò est, an stante æqualitate tùm in specie, tùm in intensione virtutis, queat vnum agere in aliud? Huiusmodi autem æqualitas virtutis aliquando etiam conjungitur cum æqualitate in raritate, & densitate corporum; aliquando verò associatur corporibus inæqualiter raris, & densis, vt videre est in stuppa, & ferro habentibus eundem gradum caloris: & quæstio generaliter, atque in vtroque sensu procedit.

§. I.

Statuitur vera, & communis sententia.

1 DIcendum est primo simile non posse agere in passum sibi omninò simile tàm in intensione virtutis, quàm in raritate, vel densitate. Ita Aristot. *in hoc lib. cap.* 7. D. Thom. *ibidem lect.* 19. quibus subscribunt communiter Interpretes. Videantur Bañez *cap.* 6. *quæst.* 2. *conc.* 6. Conimbr. *cap.* 9. *quæst.* 2. *art.* 3. & Suarez *disp.* 18. *Metaph. sect.* 9. Fundamentum præcipuum est: quoniam agens intendit assimilare sibi passum, vt est commune Philosophorum axioma ipsa experientia firmatum; siquidem ideò calidum agit in frigidum, vt reddat illud calidum, & sic de aliis: sed vbi datur omnimoda similitudo inter agens & passum, cessat hic finis: ergo vnum nequit agere in aliud. Patet consequentia: quia habito fine, cessat actio; & consecuto termino cessat motus.

2 Deinde suadetur conclusio ratione à priori: quoniam vnumquodque agit secundum quod est in actu, & recipit quatenus est in potentia: sed datis duobus calidis vt quatuor eiusdem raritatis, vel densitatis, tunc neutrum eorum est in potentia ad recipiendum calorem vt quatuor; siquidem ipsum jam habet in actu; neque potest producere calorem vt quinque; cum præcisè sit in actu caloris, vt quatuor: ergo impossibile est, quod vnum agat in aliud. Si enim ageret: vel vnum reciperet calorem, quem jam habet; vel aliud produceret calorem quem non habet. ¶ Confirmatur: nam actio agentis in passum est quædam victoria illius suprà istum: sed vbi datur omnimoda similitudo inter duo, nulla est ratio, cur vnum vincat aliud: ergo non potest sequi actio.

3 Dicendum est secundò, quod

ſtante æqualitate in intenſione virtutis, licet detur inæqualitas in raritate, nequit agens agere in paſſum. Hanc etiam docent Ariſtot. D. Thom. & alij, quos pro aſſertione prima citauimus. Quam etiam conuincunt rationes nuper factæ, vt illas perpendens facilè deprehendet: nam calor v. g. vt quatuor, quamuis ſit in ſubjecto denſo non continet niſi calorem vt quatuor; aliàs ſe ipſum excederet: ergo nequit producere calorem vt quinque: at calidum vt quatuor, quamuis ſit in corpore raro, non eſt in potentia ad recipiendum calorem minorem quam quinque; ſiquidem jam formaliter habet calorem vt quatuor: ergo impoſſibile eſt, quod ſtante æqualitate in virtute actiua corpus denſum agat in rarum. Adde primò denſitatem, & raritatem non eſſe formas actiuas, vt communiter docent Philoſophi. Adde ſecundò, quod licet corpus denſius habeat plures partes materiæ, formæ, & quantitatis; hoc tamen non importat intenſionem earum, ſed extenſionem, & multitudinem, ac proindè non poterit producere effectum perfectiorem in intenſione.

Confirmatur: nam ex oppoſito fieret, quod duo corpora calida vt quatuor, quorum vnum eſſet denſum, & aliud rarum v. g. ferrum, & ſtuppa, poſſent ſe intendere vſque ad calorem vt ſeptem: conſequens eſt abſurdum: ergo. Sequela oſtenditur: nam ferrum ratione dẽſitatis producet in ſtuppa calorem vt quinque: & hæc facta calida vt quinque producet calorem vt quinque in ferro, quod præſupponitur calidum præcisè vt quatuor. Rurſus ferrum calidum vt quinque, ratione majoris denſitatis producet in ſtuppa calorem vt ſex: & iterùm hæc facta calida vt ſex producet calorem vt ſex in ferro; & ſic de aliis gradibus. Imò etiam poterunt producere ignem, vt idem diſcurſus conuincit.

§. II.

Satisfit argumentis in contrarium.

4 MArſilius in præſenti *quæſt.* 19. Toletus *quæſt.* 3. & alij exiſtimant denſitatem, ac multitudinem materiæ ſufficere vt agens denſius agat in paſſum rarius, tametſi æqualia, & ſimilia ſint in virtute actiua. Cuius poſitioni à fortiori fauent illa argumenta, quæ ſuadere videntur poſſe ſimile agere in omninò. ſimile; & noſtram primam aſſertionem impugnant. Vtriuſque autem poſitionis fundamenta *ſub vno* §. comprehendimus, quia nec multum negotij faceſſunt, nec plura ſunt. Arguitur ergo primò: quia nihil eſt ita ſimile alterì, ſicut idem ſibi: ſed idem poteſt agere in ſe ipſum, vt patet calore ventriculi, qui ſe ipſum intendit in hyeme: ergo ſimile poteſt agere in paſſum ſibi omninò ſimile. ¶ Reſpondetur negando minorem, vt conſtat ex dictis *in lib. Phyſicor. diſputatione vigeſima ſexta, quæſtione prima*, Illius autem probationem diluimus ibidem:

dem : & ideò in iis amplius non immoramur.

5 Arguitur secundò : quia vbi minus datur resistentiæ ex parte passi, facilius exercetur actio agentis : at cum passum est omninò simile agenti non ei resistit ; siquidem omnis resistentia fundatur in aliqua contrarietate, quam certum est non inueniri inter omninò similia : ergo similitudo passi non impedit actionem agentis, sed potius conducit, vt facilius exerceatur. ¶ Confirmatur : nam duæ manus æqualiter calidæ melius se fouent, & inuicem calefaciunt, quam si vna esset calida, & alia frigida : ergo vbi datur omnimoda similitudo, & nulla contrarietas ; melius exercetur actio.

Respondetur majorem argumenti solùm verificari, quando stante minori resistentia, stat ex parte agentis vis ad producendum effectum, & ex parte passi capacitas ad eum recipiendum : quod non contingit, cùm agens, & passum sunt eiusdem omninò virtutis, vt constat ex dictis. Tunc enim licet passum non resistat resistentia positiua, & contraria ; resistit tamen resistentia negatiua, quatenus non habet capacitatem ad recipiendum gradum, quem actu habet : & hic solùm queit ab agente produci ; cùm non habeat alium magis intensum. ¶ Ad confirmationem dicendum est manus æquè calidas, & conjunctas non calefieri mutuò à se ipsis ; sed vtramque calefieri à corde ; ad quod conducit illa conjunctio, nam conjunctæ melius resistunt aëri circunstanti, qui posset calori à corde immisso resistere, vel illum temperare.

6 Arguitur tertiò : quia si vnum elementum esset infinitæ molis, alia elementa in se conuerteret, ex Aristotele 3. *Physicor. text.* 42. at non conuerteret ratione intensionis virtutis ; siquidem Philosophus solùm tribuit illam efficaciatem ob magnitudinem molis : ergo densitas, & multitudo materiæ conducit vt agens agat in passum ; tametsi hæc sint æqualia in intensione virtutis. Respondetur negando minorem, quam minimè suadet auctoritas Aristotelis : nam si elementum esset infinitum in magnitudine, foret etiam infinitum in virtute, ac intensione ; quippè æqualis est vtriusque repugnantia, vel possibilitas : vnde excederet plurimum alia elementa, posseretque proindè illa facilè in se conuertere.

7 Arguitur quartò : quoniam virtus vnita est fortior se ipsa dispersa : sed corpus densum habet virtutem actiuam magis vnitam, quam corpus rarum : ergo corpus densum est fortius, quam rarum, & consequenter illud aget in istud, quamuis habeant eundem gradum virtutis. ¶ Confirmatur, & explicatur : nam vbi est plus de forma, ibi est plus de virtute ; cùm hæc ad illam consequatur : sed corpus densius habet plus de forma, vt constat ex dictis *disp. præced.* ergo habet majorem virtutem, quam corpus rarum, ac proinde aget in illud.

Respondetur virtutem vnitam esse quidem fortiorem in ordine

ad effectum sibi correspondentem secundum latitudinem suæ intensionis; non verò respectu illius, qui prædictam latitudinem excedat: cùm nihil valeat agere vltra suam virtutem. Vnde datis duobus calidis vt quatuor, quorum vnum sit densius, & aliud rarius; citius, ac facilius illud producet suum effectum, quam istud: neutrum tamen queit efficere calorem vt quinque, cùm illum non contineat in se. Vnde cùm corpus rarius calidum vt quatuor nequeat recipere calorem minorem, quam quinque; consequens est vt pati non possit à calido vt quatuor; licet istud sit magis densum. ¶ Per quod soluitur confirmatio: nam plus de forma solùm arguit majorem extensionem, ac multitudinem partium, non verò majorem intensionem virtutis. Etsi densitas hanc necessariò afferret, cessaret casus quæstionis; hæc quippè solùm procedit stante æqualitate in intensione virtutis.

8 Vltimò suadetur hæc opinio ab experientiis: primò quia radij solares, cùm sunt rari, non producunt ignem: at si per crystallum transeant, ob densitatem istius solent ignem generare: ergo densitas conducit, vt eadem virtus producat præstantiorem effectum. *Secundò:* quia grauitas solet esse æque intensa in toto & in partibus: & tamen motus deorsum ingentis lapidis est velocior, quam motus vnius particulæ: ergo multitudo partium conducit, vt sequatur perfectior effectus. *Tertiò:* nam ferrum quantumuis candens non habet nisi calorem vt sex, aut septem; major quippè calor est proprietas ignis: at ferrum candens ratione majoris densitatis queit ignire stuppam calidam vt septem: ergo densius potest agere in rarius eiusdem, vel majoris intensionis. *Quartò:* quoniam cùm sol directè illuminat aërem, solet huius lumen intendi ex reflexione speculi: & tamen lumen speculi est minus intensum, quam lumen aëris; siquidem magis distat à sole: ergo sola major densitas speculi in causa est, vt possit agere in aërem.

Respondetur nullam ex dictis experientiis huic sententiæ suffragari: non *primam*, quia radij solares habent virtutem ex se ad producendum ignem: multiplicati autem ob densitatem crystalli citiùs illum effectum producunt, quam aliàs producerent: quia densitas conducere potest, vt eadem virtus facilius se se explicet in effectum. Per quod patet ad *secundam:* nam corpus velocius, aut tardius moueri solùm conuincit eundem effectum, nempè motum citius produci ob densitatem, aut multitudinem materiæ. Maximè cum prædictum corpus non moueatur principaliter à se, sed à generante: hoc autem perfectius imprimit suam virtutem toti, quam parti: vnde mirum non est, quod motu naturali velocius moueatur totum, quam pars. *Tertia* etiam soluitur ex dictis *in lib. Physic. disputatione decima, quæstione tertia*, vbi diximus, quod in ferro candenti dantur aliquæ particulæ ignitæ, quibus stup-

pa

pa comburitur. Ad *quartam* dicendum est lumen aëris ex reflexione speculi non intendi sed magis extendi: quia quædam corpuscula existentia in aëre non illuminabantur omninò per illuminationem directam; sed à tergo manebant non illuminata, aut minus illuminata: vbi autem accedunt radij reflexi, illuminantur etiam à tergo: quamobrem apparet aër magis illuminatus; quamuis lumen illius non sit intensius, sed præcisè extensius. Videantur quæ diximus *in lib. Physic. disputatione* 15. *quæstione* 3.

QVÆSTIO II.

Vtrum actiuitas agentis debeat esse major, quam resistentia passi?

ALiis verbis solet hæc difficultas proponi, videlicet an actio debeat fieri à proportione majoris inæqualitatis, vel possit fieri à proportione minoris. Vterque tamen titulus in idem redit: nam fieri actionem à proportione majoris inæqualitatis denotat, quod virtus agentis sit major, quam resistentia passi: fieri verò à proportione minoris significat, quod virtus agentis sit minor. Cæterùm vt cum majori claritate, & distinctione procedamus, animaduertendum est ex Diuo Thoma *in* 4. *dist.* 5. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæst.* 3. *ad* 4. quod duplex est resistentia, actiua videlicet, & passiua. Prima tunc datur, cùm passum agit in agens sibi contrarium debilitando vires illius: quo pacto ignis resistit aquæ, agendo aduersus eam, ipsiusque frigiditatem diminuendo. Secunda consistit in eo, quod passum habeat in se aliquam dispositionem oppositam effectui introducendo, per quam reddatur formaliter ineptum, vel minus capax ad effectus participationem: qua ratione lapis ingens ratione grauitatis resistit motui sursum. Et hæc posterior resistentia solet appellari formalis, quia non fit media actione, sed immediatè exercetur per aliquam formam, aut dispositionem obsistentem effectui introducendo. His suppositis vtramque resistentiam considerantes dubium decidemus.

§. vnicus.

Duabus assertionibus respondetur quæsito.

9 DIcendum est primo actiuitatem agentis debere excedere resistentiam passiuam, seu formalem passi. Ita omnes Philosophi, paucis exceptis, quos infrà referemus. Probatur breuiter: quoniam implicat, quod renuente, & resistente passo, atque inclinante ad oppositum, imprimatur ei aliquid ab agente; nisi sit major virtus agentis, quam resistentia passi:

si enim resistentia passi esset major, vel æqualis; tantum resisteret, & expelleret, quantum agens ageret, & conaretur inducere: ergo si resistente passo, adhuc agens agit; signum manifestum est, quod major est actiuitas agentis, quam resistentia passi. ¶ Confirmatur, & explicatur: nam agere in passum est quoddam genus victoriæ agentis suprà passum: at victoria dicit excellentiam, & superioritatem suprà victum: ergo impossibile est agens agere, & quod actiuitas agentis non sit major, quam resistentia passi. ¶ Ad hæc: si vis agentis non deberet excedere resistentiam passiuam passi, nulla esset ratio, cur quæuis virtus licet debilis non posset mouere corpus quantumuis magnum, & graue: consequens est absurdum, & contra manifestam experientiam: ergo, &c.

Quæ omnia possunt magis adhuc confirmari exemplo: etenim sicut omnimoda substractio passi est totalis elongatio eius, & indispositio ad effectum: ita quæuis resistentia passiua est aliqualis indispositio, & ineptitudo ad participationem effectus: constat autem, quod ad vincendam indispositionem, quæ inuenitur in omnimoda substractione passi, requiritur virtus simpliciter infinita, videlicet omnipotentia Dei, superans quancumque resistentiam, potensque ad extrahendum effectum ex nihilo: ergo pariter ad vincendam quamuis resistentiam passiuam passi requiritur virtus actiua agentis, quæ illam resistentiam excedat, & quò fuerit major resistentia passiua, eò proportionabiliter actiuitas agentis debet esse major, & potentior suprà illam.

10 Dicendum est secundò posse agens agere in passum, licet istius resistentia actiua sit major, quam virtus, & actiuitas illius. Hæc etiam est communis inter Philosophos, & suadetur quoniam aqua valet agere in ignem, & illum corrumpere, vt experientia liquet: & tamen resistentia actiua ignis est major, quam virtus actiua aquæ: ergo vt agens agat in passum, non requiritur, vt istius resistentia actiua sit minor quam actiuitas illius. Minor liquet: nam ignis resistit actiuè per suum calorem; aqua verò agit per frigiditatem: constat autem calorem ignis excedere frigiditatem aquæ; cùm ille sit calidus vt octo; hæc autem frigida vt septem: ergo.

Confirmatur primò: quia nullum agens respicit passum sub conceptu agentis, aut resistentis actiuè; sed sub ratione passi: & quod ignis habeat majorem virtutem actiuam, quam aqua; non tollit ab eo capacitatem vt sit passum respectu aquæ, & recipiat ab ea aliquem gradum frigiditatis: sed solum excludit, quod cæteris paribus, non recipiat tantum frigiditatis, quantum caloris ipse imprimit aquæ: ergo non est necessarium, quod virtus aquæ sit major, quam resistentia actiua ignis.

Confir

Confirmatur secundò, & simul satisfit tacitæ objectioni: nam licet calor ignis etiam resistat passiuè actioni aquæ; cùm calor sit dispositio formaliter contraria frigiditati inducendæ; nihilominus calor vt octo, qui in igne reperitur, non resistit formaliter secundum omnes gradus, quos supponit, & virtualiter includit; sed præcisè secundum illam rationem, aut gradum: quem addit suprà præexistentes: atqui frigiditas vt sex, vel septem, quæ est propria aquæ, excedit illum gradū caloris sumptū formaliter, & sub illa præcisione; quamuis non excedat totum calorem ignis: ergo aqua potest agere in ignem, etsi virtus illius non excedat resistentiam istius actiuam. Major suadetur: quia ignis solum resistit passiuè per illum gradum, qui est incompossibilis cum frigiditate introducenda: sed solus calor vt octo est incompossibilis cum omni, & quolibet gradu frigiditatis; secus verò calor vt quatuor, vel vt quinque, & alij gradus: cùm optimè stet subjectum esse calidum vt quinque v. g. & frigidum vt vnum: ergo ignis non resistit passiuè per calorem vt octo secundum omnem latitudinem, quam aliàs de materiali supponit, & includit; sed secundum illud præcisè, quod calor vt octo addit virtualiter suprà gradus præexistentes.

111 Vallesius *controuersia* 44. *ad Tyrones*, Burleus 3. *Physic. textu* 16. & alij docent absque distinctione non esse necessarium, quod actiuitas agentis excedat resistentiam passi. Argumenta autem eorum solum conuincunt id quod nos statuimus in secunda conclusione: vnde non oportet ea referre, & diluere; cùm potius suffragentur veræ sententiæ. Sed aduersus primam assertionem potest opponi: nam major est resistentia passiua lapidis, quam actiuitas guttæ aquæ cadentis super illum, aut formicæ motæ super eum: & nihilominus gutta cadens super lapidem excauat illum, & formica multoties mota super eum extrahit aliquid ab eo: ergo actiuitas agentis non excedit necessariò resistentiam passiuam passi. ¶ Confirmatur: quia major est resistentia terræ, quam actiuitas aquæ; siquidem illa resistit per siccitatem, quæ est maximè resistitiua, hæc verò agit per frigiditatem, quæ non est admodum actiua: ergo vel dicendum est aquam non posse agere in terram, quod experientiæ contradicit; vel concedi debet non requiri, quod actiuitas agentis excedat resistentiam passiuam passi.

* Respondetur ad objectionem non quamlibet guttam aquæ excauare lapidem, sed eam, quæ supponit eum sufficienter mollificatum, & dispositum per guttas antecedentes. Porrò respectu lapidis sic dispositi major est actiuitas aquæ, quam resistentia passi. Si autem fiat idem argumentum de primo gradu humectationis vel mollificationis; respondetur ex proximè dictis, quod lapis non resistit passiuè, & formaliter illi gradui per omnes gradus siccitatis,

ficcitatis, quos habet; sed præcisè per illum, qui est formaliter incompossibilis cum vno gradu humiditatis, aut mollitudinis. Certum est autem, quod humiditas, & mollitudo aquæ excedit illum gradum præcisiuè, & formaliter acceptum. Per quod etiam patet ad exemplum formicæ: hæc quippè frequenter super lapidem mota prius illum suo pondere, & vi aliquantulum concutit, & debilitat; hoc autem supposito, jam major est actiuitas formicæ, quam resistentia passiua, & formalis lapidis sic debilitati, & dispositi, atque ideò potest aliquid extrahere ab illo. ¶ Cõfirmatio continet eandem difficultatem, & pari doctrina soluenda est. Addimus præterea posse aquam excedere terram in multitudine materiæ, juuarique ab aliis elementis, & agentibus: ac proindè valebit non solùm terram humectare, verum etiam maximè alterare, & tandem corrumpere.

QVÆSTIO III.

Vtrum agens in agendo repatiatur.

SVpponimus ex Aristot. *in hoc lib. cap.* 7. & D. Thom. *ibid. lect.* 20. Angelos, & Cælos agere in hæc inferiora, quin ab eis aliquid recipiant, aut patiantur: quia non communicant in eadem materia trãnsmutabili. Dubitamus autem, an in agentibus sublunaribus influentibus per alterationem corruptiuam, & existentibus intra sphæram actiuitatis sufficientem, vt vtrumque exerceat suam actionem in aliud, necessarium sit, quod quoties agens agit in passum, toties repatiatur ab eo.

§. vnicus.

Defenditur sententia communis.

12 DIcendum est agens in passum, cum quo communicat in materia transmutabili, repati ab illo. Ita Aristot. loco proximo citato, & *lib.* 4. *de generatione animalium cap.* 3. vbi inquit: *Omne agens patitur etiam à patienti, vt quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur: quod calescit, refrigeratur.* D. Thom. *in* 4. *distinct.* 11. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. Galenus 3. *Symptomatum cap.* 2. *&* 3. *de temperamentis cap.* 3. Vnde hic dicendi modus communis est apud Medicos, & Philosophos, & jam in commune proloquium abiit apud illos.

Probatur ratione primo: quia vnumquodque agit secundum quod est in actu, & patitur secundum quod est in potentia: sed ignis v. g. (& idem est de aliis agentibus sublunaribus) agens in aquam simul est in actu respectu caloris, & in potentia respectu frigiditatis: ergo ita imprimit calorem aquæ, vt tamen recipiat frigiditatem ab ea: ergo agendo patitur. ¶ Confirmatur ab experientia satis euidenti: nam ferrum candens

candens calefacit aquam ; & frigefit ab illa. Glacies infrigidat manum ; & ab ea liquefit. Gutta aquæ cadens supra prunam, illam extinguit ex parte ; & tamen ab ea consumitur, & conuertitur in vaporem. Quæ omnia veritatem communis asserti liquido euincunt.

13 Secundo probatur : nam si inter agentia sublunaria, contraria, & existentia intra mutuam activitatis sphæram, non esset mutua actio, & passio ; sequeretur mixtionem esse impossibilem ; siquidem hæc resultat ex multis agentibus ab inuicem alteratis, & redactis ad quandam concordiam, & temperamentum : consequens est omnino absurdum, vt constabit ex dicendis *disp. sequenti* : ergo agens in agendo repatitur.

14 Contrarium dicendi modum amplectuntur Marsil. & aliqui Nominales, quos refert Rubio *in tractatu de actione, & reactione num.* 143. & potest suaderi primo ex Aristot. 2. *de partibus animalium, cap.* 2. vbi asserit ignem non posse esse frigidum : ergo dum ignis agit in aquam, non repatitur ab ea ; alias reciperet frigiditatem, & fieret frigidus. ¶ Hoc tamen facilè diluitur : quia denominatio rei sumitur à qualitate magis intensa : quamvis autem ignis recipiat nonnihil frigiditatis ab aqua ; nihilominus retinet plus caloris : quocirca nequit frigidus denominari. Et hoc præcisè intendit Philosophus.

15 Secundo arguitur : quia à proportione minoris æqualitatis non datur actio : sed passum habet minorem virtutem, quam agens ; alias nec pateretur ab eo, nec subderetur illi : ergo passum non agit in agens ; ac proinde istud in agendo non repatietur.

Respondetur hoc argumentum præcisè conuincere, quod passum, quatenus passum, non agit in agens quatenus agens est : minime tamen concludere, quod passum nequeat subire rationem agentis, & respicere per modum passi id, quod aliàs est agens. Vnde quod agens excedat passum in qualitate, per quam agit ; non tollit ab eo, quod excedatur in alia qualitate, secundum quam patiatur. Quod exemplo fiet manifestum : etenim si calidum vt sex applicetur frigido vt quatuor, illud excedit istud in calore, atque ideo potest agere in ipsum, aliquid caloris ei imprimendo. Frigidum autem vt quatuor excedit in frigiditate calidum vt sex ; siquidem istud solùm habet frigiditatem vt duo : vnde potest agere in ipsum eique imprimere aliquid frigiditatis. Nam cùm vnũquodque agat, secundum quod est in actu ; patiatur autem, secundum quod in potentia : consequens fit, vt calidum vt sex, quod excedit in calore, & exceditur in frigiditate, agat imprimendo calorem, & patiatur recipiendo frigiditatem : & idem proportionabiliter asserendum est de frigido vt quatuor. Porro quod resistentia actiua calidi sit major, nihil refert, vt constat *ex supra dictis, num.* 10

16 Tertio arguitur : quoniam si

omne agens in agendo patitur, ſequitur, quod calidum vt ſex, dùm agit, amittat aliquem gradum caloris, & fiat calidum vt quinque: ergo calidum vt ſex nequit producere aliud calidum vt ſex, ſeu in illa intenſione, in qua ipſum præexiſtit: conſequens eſt abſurdum: ergo. ¶ Reſpondetur, quod licet calidum vt ſex in principio actionis, & initio, vt ſic dicamus, prælij, amittat aliquid caloris; attamen conſecuta victoria, & deuicta reſiſtentia paſſi, recuperat per naturalem reſultantiam quidquid propriæ virtutis amiſerat: vnde optime valet communicare paſſo calorem vt ſex. Id vero intelligendum eſt de calido, cui calor comparatur ſicut proprietas: aliter quippe nec data doctrina habet locum; nec inconueniens eſt calidum vt ſex, quod eſt tale per calorem ſibi ab extrinſeco communicatum, non poſſe communicare omnem calorem, quem habet: langueſcit enim ob actionem contrarij; & alias non reddit per dimanationem.

17 Arguitur vltimo: quia ſi cùm ignis medio aëre agit in aquam calefaciendo eam; hæc iterum ageret in ignem medio etiam aëre infrigidando illum; ſequeretur idem ſubiectum, nempe aërem, moueri ſimul motibus contrariis, calefactionis, & infrigidationis: conſequens eſt falſum, vt conſtat ex dictis *in libris Phyſic. diſp. 22. qu. 5.* ergo, &c.

Reſpondetur negando ſequelam intellectam de eodem ſubiecto, & ſecundum eandem partem; & concedendo eam de eodem ſubiecto ſecundum diuerſas partes conſiderato. Nàm licet aër medius inter ignem, & aquam patiatur ab vtroque; nihilominus patitur ſecundum partes diuerſas. Quodlibet enim ex illis duobus agentibus vendicat ſibi certam ſphæram, & ſpatium aëris intermedij, & ſibi proximi: relinquit vero alteri agenti alteram partem illi contiguam. Et vnumquodque incipit agere circa partem aëris, quæ ſibi correſpondet, vſquedum perueniat ad terminum ſibi præfixum: & in hoc tempore non agit in agens ſibi è regione contrarium, neque in partem ei adhærentem. Vbi autem dictum terminum attingunt, jam non agunt circa partem vnicuique contiguam; ſed ignis ſimul junctus cum parte ſibi propria gerit rationem vnius agentis, & agit in partem aduerſam, quæ correſpondebat aquæ: hæc vero ſimul juncta cum parte ſibi contigua ſe habet vt alterum agens, & agit in partem ſibi oppoſitam, quæ correſpondebat igni: atque ideo pars agit in partem, & neutra mouetur ſimul ab vtroque agente. Tum quia hoc pacto quodlibet agens melius ſibi conſulit, non deſtruendo partem, per quam reſiſtit. Tum quia vna, & eadem pars nequit ſimul moueri motibus contrariis: atque ideo cum incipit pati ab igne, nondùm patitur ab aqua; & cùm incipit pati ab aqua, deſinit jam pati ab igne.

DISPVTATIO IX.

De Mixtione.

EA, quæ *disput. præced.* circa actionem, & reactionem statuimus, facilem præbent aditum ad ea quæ de mixtione in hac disputatione dicemus : & ideo post illas difficultates hæc immediatè subijcienda est.

QVÆSTIO I.

An sit, & quid sit Mixtio?

AD intelligentiam eorum, quæ in hac quæstione, & tota disputatione dicenda sunt oportet aliqua breuiter prælibare, quibus natura veræ mixtionis incipiat aliquantulum innotescere.

§. I.

Præmittuntur aliqua notabilia.

1 PRimo obseruandum est duplicem esse mixtionem, videlicet propriam, & impropriam. Hæc nihil aliud est, quam approximatio, & confusio plurium corporum secundum situm, & locum inuariata permanente eorum substantia: qua ratione farina ex diuersis granis, vtputa ex tritico, & hordeo confecta appellatur mixtum. Mixtio vero propria consistit in eo, quod plura corpora, vel particulæ eorum mutuo alterentur, & corrumpantur ; ita vt resulter aliud tertium à miscibilibus substantialiter distinctum, in quo tamen ipsa aliquo modo remanent. Et de hac mixtione sermo in præsenti procedit.

Secundo animaduertendum est plures conditiones ad mixtionem propriam requiri, quas recenset Aristotel. *in hoc libro à textu* 83. & oportet in præsenti referre. Prima est quod miscibilia sint antè mixtionem separata, hoc est, substantialiter distincta : quia alias non poterunt mutuò agere, & se

corrumpere ab inuicem: quod tamen necessario requiritur ad veram, & propriam mixtionem. ¶ Secunda est, quod licet miscibilia mutuò sint actiua; & passiua; nihilominus vnum non nimis excedat aliud: sed in ea tàm actiuitatis, quàm resistentiæ proportione constituantur, quæ sufficiat, vt simul corrumpantur, & aliud tertium resultet. Ratio est: quoniam si vnum ex miscibilibus plus æquo dominaretur alteri, traheret omnino illud ad propriam formam, & generaret aliud indiuiduum eiusdem speciei: ac proinde ibi non intercederet vera mixtio, sed nuda, & sola generatio.

Tertia conditio est, quod miscibilia sint facile, & mutuo diuisibilia ita vt vnius partes intime peruadant, & intersecent partes alterius; & è conuerso. Cùm enim ad mixtionem propriam desideretur mutua actio, & reactio miscibilium, & quod resultet tertium, quod secundum omnes suas partes integrales sit mixtum; consequens est, vt prius miscibilia secundum omnes suas partes intime applicentur. Quocirca ante mixtionem propriam debet præire mixtio impropria, seu partium confusio.

3 Quarta, & præcipua conditio, ad quam aliæ reuocantur, consistit in eo, quod miscibilia substantialiter corrumpantur in se ipsis; maneant tamen aliquo modo in alio tertio, quod ex eis resultat, & appellatur mixtum. Quoniam mixtio propria non est idem, ac aggregatio, seu compositio ex pluribus; alias elementum constans ex duabus partibus, nempe materia, & forma esset proprie mixtum, quod est absurdum. Ad hæc: quælibet pars mixti est mixtum, sicut quælibet pars elementi est elementum: hoc autem fieri nequit nisi corruptis substantialiter miscibilibus: si enim aqua, & aër manent substantialiter in quodam tertio; licet hoc diceretur mixtum, seu compositum, non tamen partes eius; siquidem neque aër, neque aqua essent mixtum, vt ex se liquet. Porrò desiderari; vt miscibilia maneant aliquo modo in mixto, ex eo constat, quia alias solum interueniret pura corruptio miscibilium, & nullo modo adunarentur in vnum: quod est contra ipsum communem modum, quo omnes mixtionem concipimus. His suppositis,

§. II.

Statuitur prima conclusio.

4 Dicendum est primo mixtionem proprie acceptam esse naturaliter possibilem. Hæc assertio respondet primæ parti quæstionis, & est communis inter Philosophos, qui eam desumpserunt ex Aristot. *in hoc libro, capite* 10. Fundamentum colligitur ex ijs, quæ proxime prælibauimus: quoniam possunt naturaliter dari miscibilia, seu corpora facile diuisibilia, & habentia contrarias qualitates, valentque mutuo conjungi, atque in ea proportione agere, & repati, vt

vt simul corrumpantur; neque enim in hoc apparet aliqua repugnantia: sed eæ sunt conditiones ad veram mixtionem requisitæ: hæc igitur est naturaliter possibilis.

Confirmatur: quia vera mixtio facta ex quatuor elementis est nataraliter possibilis: ergo etiam est naturaliter possibilis mixtio ex aliis miscibilibus facta. Consequentia patet, tum à paritate, tum à fortiori, eo quod difficilius est coniungere in vnum, & mutuò applicare quatuor elementa, quam alia corpora miscibilia. Antecedens autem suadetur: quia igne descendente ad locum mixtionis, non est cur nequeat fieri mixtio ex quatuor elementis: cum hæc ex natura sua ordinentur ad generationem mixtorum, & habeant qualitates inter se contrarias per quas valent agere, & reagere, & disponere ad generationem alterius tertij ab omnibus elementis distincti: at sic est, quod ignis potest descendere ad locum mixtionis, & applicari aliis elementis, vt docet D. Thom. *in hoc lib. lect.* 24. his verbis: *Quod autem ignis sit in aëre patet per Philosophum in lib. Meteororum. Dicit enim, quod ambitus ignis per aërem frequenter spargitur motu, id est per virtutem cælestis motus, & fertur violentia deorsum: & ideo sunt aliquæ partes ignis & in rore, & in vaporibus pluuialibus descendentes, quas vapores accipiunt in regione aëris calefacta: & ideo aquæ pluuiales sunt vaporosæ, & calidæ. Et hæc est etiam causa, quod niue descendente; non est tanta intensio frigoris, sicut in aliis hyemalibus. Sic ergo cum pluuia, & rore, & aliis huiusmodi descendunt partes ignitæ ad locum mixtionis.* Igitur nulla est ratio ob quam repugnet mixtio ex quatuor elementis facta.

§ Aduersus hanc communem assertionem opinabantur nonnulli ex Philosophis antiquis, vt refert Arist. *in hoc lib. cap.* 10. possetque eorum placitum pluribus suaderi. *Primo:* quia nequeunt misceri ea, quæ non sunt: sed miscibilia non sunt, cum corrumpantur substantialiter in instanti, in quo dicuntur misceri: ergo misceri non valent. *Secundo:* quoniam vt detur mixtio, debet omnium miscibilium materia simul informari forma mixti, ad quod requiritur, vt omnia miscibilia simul, & in eodem instanti corrumpantur: hoc autem videtur incredibile; siquidem habent magnam inæqualitatem in actiuitate, & resistentia, vt ex eorum naturis constat: ergo mixtio vera nequit naturaliter fieri. *Tertio:* nam vel miscibilia sunt æqualis virtutis; & tunc neutrum aget in aliud; siquidem à proportione æqualitatis non datur actio: vel sunt virtutis inæqualis; & tunc miscibile fortius aget in alia, eaque conuertet in se: ac proinde nõ fiet mixtio ex omnibus miscibilibus. *Quarto:* quia non est designabilis propria causa mixti: non quidem vniuersalis vt puta cælum; nam cum mixtum sit effectus particularis, debet causã particularem vẽdicare, & illi correspondere. Nec potest dici, quod ipsa elemẽta, ex quibus fit mixtio, sint causa illius; tum quia nihil destruit se ipsũ; causa autem mixtionis destruit elementa, seu miscibilia. Tum quia elemen-

menta sunt imperfectiora mixto. *Quinto* : quoniam descensus ignis ad loca inferiora est contra eius inclinationem, proindeque non naturalis, sed violentus : ergo saltem mixtio ex igne, & aliis elementis non est naturaliter possibilis. Alia omittimus hic, quæ inferemus *quæst. sequenti.*

Hæc verò, & si videantur veritatem à nobis stabilitam obnubilare; illam tamen minime eneruant, vt constabit eis occurrendo. Ad primam enim obiectionem respondetur, quod licet missibilia corrumpantur, manent tamen eorum materiæ, & secundum illas misceri sub vna forma dicuntur. Maxime cum miscibilia relinquant suas virtutes in mixto, vt infra *num.* 17. declarabimus; ac proinde perseuerant virtualiter in eo, quod satis est vt misceantur.

Ad secundam negatur minor: nam licet inter elementa detur magna inæqualitas in virtutibus, queunt tamen sub illa proportione applicari, vt elementum minus actiuum ratione maioris resistentiæ conseruetur vsque ad instans in quo elementum magis actiuum perit; & sic vtrumque in eodem instanti intrinseco corrumpatur. Quod incredibile minime censendum est, tum ob hactenus dicta: tum quia productio mixtorum per rigorosam mixtionem spectat ad pulchritudinem vniuersi; & consequenter incumbit Auctori naturæres ita disponere, vt miscibilia tali proportione actiuitatis, & resistentiæ congrediantur, vt queant in eodem instanti perire. ¶ Per quod etiam soluitur tertia obiectio: quia licet actio debeat fieri à proportione maioris inæqualitatis; hoc tamen non tollit mutuam actionem, & reactionem miscibilium: potest quippè vnum miscibile excedere aliud in vna qualitate, atque ideo secundum illam agere in ipsum; & potest simul in alia qualitate esse inferius, ac proinde pati secundum eam vt diximus *disp. præced. num.* 15.

Ad quartam respondemus, quod licet per se loquendo, effectus particulares causis particularibus correspondeant, nihilominus non est inconueniens, vt pro aliquo effectu particulari recurramus non semel ad causam vniuersalem, videlicet cum non possumus ipsum in particularem causam conuenienter reuocare ob excessum eius supra prædictam causam. Et ita contingit in præsenti: maxime quando mixta per mixtionem producta habent vitam, vt cum ex aqua, & terra generantur vermes, aut alia animalia imperfecta: hos quippe effectus neque in cælum neque in elementum tanquam in causam principalem possumus reducere; sed ad primam causam, nempe Deum, necessario pro illis recurrendum est.

Ad vltimam negatur antecedens: nam descensus ignis ad hæc inferiora ordinatur ad maiorem perfectionem vniuersi, quæ exposcit non solum mixta facta per per calorem solis, vel ignis, qui est apud nos; sed etiam, quod mixta fiant per concursum ignis elementalis. Porro licet motus deorsum sit contra particularem inclinationem ignis; attamen prout conducit ad bonum commune,

mune, est iuxta inclinationem eius, quatenus est pars vniuersi: & huic posteriori inclinationi, vtpote præcipuæ, prior illa inclinatio subordinatur. Quapropter prædictus motus non violentus, sed simpliciter naturalis censendus est: vnde non tollitur, quod mixtio ex quatuor elementis sit possibilis naturaliter.

§. III.

Alia assertio pro dubij decisione.

6 Dicendum est secundo mixtionem veram, & propriam optime explicari per definitionem eius ab Aristot. traditam in præsenti, quæ sic se habet: *Mixtio est miscibilium alteratorum vnio.* D. Thom. *lect.* 25. & omnib. Peripateticis. Probatur ratione: quia illa definitio explicat optime naturam mixtionis veræ, & propriæ, & consequenter est recta, quæ breuiter; ac perspicue tradit omnes conditiones ad ipsam mixtionem desideratas: at definitio, quam Philosophus tradidit, præstat hoc: ergo est legitima. Minor sola explicatione indiget: etenim quod miscibilia ante mixtionem debeant esse separata, seu distincta, satis aperte significatur per ly *alteratorum*; siquidem alteratio non est eiusdem ad se ipsum. Deinde quod debeant habere qualitates contrarias per quas agant, & reagant, manifeste exprimitur per eandem particulam *alteratorum*: non enim valerent se mutuo alterare, & destruere, si essent omnino in virtutibus similia: nam simile non agit in simile. Præterea, quod miscibilia debeant substantialiter corrumpi, per eandem particulam *alteratorum* designatur: quandoquidem alteratio perfecta, & vltimo consumata inducit corruptionem eius, quod sic alteratur. In quo etiam clauditur præuia, ac mutua approximatio, & confusio miscibilium, quæ præsupponitur ad rigorosam mixtionem. Denique per illam particulam *vnio* liquido ostenditur debere miscibilia manere aliquo modo in mixto: si enim nullo prorsus modo persisterent, neutiquam possent inter se vniri. Sed eæ sunt omnes conditiones, quas supra pro vera mixtione recensuimus: ergo adducta Philosophi definitio declarat omnes conditiones, quas postulat mixtio definita.

Confirmatur: nam per hanc definitionem excluduntur omnes mutationes à mixtione diuersæ: ergo prædicta definitio est recta. Suadetur antecedens: quoniam in primis excluditur generatio; hæc quippe solum exposcit tria principia, nempe materiam, priuationem & formam: mixtio autem vltra hoc postulat, vt miscibilia simul alterentur, & aliquo modo perseuerent in mixto: quod satis exprimitur per definitionem Philosophi. Deinde corruptio terminatur ad non esse: mixtio vero terminatur ad formam mixti, ita quod miscibilia maneant secundum virtutes in eo; cum tamen ea, quæ pure corrumpuntur, nec virtualiter permaneant in alio: & hoc satis exprimitur per ly *vnio*. Denique in augmentatione, nutritione, alteratione, & latione, id quod augetur, nutritur, alteratur,

ac

ac mouetur localiter, manet ſubſtantialiter idem: at in mixtione vera omnia miſcibilia ſubſtantialiter corrumpuntur: nam mixtio eſt vnio miſcibilium perfecte alteratorum, hoc eſt corruptorum ſecundum formas ſubſtantiales, & permanentium præciſe ſecundum materias, atque virtutes. Quæ omnia complectitur definitio ab Ariſtot. tradita, conuenitque proinde ſoli mixtioni, & excludit omnes alias mutationes, quæ ab ea eſſentialiter diſtinguuntur: ergo eſt legitima.

7 Nihilominus Scaliger *exercitatione* 3. criminatur hanc definitionem mixtionis communiter receptam, pluribuſque eam nititur conquaſſare. *Primo*, quia hæc definitio explicat mixtionem per miſcibile: hoc autem eſt æque ignotum, ac mixtio: ergo eſt vitioſa; quandoquidem ignotum vitioſè exprimitur per aliud non minus ignotum. *Secundo*: quoniam miſcibile definitur per mixtionem: ergo hæc nequit definiri per illud; alias committetur circulus vitioſus. *Tertio*: nam miſcibilia corrumpuntur per mixtionem: hæc igitur non eſt vnio miſcibilium; ſiquidem nulla actio vnit ea, quæ deſtruit. *Quarto*: quia mixtio eſt quædam particularis generatio ad formam mixti terminata, vt colligitur ex Ariſtot. in Poſtpræ-dicamentis *cap.* de motu: ergo ſicut generatio in communi recte definitur, per hoc quod ſit tranſitus ſubiecti à non eſſe formæ ad eſſe illius; ſic debuit definiri mixtio per hoc, quod ſit tranſitus ſubiecti à non eſſe ad eſſe ſub forma mixti. *Quinto*: quoniam mixtum fit per mixtionem; ſicut calidum per calefactionem: at non omne mixtum fit ex miſcibilibus; cum Geneſis 1. dicatur quædam animalia facta fuiſſe ex terra, quædam vero ex aqua: ergo non omnis mixtio fit ex miſcibilibus, nec illa vnit; ac proinde tradita definitio non conuenit omni definito.

Sed hæc minoris momenti ſunt, vt ob ea deſerenda ſit definitio, quam vel ſola Ariſtot. auctoritas ſufficeret commendare. Et ideo ad primum argumentum reſpondetur, quod Philoſophus prius explicuit naturam miſcibilis, quam definiret mixtionem: eo autem explicato, potuit optime mixtionem per miſcibile definire, quin incurreret vitium definiendi ignotum per æque ignotum. ¶ Per quod patet ad ſecundum: nam Ariſtot. non explicuit naturam miſcibilis per mixtionem; ſed abſolute, & per conditiones ſupra adductas: quamobrem non incidit in circulum vitioſum definiendo mixtionem per miſcibile.

Ad tertium conſtat ex ſupra dictis, qualiter licet miſcibilia corrumpantur ſecundum formas, manent nihilominus, tum ſecundum ſuas virtutes, tum ſecundum materias, quæ ſub vna forma mixti vniuntur per identitatem: quocirca merito dicitur, quod mixtio eſt miſcibilium vnio. ¶ Ad quartum dicimus, quod mixtio eſt quædam generatio ſubſtantialis, non vtcumque; ſed cum omnibus conditionibus ſupra propoſitis, ratione quarum differt, ſaltem materialiter, ab aliis generationibus, quæ non ſunt mixtio. Et quia in præſenti tractatur de mixtione,

ne, quatenus dictas conditiones affert, & importat; idcirco non oportuit vti definitione generationis communiter acceptæ; sed debuit adduci specialis hæc definitio, quæ mixtionis conditiones apprimè declarat, vt supra vidimus.

Ad vltimum respondetur negando maiorem vniuersaliter intellectam: nam sicut calidum potest fieri per diuersas actiones, vtputa per generationem creationem, aut conuersionem; ita mixtum potest non solum per mixtionem sed etiam per generationem, vel aliam actionem produci. Etenim vt aliquid sit mixtum sufficit, quod habeat formam substantialem petentem quatuor primas qualitates elementorum, in quibus ipsa elementa virtualiter persistant: cæterum, vt fiat per mixtionem requiritur, quod ex mutua miscibilium alteratione resultet. Quocirca si illa animalia fuerunt producta ex sola terra, aut ex sola aqua; nulla ibi interuenit mixtio, quamvis ibi fuerit productio mixti. Addimus tamen ex illo Geneſis loco solum colligi, quod in prædictis animalibus terra, & aqua habeant maius prædominium, falsem secundum aliquam rationem. Quod expressit D. Thomas *in 2. distinct. 15. quæst. 2. art. 1.* his verbis: *In omnibus animalibus dominantur terra, & aqua secundum quantitatem, & materiam: quia nimirum in eis est multum de materia, & quantitate. Secundum virtutes autem, & qualitates magis dominantur in eis alia elementa, nempe ignis, & aër: quia illorum virtutes sunt calor, & humiditas; vita autem animalis consistit in calido, & humido.*

QVÆSTIO II.

Vtrum inter liquores sit vera, & propria mixtio?

EX dictis quæstione præcedenti constat mixtionem veram, & propriam esse naturaliter possibilem. Sed oportet insuper vt eandem veritatem inuestigemus in particulari. Et quia mixtio facilius cernitur inter liquores, propterea relictis aliis miscibilibus, difficultatem ad liquores specialiter reuocamus.

§. I.

Aperitur mens D. Thomæ.

8 DIcendum est primo non posse fieri veram mixtionem inter liquores non habentes contrarias qualitates, secundum quas possint mutuo agere, & reagere. Ita Ferrara, Victoria, & Cano, quos refert, & sequitur Nuñ 3. *p. quæst. 77. art. 8.* dicens esse opinionem communem inter Thomistas. Illam docet Aristot. *in hoc lib. cap. 10.* D. Thom. *ibidem lect. 25. & lib. 2.*

lib. 2. contra Gentes cap. 56. & lib. 4. cap. 35 vbi inquit: *Mixtio non est nisi eorum, qua communicant in materia, & qua agere, & pati ad inuicem nata sunt.* Idemque repetit in aliis locis, quæ lector facile offendet.

Fundamentum satis apparet ex supra dictis: quoniam ad veram mixtionem requiritur mutua alteratio miscibilium, tum quia id constat ex definitione mixtionis; tum quia miscibilia debent substantialiter corrumpi, quod absque præuia eorum alteratione fieri non valet: sed alteratio necessario postulat, quod ea, quæ alterantur, habeant qualitates contrarias; siquidem simile non agit in simile: ergo vt detur vera, & propria mixtio, necessarium est, quod miscibilia habeant contrarias qualitates, secundum quas possint agere, & reagere. Vnde inter duos liquores eiusdem speciei, & habentes easdem prorsus qualitates, vtputa inter duo vina alba, impossibilis est vera mixtio.

9 Dicendum est secundo inter liquores eiusdem, vel diuersæ speciei habentes contrarias qualitates, & tantam quantitatem, vt vnus queat diffundi per totum alium, esse possibilem veram, & rigorosam mixtionem. Hæc est D. Thom. *3. p. quæst. 77. art. 8.* cui subscribunt omnes Thomistæ, & alij plures. Probatur ratione: quoniam tunc fit vera, & propria mixtio, quando dantur miscibilia habentia contrarias qualitates, secundum quas possunt agere, & reagere: at hoc potest inueniri non solum in liquoribus diuersæ speciei, sed etiam in iis, quæ habent eandem speciem, vt videre est in duobus vinis, quorum vnum sit album, & aliud rubrum; hæc quippe habent qualitates inter se satis contrarias, vt constat ab effectibus: ergo possibilis est vera mixtio inter liquores tam diuersæ, quam eiusdem speciei, dum habeant qualitates contrarias, per quas valeant mutuo agere, & se destruere.

§. II.

Referuntur opiniones aduersæ.

10 CApreolus *in 4. dist. 13. quæst. 1.* censet possibilem esse mixtionem inter liquores habentes qualitates omnino similes, dummodo in tanta quantitate misceantur, vt vnius partes intersecent, & peruadant partes alterius. Probatur primo ex D. Thom. *3. p. quæst. 77. art. 8.* vbi inquit: *Si enim permisceretur liquor in tanta quantitate, quod possit diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum: quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est; sed vtrumque transit in quoddam tertium ex his compositum.* Ergo ex mente S. Doctoris, vt detur vera mixtio, sufficit liquores adinuicem approximari secundum se totos; siue habeant qualitates contrarias, siue non.

Respondetur negando consequentiam:

quentiam: quia D. Thom. dum loquitur de liquoribus se mutuo intersecantibus, & intime penetrantibus, non excludit, quod habeant contrarias qualitates; sed potius hanc conditionem supponit, & includit: vnde expresse posuit exemplum suæ doctrinæ in duobus vinis habentibus qualitates contrarias, vt aperte deprehendet, qui textum legerit.

11 Secundo arguitur: quia non viuentia petunt certam, & determinatam quantitatem versus minimum; ac proinde nequeunt sub parte minore minima conseruari: sed duo liquores habentes easdem qualitates possunt se penetrare, & intersecare vsque ad partes minores minimis: ergo vterque liquor corrumpetur per hanc diuisionem, & generabitur alius liquor mixtus atque ab eis diuersus. ¶ Ad hoc tamen facile respondetur: quoniam licet pars minor minima nequeat separata consistere; adiuncta tamen aliis partibus eiusdem rationis valet optime conseruari. Et ita contingit in duobus liquoribus eiusdem prorsus rationis: licet enim secundum omnes partes se se penetrent; tamen omnes partes habent easdem qualitates: vnde se mutuo fouent, & vniuntur.

12 Durandus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 13. negat inter liquores vnius speciei fieri veram mixtionem, quamvis habeant qualitates contrarias. Huic etiam opinioni subscripsit Suarius *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 57. *sect.* 4. meditatò recedens à D. Th. cuius fatetur esse contrariam sententiam. Probatur ratione: quia agens naturale intendit assimilare sibi passum, non quidem in esse individuali, cum hoc sit impossibile; sed in natura specifica: ergo quoties agens & passum sunt eiusdem speciei, nequit illud corrumpere istud: ergo liquores eiusdem speciei, quantumuis habeant qualitates contrarias, non valent se mutuo substantialiter corrumpere; ac proinde ex eis non fiet vera mixtio.

Respondetur causam propriam mixti resultantis ex duobus liquoribus eiusdem speciei, non esse ipsos liquores; sed cœlum, vel aliam causam vniuersalem: inter quam & mixtum certum est dari dissimilitudinem in specie. Prædicta autem causa mediis virtutibus liquorum inter se contrariis, & peculiari eiusdem causæ influentia, destruit dispositiones requisitas ad formas ipsorum liquorum; atque inducit alias dispositiones congruas formæ mixti producendi. Vnde licet agens nequeat agere in passum eiusdem speciei, & virtutis; potest tamen ex motione causæ superioris agere in passum eiusdem speciei, quoties hoc habet virtutes, & dispositiones sibi contrarias.

13 Arguitur secundo: quia ex nostra sententia sequitur, quod si duo vina consecrata habentia diuersas virtutes secundum se tota contingerentur; sub nullo eorum maneret sanguis Christi: consequens est absurdum: ergo &c. Sequela ostenditur: quoniam sanguis Christi tandiu est sub speciebus vini consecrati,

quandiu esset sub illis substantia vini: sed in nostra sententia mixtis duobus vinis diuersæ, & contrariæ virtutis, vtrumque corrumpitur, & sequitur nouus liquor à præexistentibus substantialiter, ac indiuidualiter distinctis: ergo in prædicto casu desineret sanguis Christi esse sub illis accidentibus. Minor etiam probatur: quia *in cap. Cum Martha* de celebratione Missarum dicitur, non transire vinum in sanguinem, neque illi commisceri, quoties post consecrationem vini mittitur aliud vinum in sanguinem. Quod tamen erat necessarium, vt sanguis Christi desineret esse sub speciebus vini consecrati.

Respondetur cum D. Thom. loco supra citato concedendo sequelam, quoties vinum consecratum, & vinum postea infusum habent contrarias qualitates, & transit sufficiens tempus, vt mixtio perficiatur. Id quippè conuincunt & ratio, quæ in argumento insinuatur, & aliæ, quas supra fecimus. Cæterum illud mixtum religiosè adhuc tractandum foret, tum quia nostra sententia non est euidenter certa: tum quia nescimus tempus necessarium, vt miscibilia pereant, & denuo generetur alius liquor. Probatio autem in contrarium inducta nullius roboris est: nam etsi vinum non immisceatur Christi sanguini; cum iste inalterabilis sit, potest tamen immisceri speciebus sacramentalibus, & illas alterare, si habet conditiones ad hoc requisitas. Corruptis vero speciebus, consequens est, vt sanguis Domini desinat esse sub illis. Hoc autem non contingit, cum vinum eiusdem speciei, & virtutis immiscetur vino consecrato: tunc enim quamvis species varientur quoad terminationem: manent tamen quoad entitatem, vt de mixtione liquorum eiusdem speciei, & virtutis diximus supra *num.* 8.

14 Nonnulli ex Recentioribus eo deueniunt, vt negent esse possibilem veram mixtionem inter quoscumque liquores, quantumuis sint diuersæ speciei, atque virturis. Quod, post argumenta quæ supra *num.* 5. fecimus, ac diluimus, autumant conuinci experientia: etenim vt tradunt Alchimistæ, per spongiam oleo imbutam, vel per medulam iunci solet extrahi vera, & pura aqua ex vino, & aqua prius admixtis: hoc autem satis indicat non præfuisse veram mixtionem, in qua vtrumque miscibile corrumpitur, siquidem à priuatione ad habitum nequit dari naturaliter regressus: ergo inter vinum, & aquam non datur vera mixtio: sed eadem est ratio de aliis liquoribus diuersæ speciei: ergo &c.

Respondetur ex D. Thom. *in 4. distinctione* 11. *quæst.* 2. *articulo quarto quæstiunc.* 4. prædictam experientiam solum habere locum, quando non est peractum tempus requisitum ad perfectam, & vltimatam alterationem inter aquam & vinum. Vbi autem debitum tempus pertransijt, non extrahitur vera aqua; sed quidam humor aqueus ex vino imperfectè decocto. Et hoc præcisè euincunt Alchimi

Alchimistæ suis experientiis. Quod si amplius intendant, parui eorum auctoritas facienda est; cum altius vrgeat sapientes ratio philosophica, quam supra extendimus.

QVÆSTIO III.

Quomodo miscibilia maneant in mixto?

VT magis expeditè ad ea, quæ difficiliora sunt accedamus; præsupponendum est, vt certum apud omnes, quod miscibilia manent aliquomodo in mixto. Nam alioqui mixtio esset mera miscibilium corruptio, non autem eorum vnio. Præsupponimus deinde miscibilia non permanere formaliter in mixto ex eo, quod eorum formæ substantiales maneant incorruptæ, & informent vnam eandemque mixti materiam. Id enim impossibile est, tum quia, vt ostendimus *in libr. Physicorum, disputatione quarta, quæstione quinta*, repugnat, saltem naturaliter, quod plures formæ substantiales informent eandem materiam: tum etiam, quia jam mixtum non esset ens per se; siquidem coalesceret ex formis adeo diuersis,

Qua etiam certitudine supponimus miscibilia non manere formaliter in mixto, quatenus eadem numero accidentia, quæ fuerunt in miscibilibus, transmigrent ad informandum mixtum. Hæc quippe transmigratio nequit, saltem naturaliter fieri; cum accidentia indiuiduentur à subiecto. Præterquam quod corrupto subiecto, nempe miscibili, nequeunt non ipsius accidentia perire. Quamobrem necessario infertur permanentiam miscibilium in mixto solum esse virtualem. Sed adhuc circa huius permanentiæ modum est non modica difficultas, cui dirimendæ quæstio, quam nunc versamur deseruit. Et claritatis gratia eam ad elementa, ac miscibilia ex eis resultantia singillatim reducemus in ijs quippe frequentius cernitur mixtio. Quidquid autem de elementis, & eorum mixtis dictum fuerit debet etiam aliis proportionabiliter applicari.

§. I.

Dirimitur difficultas aliquibus assertionibus.

15 DIcendum est primo elementa non ideo manere virtualiter in mixto, quia huius forma substantialis contineat eminenter formas elementorum eo modo, quo anima rationalis continet formam vegetatiuam, & sensitiuam. Hanc docet Caietanus *prima parte quæstione 76. articulo quarto, §. in responsione ad quartum*; quem sequuntur alij Thomistæ. Probatur ratione effi-

eaci : nam forma continens eminenter formas inferioris rationis præstat perfectiori modo effectus, quos forma inferior posset communicare cum in genere causæ efficientis, cum in genere causæ formalis, vt patet in anima rationali, quæ est principium vegetandi, & sentiendi perfectiori modo, quam anima vegetatiua, & sensitiua : at sic est, quod forma mixti non præstat perfectiori modo effectus, quos conferrent formæ elementorum : siquidem imperfectius calefacit, aut humectat, quam ignis, & aqua, vt experimento liquet : ergo non ideo elementa dicuntur manere virtualiter in mixto, quia istius forma contineat eminenter illorum formas.

16 Dicendum est secundo continentiam virtualem elementorum in mixto non consistere in eo, quod mixtum habeat vnam simplicem qualitatem, æquiualentem quatuor primis qualitatibus elementorum. Ita Aristotel. 4. *Meteor. capite primo*, Diuus Thomas *prima parte quæstione 76. articulo quarto ad quartum*, & *quæstione 72. articulo primo*, quos sequuntur omnes Doctores, *num. seq.* referendi. Probatur ratione : quoniam si in mixto non darentur quatuor qualitates inter se contrariæ ; sed vna simplex qualitas eis æquiualens ; sequeretur, quod mixtum non esset corruptibile : consequens est absurdum : ergo elementa non ideo dicuntur permanere virtualiter in mixto, quia hoc habeat vnam simplicem qualitatem æquiualentem primis quatuor qualitatibus propriis elementorum. Sequela ostenditur : nam eadem qualitas non est sibi aduersa, nec valet se ipsam destruere : ergo mixtum non esset ab intrinseco corruptibile, si non haberet qualitates contrarias, sed vnam simplicem illis æquiualentem. ¶ Ad hæc nihil dicitur manere virtualiter in alio ratione eius, quod non est proprium illius : sed qualitas simplex, & æquiualens primis qualitatibus, nullius elementi est propria : ergo elementa non dicerentur manere virtualiter in mixto, si istud haberet illam simplicem qualitatem.

17 Dicendum est tertio elementa ideo manere virtualiter in mixto, quia istud habet quatuor primas qualitates, nempe calorem, frigiditatem humiditatem, & siccitatem, quæ sunt propiæ virtutes elementorum. Hanc statuunt Aristot. *in præsenti textu* 84. D. Thom. *opusc. 33. in fine*, & *9. contra Gentes, capite 55. & loco supra citato ex prima parte*, vbi inquit : *Dicendum est secundum Philosophum in 1. de Generatione, quod formæ elementorum manent in mixto, non actu, sed virtute : manent enim qualitates propriæ elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementarium.* Vnde hanc sententiam amplectuntur communiter Thomistæ, Capreolus *in secunda distinctione 30. quæstione prima ad primum contra primam concluſ.* Caietanus *prima secundæ quæstione 52. articulo secundo*, Bañez *in præsenti, capite 10. quæst. 3.* Quibus ex extraneis consentiunt

Valle-

Vallesius, Toletus, Conimbr. Rubius, & alij plures.

Fundamentum est: quoniam tunc aliquid remanet virtualiter in alio, cum illius propria virtus manet in hoc: sed quatuor primæ qualitates sunt virtutes propriæ elementorum, per quas licet inhæreant mixtis, ipsa elementa operantur: ergo optime saluatur permanentia virtualis elementorum in mixto, ex eo, quod in isto remaneant virtutes illorum propriæ. Probatur minor: quia omne, quod est tale per participationem operatur in virtute eius, quod est tale per essentiam: sed ignis v. g. est calidus per naturam, & alia sunt calida per participationem ab igne: ergo calor mixtorum est virtus propria ignis, & per quam ipse operatur. Et eadem ratio militat in aliis primis qualitatibus, quæ residunt in mixtis, & sunt propriæ elementorum.

Confirmatur, & declaratur amplius: nam quia Deus habet *esse* per naturam, creatura autem solum habet *esse* per participationem à Deo, ideo creatura non attingit *esse* sui effectus absolute sumptum, nisi in virtute Dei; virtute verò propria attingit *esse* vt modificatum, & determinatum, vtputa esse equinum vel esse leonicum: sed calor conuenit igni per naturam, & mixtis per participationem ab igne: ergo licet calefactio vt modificata, & refracta tribuatur mixtis; attamen absolute sumpta attribuenda est igni tanquam causæ præcipuæ, quæ operatur per calorem mixtorum tanquam per virtutem propriam. Vnde cum vnumquodque dicatur manere virtualiter in virtute sibi subordinata, per quam operatur; optimo jure dicendum est elementa manere virtualiter in mixto, eo quod in isto inueniuntur quatuor primæ qualitates, quæ sunt propriæ virtutes elementorum.

18 Dices primo: successio vnius post aliud non sufficit, vt istud dicatur manere virtualiter in illo; alias diceretur homo manere virtualiter in cadauere: sed calor mixti succedit calori ignis, & ab eo indiuidualiter differt: ergo non est ratio, cur dicatur ignem, vel eius calorem manere virtualiter in calore mixti.

Respondetur concedendo, quod successio vnius post aliud non sufficit vniuersaliter ad permanentiam rei pereuntis in ea, quæ manet: quandoquidem possent se habere disparatè inter se, & nullum alteri subordinari. At cùm virtus, quæ manet subordinatur ex natura sua rei, quæ perit, vti se habet quicumque calor respectu ignis; nequit non id, quod perit, persistere virtualiter in eo, quod remanet. Et quia quatuor primæ qualitates vbicumque sint, sunt secundum se virtutes elementorum propriæ: propterea elementa manent virtualiter in mixto, cui insunt prædictæ virtutes.

19 Dices secundo in mixto non inueniuntur primæ qualitates nisi refractæ: sed vt refractæ sunt virtutes connaturales ipsi mixto, & non elementis: mixtum igitur operatur principaliter per illas, ac proinde elementa non dicuntur manere virtualiter in mixto ratione

ne prædictarum virtutum.

Respondetur nullum esse inconueniens in eo, quod eadem actio sub duplici ratione formali tribuatur duplici agenti principali, & particulari: sicut prima volitio Angeli, quatenus vitalis, tribuitur Angelo vt causæ particulari; & quatenus se habet vt proprietas voluntatis angelicæ, tribuitur Deo tanquam causæ particulari, & proximæ. Similiter motus cordis, sub ratione primi, tribuendus est generanti; & sub ratione vitalis, ab ipso animali procedit. Actio etiam qua creatura attingit *esse* vt particularizatum, procedit principaliter à creatura; sed quatenus attingit idem *esse* absolute, soli Deo tanquam causæ particulari attribuenda est. Sic ergo ex eo, quod virtutes elementales vt refractæ sint propriæ, & connaturales mixtis, solùm concluditur, quod actiones ab eis procedentes, vt refractæ, & remissæ, ipsis mixtis vt causis particularibus debeant accenseri. Quod non tollit, vt eædem actiones sub alia ratione, nempe secundum se, & quatenus procedunt à virtutibus, quæ secundum suam naturam sunt propriæ elementorum, debeant attribui ipsis elementis vt causis particularibus vt constat tum ex doctrina supra tradita; tum exemplis proxime adductis.

§. II.

Diluuntur argumenta contraria.

20 ADuersus doctrinam hactenus stabilitam duæ, aliis relictis militant opiniones. Prima explicat continentiam virtualem in mixto per hoc, quod forma substantialis mixti contineat eminenter formas substantiales elementorum Ita Scotus *in 2. dist. 15. quæst. vnic. §. sed tamen.* Gregor. & Gabr. ibidem *distinct. 16.* Probatur primo: quia mixtum, vt præintelligitur ad quatuor primas qualitates, componitur ex elementis; siquidem pro illo priori est corpus non simplex, seu elementare, sed mixtum atque ideo compositum: atqui prædicta compositio nequit in alio consistere, quam in continentia eminentiali formarum substantialium elementorum: ergo eæ continentur eminenter in forma mixti, & per hoc saluabitur, quod elementa permaneant virtualiter in eo.

Respondetur negando minorem: quia vt prædicta substantia in illo priori intelligatur esse non elementaris, sed mixta, seu composita; satis est, quod intelligatur exigere, & radicare quatuor primas qualitates vt refractas, & redactas ad quandam mediocritatem, & concordiam. Ad quod tamen nullo pacto desideratur tanta excellentia, vt contineat eminenter formas substantiales elementorum.

21 Secundo arguitur: nam si ad rationem mixti, in quo resident vir-

virtualiter elementa, sufficeret habere quatuor qualitates illorum proprias; sequeretur aliquod elementum esse vere mixtum: consequens est absurdum: ergo præter permanentiam illarum qualitatum, requiritur, quod forma mixti contineat eminenter formas substantiales elementorum. Sequela ostenditur: quia cùm aqua calefit ab igne, habet omnes quatuor qualitates elementales, videlicet humiditatem, & frigiditatem ex se; calorem vero, & siccitatem ab igne: ergo si habere quatuor qualitates sufficit ad rationem mixti; sequitur, quod elementum, nempe aqua, sit vere mixtum.

Respondetur negando sequelam, quam illius probatio minime euincit: nam ad veram rationem mixti est necessarium habere illas qualitates non vtcumque; sed vt ipsi connaturales, atque radicatas, ac fundatas in vno communi principio; quod est forma substantialis eiusdem mixti. Hoc autem minime reperitur in aqua calefacta ab igne: quandoquidem duæ qualitates nimirum calor, & siccitas, non profluunt ab eius forma; sed ei conueniunt ab extrinseco, & per impressionem violentam.

22 Secunda sententia nobis contraria tenet elementa manere virtualiter in mixto ratione cuiusdam qualitatis simplicis, & continentis virtualiter quatuor qualitates elementorum. Quam defendunt Albert. 2. *Physic. tit.* 2. *cap.* 1. Durand. *in* 4. *dist.* 12. *qu.* 3. Soncinas 10. *Metaph. qu.* 27. & alij. Probatur primo ex Aristot. *in hoc lib. text.* 48. vbi docet mixtum resultans ex calido, & frigido neque esse calidum, neque esse frigidum; sed medium quoddam inter hæc extrema: ergo sentit, quod in mixto non dantur formaliter calor, & frigiditas; sed tertia quædam qualitas continens virtualiter calorem, & frigiditatem.

Respondetur Aristot. solùm intendere, quod mixtum non sit calidum præcisè, & in summo; neque frigidum præcisè, & in summo: sed quod simul sit calidum, & frigidum in debita quadam temperie. Per hoc enim optime saluatur, quod non sit aliquod ex prædictis extremis; sed medietas inter illa: est quippe complexum ex eis resultans, atque ab eis distinctum.

Arguitur secundo: quia sicut se habent formæ substantiales mixtorum, & elementorum, sic se habent eorum qualitates: at destructis formis substantialibus elementorum, non succedunt in mixto plures formæ substantiales; sed vna simplex; quæ illis æquiualeat: ergo nec succedunt plures qualitates; sed vna simplex qualitas, quæ qualitatibus elementorum destructis æquiualenter respondeat.

Respondetur formas substantiales non proportionari suis accidentibus in eo, quod vbi est vna forma, debeat esse præcisè vna qualitas: alias ignis non haberet duas qualitates, nempe calorem, & siccitatem, quod est absurdum. Vnde ex eo quod mixtum non habeat plures formas substantiales; minime infertur, quod non

possit habere plures qualitates. Et ratio disparitatis est satis nota: nam mixtum est vnum ens per se: atque ideo nequit constitui nisi per vnicam formam substantialem. Rursùs quatenus mixtum, debet continere virtualiter elementa, & esse ab intrinseco corruptibile; ad quod non sufficit vna simplex qualitas; hæc quippe non est propria vllius elementi; nec valet agere in seipsam vt ponderauimus supra.

DISPV

LIBER SECVNDVS
DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

ABSOLVTIS in primo huius tractatus libro ijs quæ ſpectant ad notitiam generationis, & corruptionis in communi, incipit in hoc ſecundo Ariſtoteles agere de generatione, & corruptione in particulari acceptis. Et quia elementa ſunt prima corpora, ex quibus fiunt omnia mixta, & in quæ cætera reſoluuntur; propterea diſſeruit in hoc libro de tranſmutatione elementorum, priuſquam ad alias generationes magis in particulari deſcenderet. Tractat autem hanc materiam per decem capita, in quibus etſi plura complexus fuerit; tria tamen ſunt, quæ præcipue præſtitit, & quibus majori indagine, reſciſis alijs, oportet incumbere in præſenti. Primum eſt natura, & numerus elementorum: ſecundum eſt temperamentum mixtorum: tertium rerum reproductio. Et his elucidandis deſeruient quatuor ſequentes diſputationes, quibus vltimam huic operi manum adhibemus.

DISPVTATIO X.

De Elementis, & eorum qualitatibus.

QVÆ de generatione, & corruptione elementorum dicemus postulant ad sui intelligentiam, vt prius dicamus nonnihil de eorum natura, & qualitatibus: pro quibus exponendis aperimus præsentem disputationem.

QVÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit elementum?

ELementi nomine solet quoduis rei principium significari: qua ratione litteræ appellantur elementa, quia ex eis coalescunt dictiones; & materia, ac forma queunt dici elementa respectu compositi. Cæterum in præsenti elementi vocabulo solùm intelligenda veniunt quatuor prima corpora, nimirum ignis aër, aqua, & terra, ex quibus generantur mixta, & quibus *elementi* nomen communis jam arrogauit vsus. Horum autem existentia, & satis manifesta est, & ex dicendis amplius apparebit: quocirca relinquimns quæstionem *an est*, vt naturam, ac numerum eorum inuestigemus. Quod majoris claritatis gratia seorsim examinabimus.

§. I.

Respondetur primæ parti quæstionis.

1 DIcendum est primo elementi naturam optime exponi descriptione, quam statuit Arist. *lib. 3. de cœlo cap. 3 text. 31.* & sic se habet: *Elementum est corpus actu, vel potentia existens in alijs corporibus, in quod alia corpora diuiduntur; ipsum vero est indiuisibile in alteram corporis speciem.* Quam descriptionem illustrat Diuus Thomas, *ibidem*, & 5. *Metaphysic. lection.* 4. & admittunt communiter Philosophi, & sola declaratione probauimus. Per illam particulam *corpus* conuenit elementum cum aliis corporibus, quæ elementa

ta non sunt, nempe cum cœlis, & mixtis. Ex per eandem manent excluſa alia principia, vtputa materia forma &c. quæ etſi alias dicantur elementa; tamen non habent eſſentiam elementi communis generice, & proxime ad ignem, aërem, aquam & terram: hoc quippe debet eſſe ſubſtantia completa, nempe corpus. Additur: *Exiſtens actu, vel potentia in aliis corporibus:* quia de ratione elementi eſt, quod exiſtat aliquo modo in mixtis: per quod excluduntur priuatio, & alia principia purè extrinſeca, quæ non petunt exiſtere intrinſece in eo cuius ſunt principia. Dixit autem Ariſtot. *actu, vel potentia*, non quia exiſtimauerit elementa manere actu in mixto; ſed quia adhuc ſub lite erat modus, quo mixtum continebat elementum, vt vidimus *diſputat. præced. quæſt. vlt.* à qua difficultate ſe abſtraxit Philoſophus in præſenti ſub illa diſiunctione procedens. Per illa verba: *In quod alia corpora diuiduntur*, ſeu reſoluuntur, manent excluſa corpora cœleſtia: hæc enim ſicut non intrant compoſitionem mixtorum; ita nec ſunt id, in quod reſoluuntur mixta: quod tamen ob oppoſitam rationem competit elementis. Tandem adijcitur: *Et indiuiſibile in alteram ſpeciem*, quibus verbis denotatur differentia inter elementa, & mixta: ſiquidem hæc queunt reſolui in diuerſa ſecundum ſpeciem, videlicet in elementa, ex quibus componebantur: illa vero, cum ſint corpora prima, & ſimplicia, non valent reſolui in corpora ſpecie diſtincta; ſed ſolum in partes eiuſdem rationis, vt aqua in aquas, & terra in diuerſas terræ portiones.

2 Ex quibus ſuadetur, quod prædicta definitio ſit legitima: quoniam conuenit omnibus quatuor elementis, & excludit omnia alia, quæ prædicta elementa non ſunt. Deinde optimè notificat elementi naturam, vt liquet ex iis, quæ pro illius illuſtratione diximus. ¶ Ad hæc: alia elementa verbi gratia litteræ reſpectu vocis, ſunt id, ex quo componitur dictio, & in quod dictio reſoluitur; ipſæ vero litteræ nequeunt vlterius reſolui, neque in alias dictiones, neque in alias litteras: ergo pariter natura elementi, prout eſt quid commune ad quatuor corpora, quæ vulgò dicuntur elementa, optime declaratur per hoc, quod ſit id, ex quo componitur mixtum, & in quod mixtum reſoluitur; ipſum vero eſt irreſolubile in alia corpora diuerſa ſecũdum ſpeciem: quod totum complectitur definitio ab Ariſt. tradita.

3 Obijcies: tota hæc definitio conuenit partibus ligni: & tamen elementa non ſunt: ergo conuenit aliis à definito. Suadetur maior: nam pars ligni eſt corpus, ex quo componitur lignum; & non eſt diuiſibilis in alia corpora diuerſa ſecundum ſpeciem; ſiquidem medietas partis ligni eſt etiam lignum. ¶ Reſpondetur negando maiorem: quia quæuis pars ligni poteſt per alterationem reſolui in elementa: quamobrem nequit ei adducta definitio adaptari; vt optime vidit D. Thom. 5. *Metaph. lect.* 4. vbi ait: *Sciendum, quod cum in*

definitione elementi ponatur, quod non diuiditur in diuersa secundum speciem, non est intelligendum de partibus, in quas aliquid diuiditur diuisione quantitatis; sic enim lignum esset elementum, quia quælibet pars ligni est lignum: sed de diuisione, quæ fit secundum alterationem, sicut corpora mixta resoluuntur in simplicia.

§. II.

Determinatur secunda quæstionis pars.

4 Dicendum est secundo dari quatuor tantũ elementa, nempe ignem, aërem, aquam & terram. Hæc statuitur ab Aristot. *in præsenti cap.* 3. & est communis inter Philosophos. Probatur ratione: quoniam quælibet combinatio duarum primarum qualitatum petit aliquod elementum seu corpus simplex in quo naturaliter sit; sicut quælibet combinatio quatuor primarum qualitatum exigit aliquod mixtum, cui naturaliter conueniat: atqui ex primis quatuor qualitatibus possunt excogitari quatuor præcise combinationes petentes quatuor corpora simplicia, quibus insint: quatuor ergo sunt elementa, & non plura, nec pauciora. Maior constat: quia nomine elementi intelligimus corpus simplex radicans duas præcise qualitates ex quatuor primis; sicut nomine mixti intelligitur corpus, quod radicat plusquam duas. Minor solum indiget declaratione: etenim primæ quatuor qualitates sunt calor, humiditas, frigiditas, & siccitas: ex quibus sex possumus excogitare combinationes, videlicet siccum, & calidum; calidum, & humidum; humidum, & frigidum; frigidum, & siccum; calidum, & frigidum; siccum, & humidum. Porro eæ duæ posteriores combinationes ineptæ sunt, vt conueniant alicui elemento: nullum quippe potest habere duas qualitates inter se contrarias; cum hoc sit proprium mixtorum, quæ propterea sunt corruptibilia ab intrinseco, etiam secluſa actione alterius agentis contrarij. Vnde solum supersunt quatuor combinationes exigentes quatuor elementa; nam siccum, & calidum conuenit igni; calidum, humidum aëri; humidum, & frigidum aquæ; frigidum, & siccum terræ. Totidem igitur, & non plura sunt mundi elementa.

5 Respondebis primo huic argumento negando minorem: quia licet non possint fieri plures combinationes ex prædictis qualitatibus absolute, & secundum se consideratis; queunt tamen aliæ plures coniugationes excogitari ex eisdem sumptis secundum latitudinem suæ intensionis. Quod declaratur exemplo: nam siccum potest coniungi cum calido in summo, & cum calido valde remisso, & cum calido mediocriter intenso: idemque apparet discurrendo per alias qualitates. Vnde iuxta diuersitatem harum combinationum possent dari alia elementa, quibus ipsæ naturaliter competerent.

Sed contra est: quoniam prædictæ combinationes vel non sunt naturaliter possibiles, vel non petunt elementa essentialiter diuersa ab his, quæ

quæ recenſuimus. Quod ſatis erit oſtendere in exemplo, quod aduerſus nos vrgetur, & debet in contrarium retorqueri: etenim ſiccum in elementis non poteſt coniungi cum calore niſi in igne: alia quippe elementa nequeunt ſimul habere has duas qualitates; ſiquidem vna coniugatio duarum qualitatum conuenit vnico dumtaxat elemento. Porro calor ignis ſummus eſt, vt ex dicendis conſtabit. Quamobrem ſiccitas elementalis non eſt coniungibilis cum calore, niſi iſte ſit in ſummo. Aliæ vero coniugationes, quæ formantur ex iis duabus qualitatibus non deſeruiunt pro elementis; ſed pro mixtis, in quibus reperiuntur ſimul cum qualitatibus contrariis ad varia temperamenta reductis.

Reſpondebis ſecundo conceſſis præmiſſis, negando conſequentiam: quia licet ex illis primis quatuor qualitatibus, quas recenſuimus non poſſint formari niſi quatuor combinationes pro quatuor elementis: attamen præter illas primas qualitates dantur aliæ plures, quæ in eis non fundantur, & conſequenter ſunt primæ, expoſcuntque alia elementa, quibus naturaliter competant. Dari autem prædictas qualitates ſatis euincunt virtutes magnetis, piperis, vini, & medicamentorum: ſiquidem huiuſmodi virtutes non fundantur in primis quatuor qualitatibus; alias inuenirentur in omnibus mixtis, quibus inſunt dictæ quatuor qualitates. Quod eſt abſurdum, & contradicit experientiæ.

Sed contra: nam Ariſtot. in præſenti nomine primarum qualitatum intelligit qualitates, quæ primo ſeruiunt generationi mixtorum: tum quia ſub hac ratione conſiderat elementa: tum quia ſicut generatio præcedit perfectionem rei; ſic qualitates deſeruientes generationi appellantur primæ reſpectiue ad alias qualitates, quæ conferunt ornatum. Vnde cum calor, frigiditas, humiditas, & ſiccitas ſint qualitates primo, & præcipue deſeruientes generationi; fit conſequens, vt ſint ſimpliciter primæ qualitates, & debeant eis mediis omnes aliæ reſultare. Nec oppoſitum ſuadetur ex occultis virtutibus quorundam mixtorum: nam omnes illæ dependent, & fiunt dependenter à quatuor primis qualitatibus; ſiue iſtæ concurrant inſtrumentaliter, ſiue ſolum diſpoſitiue ad illarum reſultantiam. Ex quo tamen minime infertur, quod omnes illæ qualitates omnibus mixtis conueniant: quia prædictæ primæ qualitates queunt diuerſo modo attemperari, & ſubordinari diuerſis influentiis cælorum: quamobrem fundant diuerſas virtutes in diuerſis mixtis, iuxta differentias prædicti temperamenti.

7 Aduerſus concluſionem opponeſ primo Ariſtot. *in lib. de mundo ad Alexandrum cap.* 2. *&* 3. vbi aſſerit quinque eſſe elementa: ergo non ſunt tantum quatuor. ¶ Reſpondetur Ariſtot. multoties tribuere nomen elementi cælo, quia eſt corpus ſimplex ſicut elementum: & in hoc ſenſu dixit elementa eſſe quinque. Minime tamen ſentit, quod cælum habeat naturam elementi, ſecundum quod de eo tractamus hic.

8 Oppo

8 Oppones ſecundo eundem Philoſophum 4. *de cælo* vbi duas præciſe ponit differentias elementorum, nempe graue, & leue: ergo elementa non ſunt plura, quam duo. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam: nam cum elementum diuiditur per graue, & leue, diuiſio non eſt vltima, ſed ſubalterna: ſiquidem ſub graui continetur graue ſimpliciter, nempe terra, & graue in reſpectu ſcilicet aqua: & ſub leui continetur leue ſimpliciter, nimirum ignis, & leue in reſpectu, videlicet aër.

9 Tertio obijcies: quoniam non datur verus ignis elementaris: ergo non dantur omnia elementa, quæ recenſuimus. Suadetur antecedens; quia ſi daretur ignis elementaris eſſet leuiſſimus, & conſequenter locaretur ſupra alia elementa: hoc autem eſt falſum, tum quia Ariſt. 1. *Meteor. cap.* 3. cum numeraſſet terram, & aquam ſubiunxit: *Circa quæ illa quoque ſunt, quæ hiſce hærent, atque id, quod quamvis ignem aſſueuimus appellare; ignis tamen haudquaquam eſt.* Tum etiam, quia ignis eſt rubeus: nihil autem ſupra aërem apparet rubeum. Tum præterea, quia ignis vtpote valde actiuus conſumit materiam ſibi proximam: ac proinde ſi eſſet ſupra aërem, & ei contiguus, non poſſet non illum diſſipare, excidiumque afferret vniuerſo. Tum denique, quia deficiente materia combuſtibili, deficit ignis: at in concauo lunæ nulla eſt materia, quæ cumburatur: ergo ibi non datur ignis.

Reſpondetur negando antecedens; ad cuius probationem concedimus ſequelam, & negamus minorem, cui nulla ex inductis probationibus ſuffragatur. Non quidem auctoritas Ariſtot. nam ſolum negat dari ignem ſupra aërem, ſecundum quod ignis nomen impoſitum eſt ad ſignificandum ignem noſtrum, qui materiæ terreæ concretus eſt. Sed ſtatim *cap.* 4. concedit ſupra aërem naturam aliam, quæ ſit calida, & ſicca: quam ipſe, & nos in præſenti appellamus ignem. Non prima probatio: quoniam lux ignis noſtri ideo apparet rubra, quia admiſcetur opaco terreæ materiæ: & ignis in propria ſphæra ob abſentiam illius materiæ eſt omnino clarus, & tranſparens: vnde etiam habet non impedire viſionem cœlorum. Non ſecunda: quia licet ignis agat in aërem, hic tamen reagit in ignem: eorum vero mutuus congreſſus temperatur per virtutem corporis cæleſtis, & ita compeſcitur, vt nullum orbi inferant nocumentum, vt docet D. Thom. *quæſt.* 5. *de malo art.* 5. *ad* 6. Non denique tertia: nam ignis apud nos exiſtens peregrinatur extra propriam ſphæram, & ſubit iniuriam ab innumeris contrariis: quo circa eget materia, à qua paſcatur, & cui affigatur, vt melius poſſit ſe aduerſus ſibi contraria tueri. Hoc autem ceſſat in propria ſphæra: quapropter ibidem non indiget extraneo alimento.

QVÆSTIO II.

Qualiter primæ quatuor qualitates conueniant singulis elementis.

IN hac quæstione, quam rerum multitudo inobscurare solet, magna cum distinctione procedemus. Sed priusquam ea, quæ majoris negotij sunt, determinentur, alia in quibus nullum est dissidium breuiter prælibabimus. *Primo* ergo supponendum est, quod elementum debet habere duas qualitates, & non plures nec pauciores: id, quod satis constat ex dictis *quæstion. præcedenti*, nec exposcit maius examen. *Secundo* animaduertendum est vnamquamque ex primis qualitatibus habere summam intensionem in aliquo elementorum: quoniam primum, hoc est maximum, & perfectissimum in quolibet genere est causa aliorum, quæ sunt in tali genere: primæ autem quatuor qualitates residentes in elementis sunt causæ omnium similium qualitatum, quæ in aliis corporibus inueniuntur, vtputa calor elementaris est causa omnium aliorum calorum, frigiditas elementaris est causa omnium aliarum frigiditatum: quapropter prædictæ qualitates debent habere in aliquo ex elementis maximam, ac perfectissimam intensionem. *Tertio* præmittendum est nullam ex prædictis qualitatibus habere summam intensionem in duobus elementis; sed in vno tantum: nam quælibet qualitas elementaris considerata secundum illam intensionis rationem, quam habet in aliquo elemento, est proprietas ipsius: vnde si in aliquo habet summam intensionem; repugnat, quod eandem habeat in alio: alias non esset propria passio prioris; sed accidens commune vtrique. Quapropter hoc ipso, quod ostendatur aliquam ex iis qualitatibus habere summam intensionem in vno elemento; conuictum etiam relinquitur, quod in alio habet intensionem citra summum.

Quarto supponimus vt omnino certum calorem in summo reperiri solum in igne. Tum quia hæc est communis Philosophorum sententia manifestæ sensuum experientiæ innixa, cui peruicacia foret obsistere. Tum etiam, quia nobilissimo elemento debetur perfectissima qualitas prima, & in perfectissimo gradu: at ignis est nobilissimus elementorum; & calor est qualitas perfectissima inter primas; & perfectissimus gradus, est gradus summus: ergo calor summus reperitur solum in igne. Tum præterea, quia ignis est elementum actiuius: ergo debet sibi vendicare qualitatem maximæ actiuitatis: quæ non est alia, quam calor summus. Tum denique, quia sicut leuitas prouenit ex calore, ita summa leuitas debet ex summo calore prouenire: sed ignis est corpus omnium elementorum leuissimum

& ideo ſedem ſibi locat ſupra alia elementa : ergo ignis habet maximum, ſeu ſummum calorem. Vnde ſolum remanet difficultas circa alias tres qualitates, quam per ſequentes concluſiones ſtudebimus extricare.

§. I.

Cui elemento conueniat ſiccitas ſumma.

10 DIcendum eſt primo ſummam ſiccitatem conuenire igni. Hanc expreſſe docet D. Thom. *in præſenti lect.* 3. his verbis: *Non eſt autem intelligendum, vt quidam dicunt, quod terra licet ſit magis ſicca, quam frigida, quod propter hoc ſit ſiccior igne: quia littera non dicit: ratio enim in contrarium perſuadet.* Cum enim ſiccitas debeat habere ſummam intenſionem in aliquo elemento, vt conſtat ex iis, quæ præmiſimus; & non inueniatur ſiccitas in aëre, & aqua, vtpote quæ humida ſunt, ſi ignis ſiccitas ſuperat ſiccitatem terræ, vt diſertis verbis tradit S. Doctor, ſequitur iuxta mentem illius, quod in igne inueniatur ſiccitas ſumma. Vnde hanc ſententiam amplectuntur Bañez *in hoc lib. capite* 3. *quæſt.* 2. & alij ex Thomiſtis, quibus conſentiunt Auicenna *in ſuo lib. de Cœlo capite vlt.* B. Albert. *in præſenti tract.* 1. *capite* 14. & alij

Probatur ratione: quia duæ ſunt radices, & diſpoſitiones ad ſiccitatem, videlicet frigiditas comprimens, & condenſans corpora, ac proinde conſumens humidum; & calor euaporare faciens humiditatem, illamque ſubinde diſſipans: quorum vtrumque cernitur in terra, quæ maxime exſiccari ſolet tempore æſtatis, & tempore hyemis; in illo ob calorem euaporantem, in iſto ob frigiditatem comprimentem: at ſic eſt, quod ex iis duobus ſiccitatis principiis potentior eſt calor, quam frigiditas; cum ſit qualitas maxime actiua: ergo corpus ſumme calidum erit ſumme ſiccum, excedetque in ſiccitate aliud quodcumque corpus, tametſi frigidiſſimum ſit: ſed ignis eſt elementum maxime calidum, vt ſupra diximus: ergo vendicat ſibi ſummam ſiccitatem.

11 Nec refert, ſi dicas *primo*, quod falſo ſupponimus in hac ratione calorem ignis eſſe cauſam ſiccitatis eiuſdem ignis: nam vtraque qualitas fit per dimanationem ab igne; vnde neutra queit alteram cauſare. *Secundo*, quod licet calor violenter impreſſus reſoluat humidum; non tamen calor naturaliter conueniens, vt appareat in aëre, qui eſt ſimul calidus, & humidus: quia eæ qualitates conueniunt ei naturaliter. Vnde cum calor ſummus conueniat connaturaliter igni, non eſt cur ſecum neceſſario afferat ſummam ſiccitatem. *Tertio*, quod quamvis in mixtis tantum detur ſiccitatis, quantum adeſt humiditatis, quia valent vtramque qualitatem habere; hoc tamen ob oppoſitam rationem non procedit in elementis, vt conſtat in aëre, qui quamvis excludat, ſeu

non

non habeat aliquem gradum humiditatis, non propterea habet aliquem gradum siccitatis : ergo ex eo, quod ignis ratione summi caloris excludat omnem humiditatem, non sequitur quod habeat summam siccitatem.

Non inquam, hæc referunt : ad *primam* enim obiectionem respondetur, quod licet tam siccitas, quam calor procedant effectiue ab igne per naturalem dimanationem ; nihilominus calor est causa dispositiua respectu siccitatis, ac proinde ratio, seu radix vt siccitas resultet. Ad *Secundam* respondemus calorem summum, vbicumque sit, & siue violenter, siue naturaliter, esse incompossibilem cum quouis gradu humiditatis : ac proinde ex eo, quod ignis sit summe calidus, recte infertur, quod nihil humiditatis habeat. Aer autem ideo queit simul cum calore habere humiditatem : quia eius calor non est summus ; sed temperatus : vnde admittit humiditatis consortium. Ad *tertiam* dicendum est quod licet ex summo calore solum sequatur directe absentia cuiuscumque humiditatis ; nihilominus in præsenti ratione materiæ etiam infertur siccitas summa. Et ratio est : quoniam siccitas debet habere summam intensionem in aliquo ex elementis ; & non existit nisi in igne, & terra : cumque ad siccitatem aptior sit dispositio calor, quam frigiditas, sequitur ignem esse sicciorem terra, & consequenter siccum in summo.

12 Contrariam nihilominus sententiam asserentem summam siccitatem non conuenire igni, sed terræ defendunt Alexand. *lib. Meteor. comment.* 13. Toletus hic *quæst. 6.* Conimbr. *cap. 3. quæst. 4. &* alij. Probatur primo ex illo Geneseos 1. vbi terra vocatur *arida*, non ob aliud, nisi quia in ea maxime viget siccitas, quæ est præcipua proprietas illius, vt exponit D. Thom. 1. *p. quæst. 69. art. 1. ad 5.*

Respondetur, quod vt terra vocetur *arida* sufficit habere siccitatem in gradu excellenti, licet illum non habeat in summo. Angelicus autem Doctor non loquitur ibidem in propria opinione, sed ex sententia D. Basilij, quæ satis probabilis est. Vnde ait : *Vel potest dici secundum Basilium, quod primo nominabatur terra secundum naturam suam ; nunc autem nominatur ex sua principali proprietate, quæ est siccitas.*

13 Secundo arguitur : *nam siccum est, quod facilè terminatur termino proprio ; difficilè verò alieno*, ex Aristot. *cap. 2. huius libri* : sed hoc præcipue conuenit terræ ob eius maximam soliditatem, & duritiem : ergo terra, & non ignis habet summam siccitatem. ¶ Respondetur negando minorem : nam licet terra vtpote habens siccitatem in gradu excellenti, sit valde terminabilis termino proprio : hoc tamen excellentius conuenit igni, qui est maxime terminabilis per terminos proprios ob maximam siccitatem qua gaudet. Aliud fundamentum desumptum ex quadam auctoritate Philosophi infra *num.* 26. aptius diluemus.

§. II.

Quodnam elementum habeat humiditatem in ſummo?

14 DIcendum eſt ſecundo ſummam humiditatem inueniri in aqua. Ita D. Thom. *in præſenti lect.* 3. vbi inquit: Aqua; *humidior eſt quam aër*, ac proinde ſentit eſſe humidam in ſummo: quandoquidem humiditas ſumma ſolum poteſt conuenire aëri, vel aquæ; ſiquidem ignis, & terra nullam humiditatem habent: vnde ſi aqua excedit aërem in humiditate, plane infertur ſummam humiditatem in ſola aqua inueniri. Idemque docent omnes fere Philoſophi antiqui, & plures ex junioribus.

Probatur ratione: quia de huiuſmodi qualitatibus iudicandum eſt per ſenſus; cum ſint ſenſibilia propria: ſed per tactum experimur aquam magis humectare, quam aërem; imo vero iſtum aliquando exſiccare alia corpora: ergo humiditas aquæ ſuperat humiditatem aëris; & conſequenter eſt ſumma. ¶ Confirmatur primo: nam aquatilia, vt piſces, ſunt magis humida, quam volatilia, ſeu aues: ergo ſignum eſt, quod aqua eſt humidior aëre. ¶ Confirmatur ſecundo: quoniam piſces ſunt maxime phlegmatici: phlegma autem eſt humor inter omnes humidiſſimus: ergo elementum aquæ, piſcium domicilium, eſt ſumme humidum. ¶ Confirmatur tertio, & vrgentius: nam actio debet fieri à proportione maioris inæqualitatis: ſed tempore pluuiæ aqua humectat aërem: ergo aqua eſt humidior aëre.

15 Reſpondebis huic rationi qualitatem minus intenſam frequenter producere effectum perfectiorem, quam producatur à qualitate magis intenſa: eo quod illa ſit affixa ſuiecto denſiori, ac debiliori: vt videre eſt in ferro candenti efficacius calefaciente, quam flamma; quamvis hæc habeat intenſiorem calorem. Vnde ex eo, quod aqua magis humectet, quam aër, non infertur, quod illum ſuperet in humiditate; cum illa maior humectatio poſſit aliunde prouenire, nempe ex maiori aquæ denſitate. Porro, quod aër, aliquando exſiccet alia corpora eſt per accidens, & ratione caloris, quem ſimul cum humiditate habet: eò quod calor habet virtutem ad exſiccandum.

Sed contra: nam humiditas in eo ſubiecto habet majorem intenſionem, quod eſt melius diſpoſitum ad humiditatem ipſam: ſed frigiditas magis diſponit ad humiditatem, quam calor; ſiquidem frigiditas conducit, vt humiditas tenacius inſit ſubiecto, calor vero reſoluit humidum: ergo cum aër ſit calidus; aqua vero frigida; ſequitur, quod hæc habeat majorem humiditatem, quam ille; ergo quod aqua magis humectet, non in aliam diſpoſitionem; ſed

in

in ipsam majorem humiditatem reuocandum est. Maxime cùm aqua humectet ipsum aërem : quod fieri minime posset, si aer esset humidior aqua, vt supra ponderauimus, & ex se liquet. Per quod euanescit exemplum illud ferri candentis : istud enim nec inducit effectum intensiorem, quam flamma : licet citius suum effectum inducat; nec valet ipsam flammam calefacere. ¶ Id vero, quod in hac euasione additur, nullius roboris est : nam si aer esset summe humidus, non valeret adhuc per accidens exsiccare ratione caloris : sicut quia ignis est summe calidus nequit per accidens infrigidare, ratione siccitatis; licet alias siccitas conjuncta frigiditati conducat ad infrigidandum, vt contingit in terra. Vtrobique enim militat eadem ratio, vt considerans deprehendet.

16 Aduersus nostram sententiam sentiunt Auctores supra relati *num.* 12. existimant enim summam humiditatem non conuenire aquæ, sed aeri. Quod potest suaderi primo : quoniam humidum secundum Aristotel. *capite secundo huius libri*, est *indeterminatum* proprio *termino*, *& bene terminabile alieno* : sed hoc magis conuenit aeri, quam aquæ; nam cùm sit magis fluidus, difficiliùs terminatur termino proprio, & facilius termino alieno : ergo aër est humidior; quam aqua; ac proinde erit humidus in summo.

Respondetur negando minorem: quia vt docent Aristotel. 4. *Meteor.* & D. Thom. *ibidem lection.* 7. aqua est primum fluxibile, & primum indeterminabile termino proprio; atque ideo habet humiditatem in summo. Quod si aer difficile terminatur termino proprio, & facile per alienum; non ideo est, quia habeat humiditatem in summo, sed quia gaudet humiditate excellenti ad quod etiam magna illius raritas conducit.

17 Secundo arguitur : quoniam aer debet habere aliquam primam qualitatem in summo : sed non habet calorem, aut siccitatem in summo, vt constat ex dictis; neque frigiditatem, vt ex dicendis constabit : ergo habet summam humiditatem. Suadetur major : quoniam aer, sicut & alia elementa, debet manere virtualiter in mixto, ad quod constituendum simul cum aliis elementis concurrit : hoc autem fieri non potest, nisi habeat aliquam qualitatem in summo; siquidem effectus reducetur adæquatè ad alia elementa in quibus huiusmodi qualitates habuerint summam intensionem, sicut omne imperfectum reducitur ad perfectum intra suum genus : ad aerem vero non reducetur; cùm in eo nulla qualitas habeat maximam sui generis perfectionem. Porro huiusmodi reductio effectus in causam necessaria est, vt hæc dicatur in illo virtualiter permanere, vt constat ex dictis *disput. præced. quæst. vltima.*

Respondetur negando majorem: ad cuius probationem dicendum est humiditatem ita in aere per conjun-

nem caloris modificari, vt ei correſpondeat peculiaris ratio in mixto, quæ non correſpondet humiditati aquæ, licet iſta ſumma ſit : vnde videmus humiditatem ſanguineam attribui non aquæ, ſed aëri. Quod ſatis eſt, vt aër dicatur in mixtis virtualiter permanere : quoniam humiditas ſic modificata, & temperata ita eſt proprietas aëris, vt nulli alteri elemento competat, nec valeat niſi in aërem reduci.

§. III.

In quo elemento inueniatur ſumma frigiditas?

18 Dicendum eſt tertio frigiditatem in ſummo ſoli terræ conuenire. Hanc præter Auctores *num.* 10. relatos defendunt Galenus *lib.* 1. *de elementis cap.* 3. Auicenna *lib.* 1. *fen* 1. *doct.* 2. Albertus *in præſenti tract.* 1. *cap.* 12. & alij. Illamque expreſsè docet D. Thom. *in hoc libr. lect.* 3. vbi inquit : *Aqua eſt minus frigida, quam terra.* Cumque frigiditas ſolum inueniatur in his duobus elementis ; ſequitur, quod ſi frigiditas terræ eſt major, ſit frigiditas ſumma : debet enim habere ſummam intenſionem in aliquo ex elementis. Quod etiam perſpicue tradit idem S. Doctor *libr.* 2. *de Cœlo textu* 18. his verbis : *Ignis, & terra ſunt contraria, quia maxime diſtant ſecundum contrarietatem ſitus, in quantum vnum eſt grauiſſimum, & aliud leuiſſimum : quantum vero ad alias qualitates ignis etiam maxime contrariatur terræ, ſicut calidiſſimum frigidiſſimo.*

Ex quibus verbis formatur primum fundamentum pro noſtra aſſertione : quoniam ſicut quælibet qualitas ſecunda reducitur tanquam in radicem, aut diſpoſitionem in aliquam qualitatem primam ; ita contrarietas inter duas qualitates ſecundas debet reuocari in contrarietatem inter duas qualitates primas : ſed ignis & terra habent maximam contrarietatem in duabus qualitatibus ſecundis, videlicet in leuitate, & grauitate ; cum ignis ſit maxime leuis, & vendicet ſupremum locum inter elementa : terra vero ſit maxime grauis, habeatque infimum, ac vltimum locum mundi : ergo huiuſmodi contrarietas reuocari debet in contrarietatem inter primas qualitates horum elementorum : ſed reuocari non poteſt in ſiccitatem ; cum ignis, & terra in ſiccitate conueniant : ergo debet reduci in alias duas qualitates, nempe in calorem, & frigiditatem : ac proinde ſicut ignis eſt ſumme leuis, quia ſumme calidus ; ita terra eſt ſumme grauis, quia ſumme frigida : ergo ſumma frigiditas conuenit terræ.

19 Secundum fundamentum proponit Ang. Doct. *in præſenti lect.* 3. dicens : *Frigiditas cauſatur ex diſtantia ab orbe, ſicut caliditas ex propinquitate. Cum ergo inter cætera elementa terra magis diſtet à Cœlo ; neceſſario ſequitur, quod terra frigidiſſima ſit inter omnia elementa.* ¶ Confirmatur, nam in partibus remotioribus à ſole, & proximioribus polis viget maxima frigiditas : & ſimiliter

liter in hyeme ob receſſum ſolis vehemens frigus vrget: ergo ex diſtantia alicuius corporis à ſole optime deducitur, quod prædictum corpus ſit frigidum: conſtat autem, quod terra magis diſtat à ſole, quam alia elementa: ergo eſt omnium frigidiſſima; ac proinde habet frigiditatem in ſummo.

20 Nec refert, ſi dicas qualitates primas conuenire elementis ab intrinſeco, & per naturalem ſequelam; non vero ex influentia extrinſeca corporis cœleſtis: & conſequenter non recte colligi maximam frigiditatem in eſſe terræ, eò quod maxime diſtet à cœlo. ¶ Non, inquam, hoc refert: quoniam elementa, & eorum qualitates conſeruantur dependenter ab influentijs cœlorum, quibus proinde debent ſeſe componere, ac conformare. Vnde cùm influentia cœli in terram ob maximam diſtantiam ſit minimè calida; neceſſarium eſt, quod etiam terra habeat ſummam frigiditatem, & quod hæc ab illa naturaliter reſultet.

21 Plures ex Auctoribus, *num.* 12. relati exiſtimant ſummam frigiditatem non conuenire terræ, ſed aquæ. Et probatur primo: nam ſecundum Philoſophum *in hoc libr. text.* 49. ignis eſt contrarius aquæ, & aër terræ: ergo ſicut ignis eſt calidiſſimus; ita aqua eſt frigidiſſima. ¶ Reſpondetur negando conſequentiam; quia Philoſophus non loquitur de contrarietate in vna qualitate ſeorſim accepta; ſed de contrarietate in combinatione vtriuſque qualitatis. Ignis enim habet combinationem calidi, & ſicci; aqua vero habet oppoſitam combinationem frigidi, & humidi. Similiter aër eſt calidus, & humidus; terra vero frigida, & ſicca. Per quod non tollitur, quod calor ignis maximè, ac directè opponatur frigiditati terræ; & quod ſicut ille eſt ſummus, ita hæc ſit ſumma.

22 Arguitur ſecundo: quia animalia perfecta viuunt in terra tanquam in domicilio temperatæ cuiuſdam habitationis; nequeunt autem diu eſſe, ac habitare in aqua ob eius frigiditatem, vt experimento liquet: ergo ſignum eſt, quod aqua terram in frigiditate excedit. ¶ Confirmatur: nam ſenſus, quorum judicio in hac parte ſtandum eſt, experiuntur aquam eſſe frigidiorem terra: ergo frigiditas ſumma non terræ, ſed aquæ attribuenda eſt.

Reſpondetur ad argumentum, quod hæc ſuperior terræ pars ab animalibus terreſtribus habitata temperatur ab auctore naturæ per varias influentias cœlorum, vt ſit commoda habitatio viuentium perfectorum: quibus potius, quam naturis elementorũ ſecundum ſe acceptis attendit Deus. Vnde mirum non eſt, quod hæc terræ portio ſit minus frigida, quam aqua: licet frigiditas propria terræ conſideratæ ſecundum ſe (quo pacto de ea loquimur in præſenti) excedat aquæ frigiditatem. ¶ Per quod patet ad confirmationem: nam ſenſus communiter loquendo non tangunt niſi vltimam hanc terræ ſuperficiem; quocirca experiuntur majorem frigiditatem in aqua. Diximus *communiter*

niter loquendo, quia non ſemel in profundiſſimis terræ cauernis plus frigoris, quam in tota aqua experiuntur. Quod ſatis indicat terram ſibi relictam eſſe frigidiorem aqua.

§. IV.

Conſectaria præcedentis doctrinæ.

23 EX dictis colligere poſſumus combinationes qualitatum conuenientes ſingulis elementis. Nam, ſi vera ſunt, quæ diximus, infertur primo ignem eſſe calidum in ſummo, & etiam ſiccum in ſummo. Primum conſtat ex dictis *num.* 9. & ſecundum ex dictis *num.* 10. in quo immorandum amplius non eſt. ¶ Infertur ſecundo terram eſſe frigidam in ſummo, & ſiccam citra ſummum. Primum liquet ex ijs, quæ proxime diximus *à num.* 8. Secundum vero probatur: quia vnumquodque elemẽtum debet habere duas qualitates: terra autem nequit habere calorem; cum ſit ſumme frigida; nec humiditatem, cum hæc reperiatur in aliis duobus elementis nempe in aëre, & aqua: vnde ſupereſt, vt habeat ſimul cum frigiditate ſiccitatem: at non habet illam in ſummo, vt pater ex ſupradictis *num* 10. ergo terra eſt ſicca citra ſummum. ¶ Infertur tertio aquam eſſe humidam in ſummo, & frigidam citra ſummum. Primum oſtendimus ſupra *num.* 14. Secundum autem ſuadetur: nam aër cum ſumma humiditate nequit habere vllam ſiccitatem: deinde non poteſt habere calorem; cum hic inueniatur in aliis duobus elementis nempe in igne, & aëre: vnde ſequitur, quod habeat frigiditatem: cumque frigiditas ſumma conueniat terræ, vt ſtatuimus *num.* 18. plane infertur, quod aquæ ſolùm conueniat frigiditas citra ſummum.

24 Infertur quarto aërem eſſe calidum citra ſummum, & humidum citra ſummum. Corollarium hoc traditur ab Ariſtotel. & D. Th. in præſenti, & facile ſuadetur ex dictis: etenim, quod aër ſit calidus probatur: nam ignis eſt maxime calidus, quia eſt elementum proximius cœlo: ſed aër ſequitur immediate poſt ignem: ergo nequit non aliquem calorem habere. Deinde, quia ignis eſt ſumme leuis, colligitur eſſe ſumme calidum: ſed aër eſt leuis cum quadam excellentia: ergo debet habere aliquid caloris. Tandem, quoniam elementa contigua debent habere aliquam qualitatem, in qua conueniant: ſed aër eſt contiguus igni, & non conuenit cum illo in ſiccitate, vt ſtatim dicemus: ergo habet calorem, in quo conueniat cum illo. ¶ Quod autem aër ſit humidus, ſuadetur, tùm quia humidum eſt, quod difficile terminatur termino proprio, & facile per alienum: aër autem eſt huiuſmodi: ergo eſt humidus. Tum etiam, quia, vt proxime dicebamus, elementa contigua habent vnam qualitatem ſymbolicam: ſed aër eſt aquæ contiguus, & non conuenit cum ea in frigiditate; ſiquidem aër eſt calidus: ergo debet habere humiditatem, in qua cum

aqua

aqua conueniat. ¶ Denique quod neutram qualitatem habeat in ſummo liquet ex dictis : quoniam nulla qualitas poteſt conuenire in ſummo duobus elementis : ſed calor ſummus conuenit igni , & humiditas ſumma conuenit aquæ : ergo aër non habet calorem in ſummo , nec humiditatem in ſummo ; ſed importat vtramque qualitatem citra ſummum. Ex ijs autem duabus qualitatibus magis viget in aëre humiditas , quam calor , vt tradit D. Thom *in præſenti lection.* 3. his verbis : *Cum virtus mouentis ſit minor in remoto , quam in propinquo ; minus calefacit motus cœli materiam aëris : imo quaſi minime : remanebit ergo humida magis quam calida.*

25 Sed obijcies : aër in media ſui regione habet diſpoſitionem ſibi naturaliter conuenientem : at ibidem eſt valde frigidus , vt communiter docent Philoſophi : ergo aer non eſt humidus , & calidus ; ſed humidus , & frigidus. ¶ Confirmatur : quoniam inde colligimus aquam eſſe naturaliter frigidam ; quia remotis extrinſecis agentibus, remanet frigida : ſed aër per ſolam abſentiam agentium ipſum calefacientium manet frigidus , vt appareret in hyeme , in qua remotis radijs ſolaribus , habet magnam frigiditatem : ergo aer ſecundum ſuam naturam eſt frigidus.

Reſpondetur , quod ſicut terra ex natura ſua , & ſibi relicta eſt valde frigida ; & nihilominus hæc terræ portio , quam habitamus eſt temperata ob influentiam cœlorum , vt ſupra diximus *num.* 22. ita aër ex natura ſua calidus eſt ; quo tamen non obſtante , habet per accidens in media ſui regione magnam frigiditatem. Quoniam vapores , & exhalationes , quæ ab aqua , & terra extrahuntur , ſunt valde frigidæ , ſicut elementa , ex quibus generantur , aſcendunt autem ſurſum virtute ſolis : & quò magis recedunt à terra , eò plus deperdunt caloris , quem habebant ſibi impreſſum ex radiorum ſolarium reuerberatione. Vbi vero perueniunt ad mediam aëris regionem , prohibentur vltra progredi ratione magni caloris , qui in ſuprema aeris regione viget , & vaporibus aſcendentibus ſe ſe opponit : & ſimiliter non facile deſcendunt propter obſiſtentiam caloris regionis infimæ , qui eorum deſcenſui obluctatur. Ex quo fit , quod propter antiperiſtaſim frigiditas vaporum in media regione exiſtentium melius conſeruetur: quia magis condenſantur , & eorum virtus magis vnitur. Vnde queunt aërem ex ſe calidum ſatis infrigidare : & hæc eſt ratio quare aër per accidens in media ſui regione ſit valde frigidus. Per quod ſoluitur obiectio , & ſimul patet ad confirmationem : nam quod aër tempore hyemis ſit frigidus, non oritur ex præciſa abſentia radiorum ſolarium ; ſed ex vaporibus , atque exhalationibus ab aqua & terra aſcendentibus , & infrigidantibus aërem. Vnde non concluditur , quod aër ſibi relictus ſit frigidus.

26 Cæterum omnibus ijs, quæ in hac

hac *quæst.* ſtabilire curauimus, aduerſus videtur. Ariſtot. *in hoc libr. text.* 23. vbi inquit: *ſed tamen, cum ſimpliciter quatuor ſint, vnius vnumquodque eſt. Terra enim ſicci magis, quã frigidi: aqua autẽ frigidi magis, quã humidi. Aer autẽ humidi magis, quam calidi. Ignis autem calidi magis, quam ſicci.* Quæ verba ſic exponit D. Th. *lect.* 3. *Oſtendit, qua qualitas in quolibet elemento dominetur, dicens, quod elementa, cùm ſint quatuor, & quodlibet habeat duas qualitates; non tamen habet eas æqualiter; ſed vnumquodque eſt vnius, id eſt in vnoquoque dominatur vna: ſicut in terra magis dominatur ſiccitas, quam frigiditas: in aqua magis frigiditas: quam humiditas: in aëre magis humiditas, quam caliditas: in igne vero magis dominatur caliditas, quam ſiccitas.* Quibus euerti videntur noſtræ aſſertiones: nam ſi in terra datur frigiditas in ſummo, & ſiccitas citra ſummum, vt ſtatuimus *numer.* 23. ergo in terra magis dominatur frigiditas, quam ſiccitas: oppoſitum autem conſequentis manifeſtè docet Philoſophus: ergo antecedens eſt falſum. Idemque poteſt vrgeri in aliis elementis: nam ſi in aqua magis dominatur frigiditas, quam humiditas: ergo aqua non eſt humida in ſummo, & frigida citra sũmum. Et ſi in igne magis dominatur calor, quam ſiccitas: ergo ignis non habet ſummam ſiccitatem.

Hæc tamen nec nobis, nec veritati aduerſantur. Quod vt conſtet, animaduertendum eſt Philoſophum loqui de elementis comparando ſuperius cum ſuo inferiori immediate, nempe ignem cum aere, & aquam cum terra: ita tamen, quod ſuperius habeat rationem agentis, & inferius rationem paſſi reſiſtentis. Quo ſuppoſito, meritò attribuit vt præcipuam qualitatem igni calorem, aeri humiditatem; aquæ frigiditatem, & terræ ſiccitatem: quoniam ignis præcipue agit per calorem; aer vero præcipue reſiſtit per humiditatem: & aqua præcipue agit per frigiditatem; terra autem præcipue reſiſtit per ſiccitatem. Cum quo tamen ſtat, & abſolutè cohæret, quod elementa habeant qualitates juxta modum ſupra præſcriptum, ita videlicet, quod ignis ſit ſiccus, & calidus in ſummo; aer vero calidus, & humidus citra ſummum; aqua autem humida in ſummo, & frigida citra ſummum; terra denique frigida in ſummo, & citra ſummum ſicca. Quod ſatis conſtat ex Angelico Doct. qui poſt verba relata, immediatè ſcripſit alia, quæ placuit tranſcribere: quia ea, quæ hactenus diximus, mirificè complectuntur, & apprimè confirmant. *Non eſt autem* inquit, *intelligendum vt quidam dicunt, quod terra licet ſit magis ſicca, quam frigida, quod propter hoc ſit ſiccior igne: quia litera non dicit: ratio enim in contrarium perſuadet. Duæ enim ſunt cauſæ ſiccitatis: vna eſt frigus condenſans; & comprimens humidum: & per conſequens remouetur ſiccitas, quæ non eſt aliud, quam humiditatis priuatio. Alia cauſa eſt caliditas humiditatem conſumens. Manifeſtum eſt autem, quod motus cauſat calorem, in eo, quod poteſt calefieri: neceſſe ergo eſt in materia illa*

illa maxime profundet, quæ semper est iuxta velocissimum motum. Hæc autem est materia ignis: vnde ignis est calidissimus omnium elementorum, vt dicitur secundo Metaphysic. Potentior est autem ignis caliditas ad consumendum humidum, quam terræ frigiditas: idcirco ignis siccior est, quam terra. Vlterius autem cum virtus mouentis sit minor in remoto, quam in propinquo, minus calefacit motus cœli materiam aeris, immo quasi minime: remanebit ergo humida magis, quam calida. Non tamen magis, quam aqua: quia in aqua est frigiditas faciens ad se fluere humidum: caliditas autem aeris non facit ad se fluere humidum: & ideo aqua est magis humida quam aer. Sensu enim sensibilia judicamus: manifestum est autem omnibus habentibus sensum tactus, quod aqua humidior est, quam aer. Est tamen minus frigida, quam terra. Quod sic patet: frigiditas enim causatur ex distantia ab orbe, sicut caliditas ex propinquitate: cùm ergo inter cætera elementa terra magis distet à cœlo, necessario sequitur, quod terra frigidissima sit inter omnia elementa.

QVÆSTIO III.

Vtrum in elementis qualitas minus intensa habeat permixtionem contrariæ.

AD perfecte intelligendam naturam elementorum necessaria est discussio, & decisio præsentis difficultatis: quam idcirco annectimus præcedentibus, priusquam progrediamur ad alia.

§. I.

Præfertur verior sententia.

27 DIcendum est qualitatem elementi minus intensam non habere in illo permixtionem contrariæ qualitatis. Hæc proculdubio est mens Philosophi, & D. Thom. *loco citato, quæst. præced.* & expensò *à num.* 26. vbi recensentes qualitates conuenientes singulis elementis, duas tantum vnicuique assignant: vnde aperte indicant non habere permixtionem contrariarum qualitatum. Quamobrem hanc sententiam sequuntur Alexand. 5. *Metaphys. comm.* 13. Zimara *Theorem.* 18. & in præsenti tradunt Venetus, Saxonia, Bañez, Rubio, & alij plurimi.

Probatur ratione: quoniam ha-

re quatuor qualitates inter se contrarias est proprium mixtorum : at elementa non sunt mixta ; sed corpora simplicia : ergo non habent contrarias qualitates ; atque ideo qualitas elementi minus intensa non habebit permixtionem contrariæ.

28 Respondebis naturam corporis simplicis non fore desumendam ex simplicitate qualitatum ; alioqui nullum elementum esset simplex, cum habeat duas qualitates ; sed accipiendam esse ex eo, quod habeat aliquam qualitatem in summo ; non vero temperiem primarum qualitatum : in hac quippe temperie consistit propria ratio mixtorum ¶ Sed contra : nam aer nullam qualitatem habet in summo, vt supra ostendimus *num.* 24. & tamen est verum elementum : ergo huius ratio non consistit in eo, quod habeat vnam qualitatem in summo ; sed in eo, quod habeat combinationem ex duabus præcisè qualitatibus.

Confirmatur primo : quoniam si aer simul cum calore, & humiditate haberet etiam ex se siccitatem, & frigiditatem ; nihil ei deesset ad veram rationem mixti ; quandoquidem haberet omnes quatuor qualitates ad quandam mediocritatem redactas, & nullam haberet in summo. Quod autem habeat humiditatem in gradu excellenti ; non impediret veram mixti rationem : plura quippe sunt mixta habentia frigiditatem, aut calorem excellentem, vt quædam venena, quæ ob eminentiam in dictis qualitatibus inferunt irreparabiliter mortem. ¶ Confirmatur secundo, & explicatur amplius : nam corpus non dicitur mixtum ex eo, quod habeat plures formas substantiales ; siquidem harum mixtio omnino repugnat : neque ex eo, quod habeat plures qualitates inter se non cõtrarias ; alioqui elementa ex eis constantia non essent corpora simplicia : ergo dicũtur mixta, quia habent mixtionem contrariarum qualitatum : ergo si qualitas minus intensa in elementis haberet permixtionem contrariæ, nulla esset diuersitas inter elementa, & mixta, quod est absurdum.

§. II.

Respondetur argumentis.

29 COntrarium magis arrisit omnibus ferè Nominalibus, quibus subscribunt Conimbr. *in hoc lib. c. 3. q. 5. a. 4.* Quod potest suaderi primo ex Arist. 5. *Phys. text.* 19. vbi inquit: *Magis autem, & minus ex eo est, quia plus, aut minus contrarij ineſt* : ergo in qualitatibus elementaribus quantum deest de vno contrario, tantum debet adesse de alio. ¶ Respondetur negando consequentiam : nam testimonium Philosophi procedit, quando subiectum ex natura sua respicit vtrumque contrarium : quod tamen non conuenit elementis, vt constat ex dictis.

30 Secundo arguitur : nam ex opsito sequitur : quod calor v. g. aëris possit intendi in instanti ab agẽte sibi contrario, nẽpe ab igne ; siquidem vbi non datur contrarium resistens, tota actio perficitur in instanti, vt constat in illuminatione : consequens est falsum, & contra experientiam : ergo &c. ¶ Respondetur negando se quelã : nam licet in aëre non detur frigiditas,

giditas, quæ directe resistat calefactioni; attamen datur alia qualitas, videlicet humiditas, quæ indirecte resistit: & ideo nequit aër fieri summe calidus in instanti. Illuminationi autem nulla est qualitas, quæ directe vel indirecte obsistat: & ideo queit instantaneè perfici.

31 Tertio arguitur: quia si aër non habet ex se aliquam frigiditatem, non poterit vnquam expellere calorem excedentem, & sibi ab igne impressum; subiectum enim non expellit à se vnam qualitatem, nisi quia habet oppositam: consequens est absurdum; siquidem ille maior calor est violentus aëri, & nihil violentum est perpetuum: ergo. ¶ Respondetur negando sequelam: nam licet aër non habeat qualitatem contrariam calori; petit tamen habere minorem calorem. Vnde sicut si peteret aliquam maiorem intensionem, reduceret se ablatis impedimentis ad illam: ita quia petit minorem intensionem caloris, reducet se ad eam, cessante impressione extrinseca ignis.

32 Vltimo arguitur: quia frequenter aër minus calidus remittit calorem alterius corporis magis calidi, vt experientia constat: hoc autem fieri non posset, nisi aër simul cum calore haberet aliquid frigiditatis: ergo in aëre, & aliis elementis qualitas minus intensa habet permixtionem qualitatis sibi contrariæ. ¶ Respondetur maiorem solum verificari in aëre, qui non sit purè elementaris, nec in sua puritate existat, sed aliquibus exhalationibus sit admixtus: hic enim potest ab extrinseco esse frigidus. Aër autem purè elementalis nullum corpus infrigidabit; & ideo neganda est consequentia: nam in præsenti loquimur de elementis, & eorum qualitatibus sibi relictis, atque in statu connaturali existentibus.

DISPVTATIO XI.

De mutua Elementorum Generatione.

POSTQVAM Philosophus statuit numerum elementorum, & & explicuit qualiter primæ qualitates eis conueniant; processit statim ad differendum de mutua eorumdem generatione. Cuius in hac parte mentem vt explicemus, præsentem disputationem ordimur.

QVÆSTIO I.

Vtrum quodlibet elementum possit ex alio immediate generari?

NOn loquimur de transmutatione elementorum secundum se tota: nam supponimus cum D. Thom. *lib.* 2. *contra Gentes cap.* 9. non posse naturaliter vnum elementum secundum se totum corrumpi, & transire in aliud: quippe pulchritudo, & ordo huius vniuersi postulat indemnem conseruationem horum corporum, quæ sunt partes principales illius. Et ideo quæstio solum procedit de transmutatione elementorum secundum partes: in iis enim transmutabilia sunt, vt experientia ipsa testatur. Merito autem in titulo ponitur illa particula *immediate*: nam quod vnum elementum queat in aliud *mediate* transire, adeo certum est, vt indignum sit discussione: nulla quippe repugnantia apparet in eo, quod aqua verbi gratia conuertatur in vaporem, & vapor in aërem. Vnde cardo difficultatis in eo versatur, vt determinemus, an possit dari transitus immediatus inter elementa tam symbola; quam dissymbola. Appellantur autem elementa *symbola*, quæ conueniunt in vna qualitate, vt ignis, & aër, qui conueniunt in calore: & aqua, & terra, quæ conueniunt in frigiditate. Dicuntur verò dissymbola, quæ in nulla qualitate conueniunt, sed in vtraque habent oppositionem, vti se habent ignis, & aqua: nam ille est calidus, & siccus; hæc vero frigida, & humida: & similiter aër, & terra; ille enim est calidus, & humidus; hæc autem frigida, & siccа.

§. I.

Eligitur pars affirmatiua.

1 DIcendum est posse quodlibet elementum immediate generari ex quolibet alio elemento. Hæc est Aristot. & D. Thom. vt statim ostendemus: quibus consentiunt Marsilius *in præsenti quæst.* 9. Saxonia *quæst.* 7. Toletus *quæst.* 8. Nymphus *comment.* 46. *quæst.* 1. Bañez *cap.* 4. *quæst. vnica*, & Conimbr. *eodem cap. quæst.* 1. *art.* 2. qui asserunt esse communem sententiam inter interpretes tam Græcos, quam Latinos.

Probatur primo ex Aristot. *in hoc lib. cap.* 4. vbi agens de mutua elementorum generatione inquit: *Quoniam igitur omnia innata sunt ad inuicem transmutari, manifestum est.* Vbi D. Thom. *Concludit, quod vniuersaliter manifestum est, quod quodlibet elementum ex quolibet generatur.* ¶ Confirmatur ex eodem Philosopho *loco citato textu* 24. vbi determinat difficiliorem esse transitum inter elementa dissymbola, quam inter symbola: ergo sentit prædictum transitum esse possibilem; alias vane diceretur difficilior.

Nec satisfacit expositio Aduersariorum, qui dicunt ex iis testimoniis solum

solum haberi, quod sit possibilis transitus inter omnia elementa; non vero, quod possit esse immediatus. Non inquam hoc satisfacit: quoniam doctrina Philosophi altior est, vt sensum adeo simplicem præcise contineat, qualem ei attribuunt Aduersarij. Quid enim lucis afferret Philosophus docens posse vnum elementum vtcumque, & mediate transire in aliud; cum hoc in comperto sit apud omnes? Deinde hoc pacto nullum fere foret discrimen inter elementa symbola, & dissymbola; siquidem mediate potest pariter vnum in aliud transire. Ad hæc vt absolute dicatur, quod aliquid potest transire in aliud, non sufficit transitus mediatus, sed requiritur immediatus: qua ratione non dicimus hominem posse transire in hominem; nempe quia homo solum fit mediate ex homine videlicet medio cadauere, semine, & aliis; cum ergo Philosoph. & D. Thom. absolutè doceant posse quoduis elementum conuerti in aliud; planum fit, vt loquantur de conuersione, seu transitu immediato: alias eorum locutio absoluta vel falsa esset, vel falsitati satis obnoxia, & æquiuocum sensum inducens.

2 Secundo probatur eadem assertio ratione: quoniam generatio substantialis fit quatenus vnum agit in aliud transmutando ipsum, & assimilando sibi: ad quod sufficit, & requiritur dari contrarietatem inter vtrumque in qualitatibus actiuis, & passiuis: sed inter omnia elementa datur immediata contrarietas in qualitatibus, quibus agunt, & patiuntur; siquidem elementa dissymbola habent contrarietatem in omnibus, symbola vero opponuntur saltem in vna: ergo possibilis est transitus immediatus inter quæcumque elementa; atque ideo poterit quodcumque elementum ex alio quouis immediate generari. ¶ Confirmatur, & explicatur: nam elementa ideo sunt transmutabilia, quia sunt contraria; sed sunt immediatè contraria, vel in omnibus qualitatibus, vel saltem in aliqua: ergo queunt ad inuicem immediatè transmutari.

3 Respondebis ex hac ratione potius inferri oppositum: nam elementa habent extremam contrarietatem: ab extremo autem in extremum nequit naturaliter dari transitus nisi per medium, vt apparet in semine, quod non valet transire immediate in hominem, nec homo immediate in terram propter maximam dissimilitudinem inter vtrumque: vnde cum inter elementa, & præcipue dissymbola detur maxima dissimilitudo, & contrarietas; non poterit vnum immediate conuerti in aliud.

Sed contra arguitur, & aperitur vis nostræ rationis: quia tunc præcise nequit dari transitus ab extremo in extremum, nisi per medium, quando tale medium petitur per se ab extremis: hac quippe de causa nequit fieri transitus immediatus à loco deorsum ad locum sursum, quia inter vtrumque requiritur per se locus medius: & è conuerso potest fieri transitus immediatus à summe tenebroso ad summe lucidum, quia inter summe lucidum, & summe tenebrosum nihil per se mediat: at *sic est*, quod inter elementa (siue *symbola*, siue

siue dissymbola sint)nullum medium per se petitur : ergo cum alias habeant contrarietatem immediatam, non est cur repugnet eis immediata transmutabilitas Minor constat:nam inde colligimus inter formam seminis, & formam hominis mediare per se formam embrionis:quia post formam embrionis humani statim sequitur per se forma hominis:sed post formam v. g. aëris producti ex aqua non sequitur per se forma ignis, sicut neque ad alium aërem non productum ex aqua : ergo inter aquam, & ignem non requiritur per se aër, nec aliquod medium;sed potest fieri immediatus transitus ab vno elemento in aliud. Per quod euanescunt exempla, quæ in hac responsione adducuntur.

Confirmatur, & declaratur amplius:nam si ignis agens est magnus, & aqua resistens est parua;hæc multum patitur,& ille repatitur paruum: ergo ignis seruatis suis qualitatibus, destruet aquam, & illam conuertet in se : & cum eadem ratio militet in aliis elementis, non est cur negetur immediatus transitus inter illa. Maxime cum formæ elementorum sint valde imperfectæ, & consequenter immediatæ materiæ ; in quo distinguuntur à formis mixtorũ:eæ quippe ob suam perfectionem supponunt materiam actuatam per alias formas & ideo prius materia accipit formam seminis,& embrionis,quam formam viuentis. Cuius contrarium ob oppositam rationem potest per se fieri in formis elementaribus : quæ proinde nullum per se loquendo, postulant medium inter se,vt ad inuicem transmutentur.

§. II.

Diluuntur rationes partis negatiuæ.

4 ADuersam nobis opinionem, saltẽ quo ad eleméta dissymbola defendunt Themistius 5. *Physic. text.* 9. Valles 4. *Physic. cap.* 5. Rubio *in præsenti c.6 tract. de gener. elementorum q.*1. & alij. Pro qua sententia arguitur primo ab experientiis:quoniã videmus aquam vehementer calefactam ab igne nunquam conuerti immediate in ignem ; sed prius resolui in vapores:ergo manifestum signum est, quod elementum dissymbolum nequit immediate in aliud dissymbolum transmutari.

Respondetur negando antecedens: nam potest ita ignis applicari aquæ, vt hæc immediate transeat in illum:si enim fornax respergatur gutis aquæ, non est cur hæc in ignem immediate non cõuertatur. Quod si frequentius aqua conuertitur in aërem, vel in aliquos vapores aut mixtum;non est quia inter aquam,& ignem repugnet per se loquendo transitus immediatus:sed quia inter qualitates proprias aquæ, & illas, quæ eam peculariter ad formam ignis disponunt,mediant plures combinationes qualitatum disponentium ipsam ad alias formas; & solum datur vnica coniugatio pro forma ignis. Vnde frequentius materia aquæ transit ad alias formas, quam ad formam ignis ; quamvis possit per se, & immediate ad hanc, & alias transire.

5 Secundo arguitur:nam vt aqua v. g. corrumpatur ab igne, prius debet

debet illius humiditas, & frigiditas remitti ad gradus vt quatuor, quam ad gradus vt septem; at nequeunt remitti humiditas, & frigiditas, vsque ad gradus vt quatuor, quin simul habeat aqua calorem, & humiditatem in eisdem gradibus: ergo priusquam habeat caloré, & siccitatem vt septem, quæ sunt propriæ dispositiones ad formam ignis; habet omnes quatuor qualitates in quadam temperie, quæ est propriissima, atque immediata dispositio ad formam mixti: ergo nunquam aqua transit in ignem immediatè, sed mediante forma alicuius mixti.

Respondetur, quod licet elementum dissymbolum, & patiens prius habeat quatuor qualitates in quadam mediocritate; quam duas sibi contrarias recipiat in summo; adhuc tamen non sequitur, quod vniuersaliter debeat prius conuerti in mixtum, quam in elementum, à quo patitur. Quoniam licet elementum in statu sibi connaturali nequeat habere quatuor qualitates; violenter tamen, & præternaturaliter queit illas sustinere, quin statim corrumpatur, vt constat in aqua feruenti. Et ideò licet aqua v.g. habeat quatuor qualitates in quadam mediocritate prius, quam transeat ad calorem, & siccitatem valde intensas; attamen adhuc non habet calorem, & siccitatem cum tanta intensione, vt debeat immediatè post perire: atque ideò non sequitur mixtum immediatè ex introductione prædictarum qualitatum. Vbi autem introducitur calor, & siccitas valdè intensa, corrumpitur quidem aqua: sed calor, & siccitas sub tanta intensione non sunt dispositiones congruæ ad formam mixti, sed ad formam ignis: & propterea potest, & debet ignis ex aqua immediatè, & non semel generari. Cum autem dicitur quatuor primas qualitates refractas esse dispositionem ad formam mixti; intelligendum est, quoties duo elementa simul concurrunt, & se inuicem ita debilitant, vt neutrum consistere possit: tunc enim vnum non trahit aliud ad suam speciem; sed ex vtroque generatur mixtum, specie ab vtroque diuersum. Quando verò vnum elementum ob suam magnitudinem, aut alias circumstantias multum agit in aliud, & parum patitur ab eo; potest continuare suam actionem vsque dum patiens recipiat qualitates valdè intensas, & disponentes ad formam agentis. Sub aliis enim magis remissis, & quæ videntur formis mixtorum congruæ, potest, & si violenter, conseruari; quin corrumpatur, & transeat statim in mixtum.

6 Tertiò arguitur: quoniam inter elementa symbola, vt puta inter ignem, & terram, quæ conueniunt in siccitate non potest dari transitus immediatus: nam ad formam ignis requiritur inter alias dispositiones maxima raritas; & terra nequit recipere maximam raritatem: ergo nequit vltimo disponi ad hoc vt transeat in ignem. ¶ Respondetur negando antecedens: ad cuius probationem dicendum est,

quod ad formam ignis requiritur ſumma raritas per modum diſpoſitionis conſequentis, & comitantis; at per modum diſpoſitionis antecedentis, & introductiuæ ſufficit raritas citra ſummum. Hanc autem poteſt terra recipere via corruptionis pro tempore immediatè antecedenti ad generationem ignis: non tamen majorem, vel eandem terminatam in inſtanti ſequenti: & ideò ſequitur corruptio terræ.

QVÆSTIO II.

Vtrum facilior ſit tranſitus inter elementa ſymbola, quam inter diſſymbola?

7 QVæſtio hæc appendix eſt præcedentis difficultatis: quam vtpote non multi negotij breuiter abſoluemus. Et ideò dicendum eſt faciliorem eſſe tranſitum inter elementa ſymbola, quam inter diſſymbola. Ita Ariſtot. *in hoc lib. cap. 4. text. 25.* dicens: *Celerius, & tardius, item facilius, & difficilius, quæ alia aliis tranſmutationem ſubeunt: quæ enim ſymbolum inter ſe habent, horum celeris eſt migratio; quæ verò non habent, tarda.* Vnde hic dicendi modus jam abiit in commune proloquium apud Philoſophos.

Rationem proponit Diuus Thomas vbi proximè *lect. 4.* his verbis: *cùm ea, quæ habent ſymbolum tranſmutantur, non eſt neceſſe tranſmutari, niſi tantum alteram qualitatem: quando verò ea, quæ tranſmutantur ad inuicem, in nulla qualitate conueniunt, vtramque qualitatem neceſſe eſt tranſmutari: facilius autem eſt vnum tranſmutari, quam plura: ergo.* ¶ Confirmatur, & declaratur primò: nam quæ magis conueniunt in formis ſubſtantialibus, magis etiam conueniunt in diſpoſitionibus ad illas requiſitis; & ideò materia diſpoſita ad vnam formam, eſt etiam aliqualiter diſpoſita ad aliam: ſed elementa ſymbola magis conueniunt in formis ſubſtantialibus, quam elementa diſſymbola, vt qualitates ab eis dimanantes ſatis manifeſtant: ergo magis conueniunt in diſpoſitionibus; ac proindè poterunt facilius tranſmutari.

Confirmatur ſecundò, & declaratur in particulari: quia vt aër tranſeat in ignem, ſufficit tranſmutari in vna qualitate, nempè in humiditate; ſiquidem in alia qualitate conueniunt, videlicet in calore. Similiter vt aqua tranſeat in aërem, ſufficit tranſmutari in frigiditate: nam in humiditate conueniunt Idemque poteſt oſtendi in aliis elementis ſymbolis. At vt aqua tranſmutetur in ignem, vel terra in aërem, neceſſe eſt fieri tranſmutationem in vtraque qualitate; cùm in neutra conueniant. Ergo facilior eſt tranſitus inter elementa ſymbola, quam inter diſſymbola.

8 Sed objicies primò: tranſmutabilitas inter elementa fundatur in eorum contrarietate, vt conſtat

*ex

ex dictis *quæst. præcedenti*: sed elementa dissymbola habent majorem contrarietatem, quam elementa symbola, vt ex terminis liquet: ergo facilior est transitus inter illa, quam inter ista. ¶ Respondetur negando consequentiam: quia licet contrarietas sit conditio ad agendum; nihilominus non est aliqua dispositio facilitans: sed magis indispositio retardans: vnde major cõtrarietas reddit transitũ difficilioré.

9 Objicies secundò: ignis, & aqua sunt elementa dissymbola: ignis verò, & terra sunt symbola: & tamen ignis facilius transmutat guttam aquæ, quam micam terræ eiusdem magnitudinis, vt experientia liquet: ergo facilior est transitus inter elementa dissymbola, quam inter symbola. ¶ Respondetur, quod licet micâ terræ videatur eiusdem magnitudinis cum gutta aquæ; nihilominus ob majorem dẽsitatem implicat plures portiones materię: atque ideò plus resistit igni. Si autem particula terræ esset eiusdem magnitudinis, & raritatis, ac gutta aquæ; facilius illa, quam ista, conuerteretur in ignem. Et ideò neganda est consequentia, absolutè loquendo, & cæteris paribus: quo sensu procedit nostra conclusio.

10 Tertiò objicies: non est difficilius vinci duo à duobus, ac vnum ab vno; cùm reperiatur eadem proportio: ergo non est difficilius vinci duas qualitates elementi dissymboli ab aliis duabus alterius dissymboli, quam vnam qualitatem elementi symboli ab alia qualitate alterius symboli: & consequenter corruit ratio D. Th. & non erit difficilior transitus inter dissymbola, ac inter symbola.

Respondetur antecedens solùm verificari, si cætera sint paria, quod in præsenti non contingit: nam cùm dissymbolum agit in dissymbolum, vtraque qualitas istius resistit illi, & nulla conducit ad effectum inducendum, vt patet cùm ignis agit in aquam: tunc enim tàm frigiditas, quàm humiditas resistit igni, & neutra disponit ad eum. Cæterum quando symbolum agit in symbolũ, licet vna qualitas passi resistat; altera tamen non solùm non resistit, sed positiuè conducit ad introductionem effectus, atque ideò juuat actionem agentis. Quod videre est, cùm ignis agit in aërem: licet enim humiditas aëris resistat igni, at calor aëris non resistit, sed potius ex se conducit ad formam ignis. Vnde cùm difficilius sit introducere effectum in passo totaliter indisposito, & resistente, quàm in eo, quod secundum vnam præcisè qualitatem resistit, & secundum alteram non resistit, sed positiuè conducit ad effectum: propterea difficilius fit transitus inter elementa dissymbola, quam inter symbola.

10 Quartò objicies: nam etiam cùm symbolum agit in symbolum, opus est, vt vtraque istius qualitas corrumpatur; siquidem in corruptione substantiali fit resolutio vsque ad materiam: ergo ex hac parte non est facilior transitus inter symbola, ac inter dissymbola; cùm vtrobique omnes qualitates debeant corrumpi. ¶ Respondetur negando consequentiam: nam qualitas in qua elementa symbola conueniunt, non corrumpitur per se,

hoc est, per actionem contrarij, vt contingit in elementis dissymbolis; sed deficit per accidens ad destructionem subjecti: & ideò nulla ex parte illius accrescit difficultas, vt optimè dicit D. Thomas *quæst. de spiritualibus creaturis artic. 3. ad 19.* his verbis: *Nec hoc facit ad difficultatem conuersionis; cùm corrumpatur per accidens ex corruptione subjecti, & non ex contrarietate agentis.*

Dices calorem v. g. aëris esse specie distinctum à calore ignis; siquidem ille permittit secum humiditatem, secus verò iste: ergo calor aëris corrumpetur per se à calore ignis tanquam à virtute sibi contraria. ¶ Respondetur negando antecedens, quod non euincit probatio inserta: nam illa differentia non oritur ex diuersitate specifica inter vnum, & alterum calorem; sed ex distinctione modali, vel ex discrimine in latitudine intensionis: calor enim ignis, quia summus excludit omnem humiditatem; at calor aëris, quia non est valde intensus, humiditatem secum permittit.

QVÆSTIO III.

Vtrum duo elementa possint concurrere ad generationem alterius elementi specie distincti?

SVpponimus in præsenti posse vnum elementum agendo in aliud, ipsumque destruendo generare aliud elementum distinctum specie tam à se, quam à passo: sicut ignis agendo in aquam valet eam destruere, & generare aërem. Idemque contingit, si vnum elementum agat in alia duo elementa, & vtrumque destruat: poterit enim generari aliud tertium elementum ab vtroque diuersum: vt si ignis agat simul in aquam, & terram, & ex illis formam ignis educat. Difficultas autem est, an si duo elementa per mutuam actionem, & reactionem se destruant, & ab inuicem corrumpantur; possit generari aliud tertium elementum ab eis specie distinctum, quod sit ab illis non solùm in genere causæ materialis, sed etiam in genere causæ efficientis. Verbi gratia vtrum ignis, & aqua ita possint in se inuicem agere, vt se destruant, & generent aliud tertium elementum specie distinctum; vtputa aërem.

§. I.

§. I.

Aperitur mens Aristotelis.

11 Dicendum est primò ex duobus elementis symbolis ad inuicem corruptis non posse aliud elementum specie distinctum produci ab vtroque. Ita Aristot. *in præsenti cap. 4. text. 29.* D. Thom. ibidem *lect. 4.* vbi inquit: *Ostendit* (nempè Philosophus) *ex quibus duobus elementis non potest generari tertium dicens, quod ex his elementis, quæ sunt per conuenientiam, ideſt quæ sunt immediatè in loco, & habent symbolum, talis generatio esse non potest, scilicet, quod ex duobus tertium generetur.* Idemque docent communiter in præsenti omnes interpretes tàm antiqui, quàm juniores.

Probatur facilè: quoniam destructis duobus elementis symbolis, vel relinquuntur præcisè illæ qualitates, in quibus conueniunt; vel relinquuntur illæ, in quibus habent contrarietatem? Si primum non poterit generari elementum: quia hoc petit habere duas qualitates specie diuersas; licet inter se non contrarias. Si secundum minus poterit generari elementum: nam hoc nequit duas qualitates inter se contrarias simul habere. Quod exemplo fiet perspicuum: etenim decertantibus igne, & aere, vel destruunt inuicem siccitatem, & humiditatem: & sic solum remanet calor vtrique communis: qui se solo nequit disponere ad aliquod elementum, vt ex se liquet. Vel destruunt inuicem calorem, & sic remanent siccitas, & humiditas: quæ cùm sint inter se contrariæ, nulli elemento queunt conuenire, neque ad ipsum disponere. Impossibile igitur est, quod duo elementa symbola mutuò se destruentia generent ex se ipsis aliud tertium elementum.

12 Dicendum est secundò ex duobus elementis dissymbolis se inuicem destruentibus posse generari aliud tertium ab vtroque specie distinctum, vt ex igne, & aqua terram, & aerem; & ex aere, & terra ignem, & aquam. Ita Aristot. loco suprà citato, quem D. Thom. *ibid. lect. 4.* sequitur, & illustrat his verbis: *Ostendit, quomodo vnum elementum generetur ex duobus dicens, quod si altera qualitas vniuscuiusque elementorum non habentium symbolum corrumpatur, non est ad inuicem transmutatio, sed tantum poterit aliquod tertium generari, sicut ex igne, & aqua, quæ in nulla qualitate conueniunt, poterit generari terra, & aër; ex aëre, & terra ignis, & aqua.* Vnde hanc sententiam complectuntur Bañez, Toletus, Rubio, & Conimbr. in hoc loco, & communiter Philosophi.

Fundamentum est: quoniam decertantibus igne, & aqua queunt corrumpi, siccitas illius, & frigiditas istius; atque ideò remanebit calor ignis, & humiditas aquæ; calor autem, & humiditas est propria dispositio ad formam aeris: ergo ex igne, & aqua simul corruptis potest aer generari. Vel in prædicto congressu destruuntur calor ignis, & humiditas aquæ; & consequenter perseuerabunt siccitas illius,

lius, & frigiditas istius: siccitas autem, & frigiditas est propria dispositio ad formam terræ: ergo ex igne, & aqua valet terra generari. Idem continget, si aër, & terra mutuò rixentur, & pereant: nam si destruantur humiditas aeris, & frigiditas terræ, relinquuntur calor illius, & siccitas istius: sed calor, & siccitas disponunt ad formam ignis: ergo ex aere, & terra destructis potest ignis resultare. Si autem destruatur calor aeris, & siccitas terræ, remanebunt humiditas illius; ac frigiditas istius: at humiditas, & frigiditas disponunt ad formam aquæ: ergo ex aere, & terra simul destructis potest aqua produci. Verum igitur est, quod ex duobus elementis dissymbolis potest generari aliud tertium specie ab vtroque distinctum, modo in assertione descripto.

§. II.

Satisfit aliquibus difficultatibus.

13 SEd aduersus hanc vltimam conclusionem opponit Angelicus Præceptor impossibile videri, quod ex aere, & terra, destructa humiditate illius, & frigiditate istius, generetur immediatè ignis: *Quia nec terræ siccitas, nec caliditas aëris videntur ad generationem ignis posse sufficere: ignis enim multo calidior est quam aer; & siccior, quam terra.* ¶ Diluit tamen objectionem ipse S. Doct. his verbis: *Ad hoc dicunt quidam, quod non intendit Philosophus, quod ex illis duobus generetur purus ignis, sed aliquid, quod maximè participet materiam eius, sicut exemplificat de flamma. Sed hoc stare non potest: quia Philosophus loquitur de generatione elementorum. Præterea etiam caliditas flammæ multo intensior est, quam caliditas aëris. Et ideò dicendum est, quod generatur purus ignis: & licet illa caliditas non sufficiat, iuuatur tamen, & intenditur per virtutem corporis cœlestis, & luce solis, & per virtutem aliarum stellarum.* Quod necessariò admittendum est: nam ex vna parte corrumpuntur formæ aeris, & terræ, vt supponitur; ex alia verò nequit illa materia absque omni forma in rerum natura existere: vnde opus est, quod aliquam formam recipiat. Calor autem, & siccitas illa licet non sint dispositiones omninò sufficientes ad formam ignis; nihilominus magis disponunt ad illam, quam ad vllam aliam formam mixtorum, aut elementorum: quocircà postulant adjuuari per influxum cœli, & syderum, vt vltimò & peculiariter disponant ad formam ignis. Ex quo vlterius fit, quod aer, & terra non concurrant principaliter ad generationem ignis; sed solum remotè, & instrumentaliter: quia non attingunt virtute propria vltimam dispositionem ad formam ignis; sed solum vialiter, & remotè.

14 Secundò objicies: sequi ex dicta conclusione, quod ignis v.g. sit fortior aquâ, & non sit fortior: hoc autem implicat contradictionem: ergo. Sequela ostenditur: nam qua parte ignis destruit aquam, & impedit eam, ne generet sibi simile, erit fortior; & qua parte destruitur

ſtruitur ab aqua, & impeditur generare ſibi ſimile, non erit fortior, vt ex terminis liquet. ¶ Reſpondetur, quod licet repugnet idem elementum eſſe, & non eſſe fortius ſecundum vnam, & eandem qualitatem; nullatenus tamen implicat, quod ſecundum vnam qualitatem ſit fortius, & ſecundum alteram ſit debilius. Et ita contingit in præſenti: nam calor ignis poteſt ſuperare frigiditatem aquæ; & humiditas aquæ valet vincere ſiccitatem ignis: ac proindè ſe mutuò deſtruent, & generabitur aliud tertium.

15 Tertiò oppones: quia efficiens non cauſat, niſi cum actu exiſtit in ſe, vel in ſua virtute: at quando ignis, & aqua mutuò ſe deſtruunt non exiſtunt nec in ſe, nec in ſuâ virtute; ſiquidem hæc ſimul cum illis in illo inſtanti corrumpitur: ergo impoſſibile eſt, quod tunc attingant effectiuè generationem alterius tertij. ¶ Ad hanc objectionem conſtat ex ſupradictis *diſp. 2. num. 8.* vbi oſtendimus generationem ſubſtantialem non eſſe actionem ab alteratione diſtinctam, nec petere nouum, & diuerſum influxum; ſed eſſe puram reſultantiam: ad quam non requiritur coexiſtentia agentis; ſed ſufficit, quod tempore immediatè antecedenti fuerit poſita vltima diſpoſitio, ex qua forma naturaliter reſultat. Vnde præſens objectio ab omnibus diſſoluenda confirmat illam doctrinam, quæ non omnibus arridet.

16 Vltimò objicies: nam ignis, & aqua ſimul concurrentes, & ſe deſtruentes non continent formaliter formam aeris, cùm ab eo ſpecie diſtinguantur: neque continent eam eminenter; ſiquidem non habent formam eminentiorem; ſed duas tantum eiuſdem ordinis: ergo non poſſunt producere aerem. Patet conſequentia: nam ad attingentiam effectus requiritur continentia illius. ¶ Reſpondetur hanc objectionem ſolum conuincere id, quod diluendo primam objectionem ſtatuimus, nimirum duo elementa non producere principaliter aliud tertium; ſed ſolum inſtrumentaliter, & remotè, & per ſubordinationem ad influxum alicuius cauſæ vniuerſalis, & æquiuocæ. Minimè tamen excludit, quod concurrant effectiuè inſtrumentaliter: nam ad huiuſmodi concurſum ſufficit continentia imperfecta, ſeu virtualis effectus ſimul cum ſubordinatione ad cauſam principalem. Et ita euenit in præſenti: quoniam vbi duo elementa ſe deſtruentia nequeunt attingere principaliter proprium effectum, ad quem per ſe tendebant; intendunt producere aliud tertium: quod, quia non continent formaliter, aut eminenter, attingunt præcisè inſtrumentaliter, & cum ſubſidio cauſæ perfectioris principaliter concurrentis, cui in agendo ſubordinantur.

DISPVTATIO XII.

De Temperamento Mixtorum.

POST tractatum de elementis, eorumque mutuam generationem, subjunxit: Aristot. notitiam de mixtis, & variis eorum temperamentis. At circa mixtorum generationem nihil aliud occurrit discussione dignum præter ea, quæ suprà scripsimus agentes de generatione in communi. Quamobrem solùm versabimus quandam difficultatem, quam in præsenti discutiunt communiter Interpretes, & quæ plurimum confert ad cognoscendam naturam mixtorum, saltem in communi: agere enim de omnibus mixtis in particulari, negotium foret adeò prolixum, vt in eo proculdubio deficeremus: vnde sit,

---

QVÆSTIO vnica.

Vtrum in mixtis sit naturaliter possibile temperamentum æquale ad pondus?

TEmperamentum mixtorum (vt ita titulum explicemus, & difficultati aditum aperiamus) consistit in quatuor primis qualitatibus ad mediocritatem quandam redactis: soletque partiri in vniforme, & difforme. Temperamentum *vniforme* dicitur illud, in quo omnes quatuor qualitates habent eundem gradum intensionis: quod etiam solet appellari temperamentum medium, seu temperatissimum: quia in eo omnes qualitates æquali pondere librantur: vt contingeret si aliquod corpus haberet ex natura sua calorẽ vt quatuor, frigiditatem vt quatuor, humiditatem vt quatuor, & siccitatẽ vt quatuor. Huiusmodi verò temperamentum nequit in diuersa membra secari: quoniam omnimoda æqualitas consistit velut in indiuisibili,

bili, & nullum permittit receſſum à medio.

Temperamentum autem *diſforme* eſt illud, in quo primæ qualitates à præſcripta æqualitate recedunt, eo quod vna vel plures aliis dominantur: & iterum diuiditur in ſimplex, & compoſitum. *Simplex* eſt, in quo vna tantum qualitas excedit, vt ſi calor ſit vt quinque, & omnes aliæ qualitates vt tres: & diuidi valet in quatuor temperamenta iuxta numerum ipſarum qualitatum. *Compoſitum* vero dicitur, in quo duæ qualitates dominantur aliis duabus: partiturque in quatuor membra ſecundum quatuor combinationes ex primis qualitatibus. Et ſi quidem excedant calor, & ſiccitas; dicitur igneum, & in animalibus cholericum: ſi calor, & humiditas; dicitur aëreum, & in animalibus ſanguineum: ſi humiditas, & frigiditas; dicitur aqueum, & in animalibus phlegmaticum: ſi frigiditas, & ſiccitas, dicitur terreum, & in animalibus melancholicum. Ad quæ temperamenta reducuntur alia, quæ excogitari poſſunt ſecundum varios exceſſus prædictarum qualitatum.

Vbi obſerua tam temperamentum ſimplex quam compoſitum importare æqualitatem; aliter tamen, & aliter. Nam ſimplex habet qualitates æquales æqualitate rei ad rem ſeu gradus ad gradum: quæ ſolet appellari æqualitas Arithmetica. Compoſitum verò dicit qualitates æquales æqualitate proportionis: quæ ſolet dici Geometrica, ſeu æqualitas iuſtitiæ: nam habet qualitates in eo gradu, & temperie, quæ debentur ſubiecto iuxta merita, ſeu exigentiam illius; licet non omnes gaudeant eodem gradu: ſicut iudex dicitur ſeruare æqualitatem diſtribuens præmia inæqualia; quando illa confert iuxta proportionem, ac inæqualitatem meritorum. Igitur in præſenti ſupponimus poſſibilitatem imo exiſtentiam temperamenti diſformis: & inueſtigamus, an ſit naturaliter poſſibile temperamentũ vniforme, ſeu habens omnimodam qualitatum æqualitatẽ, idemque pondus.

§. I.

Defenditur communis ſententia.

1 DIcendum eſt temperamentum vniforme, ſeu æquale ad pondus non poſſe natutaliter dari. Ita Ariſtot. *in 1. lib. huius operis cap.* 10. vbi D. Th. *lect. vltima, & in hoc ſecundo text.* 48. vbi D. Th. *lect.* 8. Idem S. Doct. *in 3. diſt.* 16. *quæſt.* 1. *art.* 1. *in ſolutione ad* 4. vbi inquit: *Dicendum quod impoſſibile eſt, quod complexio perueniat ad tantam æqualitatem, quin alterum contrariorum prædominetur: quia alias non fieret mixtio, niſi vnum in alterum ageret dominans ad medium reducendo, altero reſiſtente. Et præcipue hoc oportet in corpore humano, quod calor dominetur propter operationes animæ, quæ indigent calore ſicut inſtrumento, vt dicitur in 2. de Anima.* Idem docent Auicenna *ſent. 1. doct. 3. cap.* 10. Auerroes 1. *de Cœlo comment.* 7. Galenus *lib. de temperam. & lib. de tuenda valetudine.* Vazquez *tom.* 1. *in 3. part diſp.* 57. vbi Lorc. *diſp.* 53. Nazarius *quæſt.* 13. *art.* 2. *controu.* 2.

Bañez *in præsenti cap. 7. quæst. vnica* & alij plures.

Duas huius veritatis rationes tradidit Angelicus Præceptor, quarum prima potest sub hac forma proponi: nam eo proportionali modo qualitates inueniuntur in mixto, quo inueniebantur in miscibilibus, ex quibus mixtum generatur: sed naturaliter loquendo nequeunt miscibilia concurrentia ad mixtum habere qualitates omnino æquales, seu habentes eundem gradum: ergo repugnat naturaliter, quod mixtum habeat qualitates sub omnimoda æqualitate; ac proinde non potest habere temperamentum æquale ad pondus. Maior constat: nam miscibilia manent virtualiter in mixto, quatenus in eo relinquunt suas qualitates, vt supra statuimus *disp. 9. quæst. 3.* atque ideo debent istæ eodem proportionali modo manere in mixto, quo inueniebantur in miscibilibus: vnde quoties miscibile prædominatur aliis miscibilibus, debet eius virtus prædominari aliis virtutibus quæ in mixto reperiuntur. Minor etiam liquet: quoniam à proportione æqualitatis nequit fieri actio; sed requiritur proportio maioris inæqualitatis, vt statuimus supra *disp. 8. qu. 2.* ergo vt miscibilia mutuo agant, & se destruant; requiritur quod vnum alteri dominetur, ipsumque superet in aliqua qualitate: quocirca non poterunt miscibilia habere omnes qualitates in eodem gradu.

2 Respondebis primo posse miscibilia habentia æqualitatem in gradu intensionis habere simul inæqualitatem in raritate, & densitate, atque in multitudine, & paucitate materiæ: quæ inæqualitas sufficiet, vt possint mutuò agere, & se destruere. ¶ Hoc tamen minime euacuat vim nostræ rationis: nam pensatis omnibus capitibus, quorum ratione potest vnum elementum alteri dominari, vel vnum elementum est prædominans; vel non? Si non prædominatur: ergo non dabitur actio: quia repugnat fieri actionem à proportione æqualitatis. Si prædominatur: ergo producet præstantiorem effectum, & qualitatem perfectiorem aliis: nam virtus, & excessus causæ debet relucere in effectu: insimulque miscibile dominans impediet alia, ne producant totum, quod possent alias producere; in hoc quippe eius dominium, atque excellentia consistit.

3 Respondebis secundò: hanc rationem solum vrgere in mixtis, quæ per mixtionem producuntur; secus vero in eis, quæ alio modo fiunt, vtputa per simplicem generationem. ¶ Sed contra: quoniam licet aliqua mixta ob suam perfectionem postulent fieri medio semine, & per generationem à mixtione diuersam: nihilominus, quantum est ex parte sui temperamenti, possent omnia per mixtionem elementorum attingi; siquidem quodcumque temperamentum reducitur ad quatuor primas qualitates, & eæ adequate conueniunt elementis, & intra eorum vires continentur. Vnde omnia debent habere tale temperamentum, vt possit, quantum est de se, resultare ab elementis concurrentibus ad mixtionem, quidquid sit an hoc ex

aliis

aliis capitibus alias repugnet. Quamobrem cum ex elementis nequeat fieri mixtum habens omnes qualitates in æquali gradu, vt iam probauimus; fit consequens, vt repugnet mixtum, quod habeat temperamentum æquale ad pondus.

4 Secundo probatur eadem conclusio alia ratione D. Thom. quoniam si aliquod mixtum posset habere temperamentum vniforme, maxime homo: at huic nequit naturaliter conuenire prædictum temperamentum: ergo est naturaliter impossibile. Sequela ostenditur: nam si esset naturaliter possibile temperamentum vniforme, quod omnium perfectissimum dicitur, deberet disponere ad formam omnium mixtorum perfectissimam, qualis est sola anima rationalis: ergo prædictum temperamentum homini præcipuè competeret. Minor probatur: nam homo exigit plures partes hetereogeneas, & habentes magnam inæqualitatem in qualitatibus: ossa enim petunt magnam, siccitatem, cor excellentem calorem, cerebrum abundantem humiditatem, & sic de aliis. Impossibile igitur est, naturaliter loquendo, quod homo habeat temperamentum æquale ad pondus; seu, quod idem est, omnes qualitates sub eodem omnino gradu intensionis. ¶ Confirmatur: quoniam omnes operationes hominis calore præcipuè perficiuntur, atque exercentur, vt omnes Philosophi tradunt, & ipsa experientia conuincit: ergo attentis omnibus gradibus tam caloris, quam frigiditatis, quæ in diuersis hominis partibus inueniuntur, plus caloris, quam frigiditatis debet ei naturaliter conuenire.

Per quod facile præcluditur euasio Rubij, qui respondet ex hac ratione solum conuinci, quòd homo non habeat prædictum temperamentum in omnibus, & singulis partibus, seu vero quod illud non habeat maiori ex parte, atque ideo absolute: nam isto temperamento gaudet in omnibus partibus, per quas sensus tactus, qui temperatissimus est, dispergitur; & istæ partes quam plures sunt. ¶ Hoc, inquam præcluditur: tum quia organum tactus solum sunt nerui: hi autem non excedunt alias partes in multitudine, magnitudine, aut dignitate; sed potius excedeuntur ab illis. Tum etiam, quia falso supponitur neruos qui soli sunt organum tactus, habere temperamentum æquale ad pondus; siquidem nerui sunt valde duri, atque ideo habent plus siccitatis, quam humiditatis.

§. II.

Refertur opinio contraria cum suis argumentis.

5 CONtrariam sententiam defendunt Vallesius *lib. 1. contron. c. 7.* Fernelius *lib. 8. Philosoph. cap. 4.* & alij, quos refert, & sequitur Rubio *in præsenti cap. 7. tractatu de temperamentis mixtorum qu. 2.* Probatur primo ex Aristot. *sect. 5 Problem. qu. 2.* vbi docet *corpora ad æqualitatem temperata facile in morbum incidere, & facile curari*: ergo sentit temperamentum æquale esse naturaliter possibile. ¶ Confirmatur ex eodem Philosopho *lib. 2. de Animalibus cap. de tactu*, vbi satis aperte tradit ta-

ctum habere complexionem ad pondus. Quod præcipuè attribuendum est tactui hominis qui omnium perfectissimus, ac temperatissimus est, vt docet idem Aristot. 2. *de partibus animalium cap.* 16. ¶ Confirmatur ex D. Th. 1. *p. qu.* 91. *art.* 1. *in corpore*, vbi huic sententiæ videtur suffragari his verbis: *Dissimilitudine cælestium corporum habet homo elongationem à cõtrariis propter maximam æqualitatem complexionis.* Et *art.* 3. *in solutione ad* 1. expresse docet dari in homine *perfectam complexionis æqualitatem.*

Robur tamen harum, & similium auctoritatum vnica, eaque vera expositione euacuatur: nam in eis æqualitas non vsurpatur pro æqualitate simpliciter & rei ad rem; sed stat pro æqualitate iustitiæ, seu pro æqualitate in respectu, & accessu ad maximam æqualitatem. Quamvis enim nec homo, nec sensus tactus habeant temperamentum æquale ad pondus; attamen excedunt in sua temperie cætera viuentia atque alios sensus; propter quod homini, & tactui illa æqualitas attribuitur. Et hoc præcise intendunt Aristot & D. Thom. locis citatis, vt ea legenti constabit: vnde opus non est ea singillatim exponere.

6 Secundo arguitur ratione: nam si vnum contrarium est naturaliter possibile, potest etiam dari naturaliter aliud contrarium ex Aristot. 1. *de Cælo textu* 44. sed est possibile naturaliter temperamentum inæquale: ergo potest etiam naturaliter dari temperamentum æquale, quod est illi contrarium. ¶ Respondetur dictum Philosophi solùm verificari in verè contrariis; secus vero in eis, quæ solum opponuntur priuatiuè. Vnde sicut ex eo, quod detur corpus finitum; non infertur dandum esse infinitum: ita ex eo, quod sit possibile corpus temperatum inæqualiter, non colligitur possibilitas corporis habentis omnimodam æqualitatem in suis qualitatibus? vtrobique enim solum reperitur oppositio priuatiua inter extrema.

7 Tertio arguitur: quoniam nobilissima forma mixti postulat temperamentum æquale ad pondus: sed est possibilis prædicta forma: ergo non repugnat huiusmodi temperamentum. Suadetur maior: nam formæ mixtorum, quò imperfectiores sunt, eò magis recedunt ab illa æqualitate temperamenti; & quò perfectiores sunt, eò magis accedunt ad eam: ergo nobilissima mixtorum forma postulat temperamentum omninò æquale. Quod de facto fuisse concessum humanitati Christi Domini verosimilius videtur: nam corpori perfectissimo, & in quo nullus futurus erat morbus, congruũ erat, vt tribueretur perfectissimũ temperamentum; maxime cum hoc nullatenus deroget muneri Redẽptoris.

Respondetur negando maiorem: quia temperamentũ æquale ad pondus non continetur intra latitudinem temperamentorum connaturalium in ordine ad formas mixtorum, vt jam probauimus: & ideo non potest exigi à forma mixti, quantumuis fingatur perfecta. Sed perfectissima forma petit temperamentum maxime æquale, non mathematice; sed physicè & comparatiuè ad alia temperamenta, ac per accessum ad summam æqualitatem. Nec

major

major æqualitas Christo Domino, aut alteri mixto attribuenda est. Imo vero si mixtum non haberet plus caloris : quam frigiditatis, satis imperfectum esset ; licet oppositum imaginatione apprehendatur : nam prædictum corpus esset valde remissum in operando, eò quod haberet exiguum calorem, & hunc frigiditate depressum ; cùm tamen calor præcipue ad operandum ob suam actiuitatem conducat. Et quamvis forte non esset ab intrinseco ita corruptibile ob maximam concordiam, & æqualitatem suarum qualitatum : attamen ab extrinseco facilè læderetur, pluribusque iniurijs esset obnoxium : quia nullam qualitatem haberet intensam, per quam aduerso agenti resisteret.

8 Vltimo arguitur: quia datur mixtum habens tẽperamentũ æquale ad pondus quantum ad grauitatem, & leuitatẽ, vt cõstare videtur in ligno, quod super aquam positũ manet partim extra, partim vero intra illam, quod satis indicat non esse magis graue, quam leue, aut è conuerso : ergo poterit etiam dari mixtum habens temperamentum æquale ad pondus quantum ad calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem ; vt ipsa rationis paritas euincere videtur.

Respondetur negando antecedens : quia nequit dari corpus : cui non conueniat aliquis locus naturalis : corpori autem æqualiter graui, & leui nullus locus naturaliter congrueret : non locus sursum, quia ibi ob suam grauitatem detineretur violenter ; nec locus deorsum, nam ibidem etiam esset violenter ob suam leuitatem ; nec locus medius inter sursum, & deorsum, quoniam hic locus est impossibilis ; nec tandem secundum vnam partem esset sursum, & secundum aliam deorsum, eò quod omnes illius partes haberent idem temperamentum : & ideo prædictum corpus repugnat. Exemplum autem inductum, minime persuadet oppositum : quia lignum illud plus habet grauitatis, quam leuitatis. Natat tamen super aquas : nam cùm porosum sit, aëre impletur, à quo super aquas eleuatur : sicut etiam vas æneum, quamvis sit graue simpliciter, solet super aquam consistere, eò quod illius concauum aëre impletur. Vnde prædictum exemplum in aduersarios retorqueri, & in fauorem nostræ assertionis debet trahi : quoniam si daretur mixtum habens omnimodam æqualitatem in primis qualitatibus, haberet etiam omnimodam æqualitatem in grauitate, ac leuitate, quæ ad illas consequuntur, & in eis fundantur : ergo si repugnat mixtum æqualiter graue, & leue, vt modo ostendimus ; repugnat etiam naturaliter, quod habeat temperamentum æquale ad pondus.

DISPVTATIO XIII.

De Reproductione Rerum.

IN vltimo *huius libri*, & totius operis capite docuit Aristotel. generationes rerum esse circulares: ita vt ad eandem rem secundum speciem fiat regressus; non tamen ad eandem secundum identitatem numericam. Quod occasionem præstitit Interpretibus differendi in hoc loco de possibilitate reproductionis rerum: quibus morem gerentes id ipsum examinare curabimus.

QVÆSTIO vnica.

Vtrum res semel extincta possit iterum reproduci?

Relicto eorum errore, qui id non solùm fieri posse, sed & futurum esse de omnibus rebus generaliter affirmabant; possibilitatem rei dumtaxat inuestigamus tùm quoad res permanentes, tum quoad successiuas. Quod vt majori luce innotescat; diuersis assertionibus dubium decidemus.

§. I.

Aperitur veritas tribus conclusionibus.

1 DIcendum est primo rem permanentem à causa secunda productam, & semel extinctam non posse per virtutem causarum secundarum iterum reproduci: ita Arist. *cap. de oppositis*: dicens, *quod à priuatione ad habitum non est regressus*, & *in præsenti cap. 9.* vbi D. Th. *lect. vlt. & 4. contra Gentes, cap. 81. & quodl. 4. art. 5.* vbi inquit: *Naturale agens non potest reparare eadem numero*

numero, si in nihilum radacta fuerint; vel si fuerint secundum substantiam corrupta. Idemque docent communiter omnes Scholastici *in* 4. *distinctione* 43. & 44. & Philosophi in præsenti, quos proinde superfluum foret referre.

Probatur ratione: quoniam sicut vnus, & idem effectus, nec simul, nec diuisim potest produci à duplici causa secunda totali; sed vnam vendicat, intra cuius virtutem continetur, & aqua sola valet produci, vt ostendimus *in lib. Physic. disput.* 15. *quæst.* 4. ita vnus, & idem effectus nequit nec simul, nec diuisim produci per duas actiones creatas, & totales; sed determinat vnam numero actionẽ, & per illam solam valet attingi: militant quippe eædem vtrobique rationes, vt consideranti constabit: ergo sicut ad hoc vt reproducatur idem numero effectus à causa secunda, debet redire eadem numero causa, à qua prius fuit productus: ita debet redire eadẽ num. actio, per quam prius fuit attactus: at sic est, quod implicat redire eãdem numero actionem causæ secundæ: ergo repugnat, quod effectus productus à causa secunda, & semel extinctus, iterum à causa secunda reproducatur. Minor subsumpta ostenditur: nam actio causæ secundæ, per quam producit effectum, est ens successiuum, & fluens per correspondentiam ad tempus: huiusmodi autem entia nec per diuinam potentiam valent reproduci, vt *num.* 3. dicemus: ergo.

2 Dicendum est secundo res permanentes semel destructas posse per diuinam potentiam reproduci. Ita docent communiter Theologi, & Philosophi. Fundamentum est: quoniam homo semel mortuus iterum resurget, vt fides docet: sed eadem proportionabiliter est ratio, quantum ad possibilitatem reproductionis, in aliis rebus permanentibus: possunt ergo per diuinam potentiam reproduci. ¶ Et confirmatur: quia in hoc nulla apparet implicationis ratio: non quidem ex parte virtutis diuinæ, quia hæc est infinita: nec ex parte actionis Dei; nam hæc semper manet eadem, & inuariabiliter continet effectum: nec denique ex parte rei producendæ; quoniam hæc per sui corruptionem non constituitur in deteriori, aut difficiliori statu, ac erat antequam produceretur: vnde sicut tunc Deus potuit illam ex nihilo extrahere; ita etiam valet, postquam destructa est. Non est ergo denegandum omnipotentiæ Dei, quod rem permanentem semel destructam possit iterum reproducere.

3 Dicendum est tertio rem successiuam semel destructam non posse per vllam potentiam reproduci. Hanc expresse docet, & ex professo probat D. Thom. *quodlib.* 4. quem sequuntur Capreolus *in* 4. *distinct.* 43. *quæst.* 1. Durand. *quæst.* 3. Paludan. *quæst.* 1. Ferrara 4. *contra Gentes, cap.* 81. & communiter Thomistæ, quibus plurimi etiam ex extraneis consentiunt.

Probatur ratione desumpta ex D. Thom. loco nuper citato: quoniam si res successiua semel destructa reproduceretur; esset, & non esset eadem numero: consequens implicat contradictionem: ergo & antecedens;

cedens; eritque proinde simpliciter impossibile respectiuè ad quamcumque potentiam. Sequela ostenditur: nam in primis esset eadem numero res; alias non reproduceretur. Deinde non esset: tùm quia res successiua est vna per continuationem: ergo hoc ipso, quod eius continuatio fuerit per destructionem interrupta, non poterit esse eadem numero res. Tum etiam quia vnitas numerica rei successiuæ dependet ab vnitate temporis, & per illam regulatur, vt statuimus *in libris Physic. disput. 23. quæst. 3.* sed si res successiua semel destructa iterum produceretur, non diceret habitudinem ad idem numero tempus ad quod antea dicebat habitudinem: ergo non esset eadem numero, quæ antea erat.

Respondebis rem successiuam semel extinctam, & iterum reproductam semper dicere ordinem aptitudinalem ad tempus, in quo primo producta est: quod sufficit vt semper retineat eandem vnitatem numericam: sicut albedinem Petri potest Deus ponere in Paulo, quin amittat vnitatem numericam; eò quod semper dicta albedo respiceret Petrum tanquam subiectum proprium, & sibi connaturale. ¶ Sed contra: nam ideo illa albedo dicit aptitudinalem inhærentiam respectu Petri, ac proinde retinet vnitatem numericam, quia possibile est eam iterum inhærere Petro: sed implicat, quod res successiua semel destructa correspondeat in actu tempori, cui prius coexistebat: ergo repugnat, quod dicat ordinem aptitudinalem ad illud, & consequenter quod recuperet vnitatem numericam semel per destructionem interruptam. Minor probatur: quia tempus verum fluit per correspondentiam ad tempus imaginarium: hoc autem semper, necessario, ac independenter à diuina voluntate fluit: vnde impossibile est, quod redeat idem tempus verum: ergo implicat, quod res successiua semel destructa coexistat iterum tempori, in quo primo producta fuit.

§. II.

Enodantur argumenta contraria.

4 ADuersus primam conclusionem sentiunt Scotus *in 4. distinct. 43. quæst. 3.* Ricard. *ibidem quæst. 1. ad 6.* & alij. Pro qua sententia arguitur primo: nam vt docet Aristot. *1. de Cœlo, textu 22.* si agens fuerit idem, & materia eadem; erit idem effectus: sed possunt iterum applicari idem agens, & passum, à quibus effectus primo processit, vt cùm iterum applicantur idem ignis, & lignum idem, à quibus calor productus fuerat: ergo tunc reproduceretur idem effectus. ¶ Confirmatur: nam potest idem agens eundem effectum diuersis temporibus conseruare; siquidem idem ignis valet separari tantisper ab aqua, quam prius calefecerat, & iterum illi applicari: sed agens potens per se conseruare aliquem effectum, potest illum producere, eò quod virtus conseruatiua

tiua per se alicuius rei est effectiua eiusdem : ergo potest idem agens producere multoties eundem effectum.

Respondetur ex identitate agentis, & passi solùm sequi, quod effectus sit idem secundum speciem, secus vero secundum numerum; alias idem agens, & passum multoties applicata producent semper eundem numero effectum, quod est absurdum. Maxime, quia licet applicetur materia eadem materialiter non tamen formaliter,& in esse principij indiuiduationis:nam in hac ratione dependet à tempore, & alijs circunstantijs,quæ nunquam redeũt. ¶ Ad confirmationem respondetur virtutem creatam per se conseruatiuam alicuius effectus solum esse productiuam illius: minime vero reproductiuam ipsius ob rationem supra traditam : vnde ex eo, quod idem ignis, possit sæpe numero applicari ad conseruandum eundem calorem ; non sequitur quod possit semel destructum iterum producere.

5 Arguitur secundo : nam si aqua diuidatur in multas partes,perit vnitas numerica illius ; siquidem quælibet pars incipit esse totum, & differt numero à præexistenti : & nihilominus si eædem partes iterum vniantur, resultat eadem numero aqua, quæ prius erat : ergo res semel destructa valet viribus naturæ iterum reproduci. ¶ Respondetur aquam posse considerari vel secundum entitatem, vel secundum terminationem. Cum ergo diuiditur, amittit quidem terminationem, non vero entitatem:sed quando eius partes iterum vniuntur,non recuperant terminationem antiquam ; licet semper habeant eandem entitatem : & ideo non infertur,quod res extincta reproducatur à natura secundum id ipsum, quod destructum est.

6 Arguitur tertio : quia nasus, vel auricula, si abscindatur ab homine statim pereunt ; siquidem desinunt informari per animam rationalem, à quâ recipiebant esse : & nihilominus si statim reuniantur recuperant vitam amissam siquidem sentiunt, vt constat: ergo id, quod destructum est valet viribus naturæ reparari. ¶ Respondetur omittendo præmissas, & negando consequentiam absolutè:nam in prędicto casu manet idem numero homo potens trahere ad sui vnitatem, quidquid illi debite applicatum fuerit,vel beneficio Medicinæ,vel per nutritionem naturalem. Nostra enim, & communis assertio intelligitur de re, cuius nullo modo remansit *esse*, & identitas. Partes autem etsi amiserint identitatem,& esse antiquum in se ipsis ; ea tamen relinquunt in toto : & ad illud possunt secundo trahi. Videantur quæ dicemus *in lib. de Anima, disp.4. qu.4.*

7 Arguitur quarto : nam potentiæ naturaliter inclinatæ in aliquem actum,& actui propendenti naturaliter in potentiam debet correspondere agens naturale, quod valeat illas inclinationes ad exercitium reducere ; ne sint frustraneæ: sed homine semel extincto, remanet adhuc in materia inclinatio naturalis ad animam, & in anima inclinatio naturalis ad materiam, vt iterum vniantur;siquidẽ remanet coaptatio inter vtramque,qnæ naturalis est, vtpote ab earum entitate non differens: ergo debet dari agens naturale, quod

valeat hominem mortuum iterum producere. ¶ Et confirmatur : quia ſtatus ſeparationis eſt violentus animæ rationali ; cum ex natura ſua ſit pars, & appetat eſſe in toto : ſed nihil violentum eſt naturaliter perpetuum : ergo poſſibilis eſt naturaliter reunio animæ ad corpus, & conſequenter hominis reproductio.

Huic argumento reſpondetur negando minorem ob ea, quæ diximus *in libr. Phyſ. diſp. 3. qu. 7.* vbi oſtendimus inclinationem materiæ ad animam quam ſemel habuit, & animæ ad materiam, quam prius informauit, ſolùm eſſe naturalem ſecundum quid, hoc eſt ex parte vnionis, qui eſt modus entitatiue naturalis; ſecus vero ex parte actionis, per quam reunio facienda eſt: & ideo non ſequitur, quod reſurrectio fieri queat per vires cauſæ ſecundæ: nulla quippe eſt, quæ poſſit diſpoſitiones antiquas iteratò inducere. ¶ Ad confirmationem neganda eſt major : nam ſtatus ſeparationis eſt abſolute naturalis animæ noſtræ ; licet non ſit connaturaliſſimus. Cùm enim anima rationalis ſit medium quoddam inter ſubſtantias ſeparatas, & formas corporeas; ſit, vt ſicut qua parte eſt pars, & forma, habet naturaliter eſſe in materia : ita qua parte eſt ſpiritus, & per ſe ſubſiſtit, habeat etiam eſſe naturaliter extra corpus; & ideo hic poſterior ſtatus non eſt violentus.

8 Aduerſus tertiam concluſionem opinantur Aureolus, Baſolis, Maironus, & alij, quos referunt, & ſequũtur Conimbr. *in hoc lib. c. vlt. q. 3. a. 2.* Quorum opinio ſuadetur : quoniam res quæ ſemel producta, & extincta continetur adhuc in cauſa, valet optime ab eadem iterum extrahi, ſeu produci; ſi enim fieret impoſſibilis, jam amplius non contineretur in cauſa : ſed res ſucceſſiua à Deo producta, & ſemel extincta continetur adhuc in omnipotentia diuina ; quandoquidem hæc continẽtia eſt eſſentialis Deo, vt pote propria entis per eſſentiã, & primæ cauſæ : ergo res ſucceſſiua ſemel extincta poteſt à Deo iterum reproduci.

Reſpondetur, quod omnipotentiam diuinam poſſumus dupliciter comparare ad rem ſucceſſiuam: vno modo abſolute, & vt producibilem ; altero modo vt ad rem reproducendam, & facta ſuppoſitione accidentali primæ productionis. Et quidem primo modo ſemper, & inuariabiliter omnipotentia diuina continet rem ſucceſſiuam ; & poteſt illam producere. Poſteriori autem modo nunquam rem ſucceſſiuam præcontinuit : quia vt reproducibilis, eſt ſimpliciter impoſſibilis: & omnipotentia Dei eſt ad poſſibilia abſolute. Nec imaginandum eſt, quod res ſucceſſiua per primam productionem, & ſui deſtructionem facta fuerit impoſſibilis : nam ſemper, & ab æterno erat impoſſibilis ſub conceptu reproducendæ; atque ideo prædicta impoſſibilitas non incipit in tempore. Et in hoc ſenſu neganda eſt major argumenti intellecta de re ſucceſſiua : hæc enim vt reproducibilis, nec eſt poſſibilis, nec continetur in Deo; quamvis ſecundũ ſe, & vt producibilis abſolute, contineatur inuariabiliter in omnipotentia diuina. Maxime cùm virtus, & actio

actio Dei producens rem successiuam mensuretur æternitate, cui sunt inuariabiliter præsentia ea, quæ prætereunt respectu nostri. Quod sufficit vt prædicta res, & semper à Deo emanet, & semper in eo contineatur: ac proinde ad saluandam dictam continetiam non requiritur, quod res successiua vt semel producta possit iterum fieri à Deo.

DISPVTATIO XIV.

De principio indiuiduationis rerum materialium.

OCCASIONEM dedit huic disputationi Philosophus, cùm in vltimo capite *huius secundi libri, text.* 70. de reproductione rerum agens ad earum identitatem numéricam dubij resolutionem addixit: ijs verbis: *Quorum vero non, sed corruptibilis, specie, non item numero reuerti necesse est. Quocirca cùm ex aëre aqua fit, & ex aqua aër, aër specie idem, non numero reddit*, &c Quam occasionem captamus vltronei, vt rem Philosophiæ intimam, & alijs Facultatibus opportunam in præsenti loco tractemus. Et quamvis possemus de principio indiuiduationis in communi agere; consultò tamen solam indiuiduationem rerum materialium dilucidare studemus: nam quæ ad entia spiritualia pertinet, supĕrat captum physicum, cui ex munere deseruimus: Nomine autem rerum materialium substantiæ corporeæ, earumque affectiones veniunt intelligendæ: sed claritatis gratia in prioribus quæstionibus de indiuiduatione substantiæ; in extremis vero de indiuiduatione accidentium differemus. Quæ materia pro dignitate versata latissimam offerebat prouinciam: Compendiarij tamen munus obligat ita calamum

temperare, vt ea tantum scribantur, quæ ad discipulorum institutionem probantur necessaria; resciſſis aliis, quæ ad majorem prouectorum eruditionem spectant.

QVÆSTIO I.

Vtrum forma substantialis sit primum principium indiuiduationis intra genus substantiæ?

NOmine *primi principij*, &c. non significauimus primum principium totale, & adæquatum indiuidui substantialis, siue omnia ea, quæ ad illius constitutionem essentialiter concurrunt; sed solum principium radicale, seu primam radicem, in quam indiuiduatio substantiæ materialis vltimate reuocanda est: ad eum sane modum, quo inquiri solet, vtrum genus sumatur à materia. Nec agimus de principio indiuiduationis metaphysicè considerato; qua ratione importat hæcceitatem, siue differentiam indiuidualem superadditam prædicatis specificis, per quam indiuiduum constituitur sub specie, & ab alijs indiuiduis secernitur. Sed sermo est de principio physico, quod videlicet fundat indiuiduationem metaphysicam, & est prima origo totius distinctionis purè materialis. Proceditque difficultas de primo principio intrinseco, & pertinente ad indiuidui compositionem: nam primum principium extrinsecum, siue efficiens tàm indiuiduationis, quàm omnium indiuiduorum esse Deum O. M. euidentius est, vt possit in dubium verti.

§. I.

Sententia Aristotelis, & Diui Thomæ, probatur.

1 DIcendum est formam substantialem non esse primum principium indiuiduationis intra genus substantiæ. Ita Philosophus 5. *Metaph. cap.* 6. *& lib.* 12. *cap.* 8. D. Thom. 1. *p. qu.* 50. *art.* 4. *& lib.* 2. *contra Gentes, cap.* 93. *& de ente, & essentia cap.* 6. & alibi sæpe, Quibus subscribunt communiter Thomistæ & alij plures DD. vt ex processu *huius disput.* constabit.

Probatur primo ratione: quoniam forma substantialis nequit esse primum principium vnitatis, & distinctionis, quæ non sit formalis: atqui indiuiduatio rerum materialium non importat vnitatem, & distinctionem formalem, sed pure materialem: ergo forma substantialis nequit esse primum principium indiuiduationis in genere substantiæ. Consequentia liquet. Minor etiam constat: quia vnitas, & distinctio rerum materialium est adæquatè extra earum essentiam, & speciem, vt con

constat in Petro & Paulo, qui in nullo prædicato essentiali differunt; & tamen distinguuntur indiuidualiter: id autem, quod est adæquate extra speciem, non est prædicatum formale, sed pure materiale: ergo indiuiduatio rerum materialium non inportat vnitatem, & distinctionem formalem, sed pure materialem. Maior autem suadetur: quia materia nequit esse primum principium vnitatis, & distinctionis, quæ non sit materialis: ergo forma nequit esse primum principium vnitatis, & distinctionis, quæ non sit formalis: sicut enim esse materiale quatenus tale, debet in materiam reduci tanquam in primam radicem; ita esse formale, vt tale debet in formam velut in primum principium reuocari.

2 Respondebis primo negando maiorem: quia bene compatitur, quod distinctio proueniat à forma; & nihilominus non sit formalis: sicut duæ animæ rationales distinguuntur vt formæ; & tamen non distinguuntur formaliter, sed pure materialiter: & duo Angeli, licet nihil habeant de materia, differunt etiam indiuidualiter. Quod satis persuadere videtur non omnem distinctionem materialem reuocandam esse in materiam tanquam in primam radicem; sed posse etiam trahere originem à forma, velut à primo principio.

Sed contra: quia aliud est, quod distinctio pure materialis exerceatur inter formas; aliud verò, quod ab ipsis formis proueniat: sicut aliud est, quod partes integrales inueniantur in substantia; aliud verò, quod sint à substantia tanquam ab earum proprio principio. Nam quemadmodum prædictæ partes inueniuntur in substantia, & tamen non sunt formaliter substantiales, sed quantitatiuæ; quæ proinde non à substantia, sed à quantitate proueniunt, vt supra diximus *disp. 5. quæst. 1.* ita etiam distinctio inuenta inter duas formas eiusdem speciei non est formalis, sed pure materialis, atque ideo non ab ipsis formis, sed à materia debet radicaliter prouenire. Et ratio est: quoniam effectus intrinsecus suo primo principio omnino commensurandus est: quamobrem vnitas, & distinctio formalis in solam formam velut in primam radicem; vnitas vero, & distinctio materialis in solam materiam tanquam in primum principium reduci debent. Qua etiam de causa licet genus secundum id, quod explicat potentialitatis reuocetur ad materiam tanquam ad primam sui radicem; tamen secundum id, quod habet actualitatis, & determinationis, reducitur ad formam velut ad actum primum.

Nec oppositum suadetur illis duobus exemplis: quia licet duæ animæ rationales sint actus, & formæ; indiuiduantur tamen per habitudinem ad materiam. Vnde licet earum distinctio numerica exerceatur inter formas; nihilominus non ab ipsis formis, sed à materia velut à prima radice desumenda est. Distinctio verò reperta inter duos Angelos non est ex parte rei conceptæ purè indiuidualis, & omnibus modis extra essentiam: vnde non vt materialis, sed vt formalis censetur: cũ non dentur duo Angeli solo numero distincti: sed

omnes ſicut numero, ita etiam ſpecie differant: quamobrem poteſt, & debet prædicta diſtinctio ad ſolas formas tam proximè, quam radicaliter reuocari. Ex quo potius roboratur noſtra ratio: quoniam diſtinctio, quæ vnicè ſumitur à ſolis formis, non eſt pure numerica, & materialis, ſiue intra eandem ſpeciem; ſed eſt re ipſa formalis, & inducens diuerſitatem ſpecificam: ergo è contra differentia pure numerica, & materialis, qualis inuenitur inter indiuidua eiuſdem ſpeciei corporeæ, nequit à forma tanquam à primo principio deſumi; ſed debet in materiam reuocari, velut in primam radicem.

3 Reſpondebis ſecundo formam poſſe bifariam conſiderari, nempe vel ſecundum eſſe ſpecificum, & formale; vel ſecundum eſſe materiale, & numericum, quod habet: vtrumque enim eſt proprium illius. Licet ergo differentia, quæ deſumitur à forma ſecundum eſſe formale, & ſpecificum conſiderata, debeat eſſe formalis; nihilominus differentia, quæ ab eadem ſecundum eſſe numericum, & materiale accepta deſumitur, poteſt eſſe materialis. Vnde non oportet, quod omnis vnitas, & diſtinctio materialis rerum corporalium reuocetur in materiam tanquam in primum principium; ſed poterit etiam reduci in formam.

Sed contra: quia vt in limine huius quæſtionis obſeruauimus, hic non inueſtigamus primum principium metaphyſicũ indiuiduationis ſubſtantiæ materialis: hoc quippe ſupponimus nihil aliud eſſe, quam eius hæceitatem, ſiue differentiam numericam: ſed agimus de prima radice phyſica prædictæ hæceitatis, & differentiæ: atqui nullum eſſe repertum in forma poteſt eſſe prima radix phyſica vnitatis, & diſtinctionis numericæ rerum materialium: ergo forma ſecundum nullum eſſe poteſt eſſe primum principium illius. Probatur minor: nam vel in forma inuenitur aliquod eſſe materiale phyſicum, vel non? Si non inuenitur: ergo eſſe materiale repertum in forma nequit eſſe prima radix phyſica vnitatis, & diſtinctionis numericæ. Si autem inuenitur: ergo prædictum eſſe materiale phyſicum debet ad materiam tanquam ad primam radicem reuocari: nam ſicut omne eſſe formale phyſicum inuentum in materia non prouenit à materia, ſed à forma: ita omne eſſe materiale phyſicum repertum in forma non prouenit à forma, ſed à materia. Et ratio eſt: quia primum in vnoquoque genere eſt cauſa, & radix cæterorum, quæ ſunt in tali genere: primum autem inter materialia eſt materia, ſicut forma inter formalia: quocirca ſicut omne eſſe formale tam phyſicum, quam metaphyſicum debet reduci ad formam tanquam ad primam ſimpliciter radicem: ita omne eſſe materiale tam formæ quam compoſiti, & tam phyſicum, quam metaphyſicum debet vltimate reuocari ad materiam velut ad primum principium.

4 Secundo probatur noſtra concluſio alia ratione deſumpta ex D. Thom. 1. *p. quæſt.* 50. *art.* 4. quæ poteſt formari in hunc modum: nam forma, quæ nullum ordinem dicit ad materiam tanquam ad recep-

tiuum

ptiuum, nequit esse principium distinctionis purè numericæ: ergo vt forma sit principium prædictæ distinctionis, debet dicere ordinem ad materiam: ergo materia est primum principium physicum vnitatis, & distinctionis pure numericæ, ac proinde indiuiduationis rerum materialium. Antecedens est D. Thom. *loc. cit.* qui hac ratione probat non dari plures Angelos numero distinctos intra eandem speciem: quia videlicet forma per se subsistens, qualis est natura Angeli, nullum dicit ordinem ad materiam tanquam ad receptiuum. Prima consequentia probatur: nam quoties negatio est causa adæquata negationis; toties affirmatio est causa adæquata affirmationis: ergo si negatio ordinis ad materiam infert negationem multiplicitatis purè materialis; affirmatio prædicti ordinis affert affirmationem multiplicitatis purè numericæ. Secunda etiam ostenditur: nam ideo visibile est prima radix omnium; quæ ad ordinem visibilem pertinent, quia visus est talis, quatenus respicit visibile: ergo si forma est principium indiuiduationis, & multitudinis numericæ, quia respicit materiam; sequitur, quod materia sit simpliciter prima radix distinctionis purè numericæ, & indiuiduationis rerum materialium.

Confirmatur: quia indiuidua eiusdem speciei differunt penes diuersos modos substantiales habendi eandem speciem, seu naturam: sed vbi natura est omnino separata à materia, nequit participari secundum diuersos modos substantiales: ergo vt detur multitudo purè numerica, requiritur materia: quæ proinde erit prima illius radix, vt constat ex nuper dictis. Minor, in qua sola est difficultas, probatur: tum quia vt dentur illi diuersi modi substantiales, requiritur quod natura non habeatur omnino adæquatè, sed cum quadam limitatione: si enim adæquatè participatur, non est vnde illi diuersi modi participandi proueniant: prædicta autem limitatio nequit aliunde quam ex materia prouenire: nam actus, qualis est natura specifica, non valet limitari nisi per suum oppositum, videlicet per potentiam, & materiam: ergo natura à materia omnino separata nequit secundum diuersos modos substantiales participari. Tum etiam, quia ob hanc rationem ipsum *esse* per se subsistens, siue existentia diuina nequit numero multiplicari, quia videlicet nullum dicit ordinem ad subiectum, per quod limitetur, & subinde participetur inæqualiter: ergo pariter natura, quæ nullum ordinem dicit ad materiam tanquam ad subiectum: nequit participari secundum diuersos modos substantiales. Qua de causa Ang. Doct. non semel asserit quodlibet indiuiduum naturæ angelicæ esse infinitum intra suam speciem: non quidem, quia habeat perfectionem positiue infinitam; sed quia habet naturam specificam infinitam negatiue, hoc est non partitam, vel limitatam per diuersos modos substantiales participandi illam. Quorum oppositum cõtingit in formis dicentibus habitudinem ad materiam: eæ quippe diuiduntur, & limitantur secundum diuersos terminos, quos respiciunt.

5 Dices:

5 Dices : differentiæ ſpecificæ Angelorum limitant eorum genus, trahendo illud ad determinatam ſpeciem ; quamvis non dicant ordinem ad materiam : ergo differentiæ indiuiduales poterunt limitare, & determinare ſpeciem, licet nullum ad materiam ordinem importent.

Reſpondetur negando conſequentiam : quia in Angelis adeſt ſufficiens fundamentum, vt per ſuas differentias ſpecificas limitent, & contrahant gradum genericum, nempe eorum eſſentia actualis. Cæterum reſpectu differentiarum purè indiuidualium, nullum inuenitur ſufficiens fundamentum, vt per eas Angeli diuidantur intra eandem ſpeciem, eamque ſecundum diuerſos modos ſubſtantiales participent. Et ratio diſparitatis eſt : quoniam differentia ſpecifica comparatur per modum actus, & formæ ad genus tanquam ad aliquid potentiale, & determinabile : ac proinde prædictus modus limitationis non repugnat naturæ, quæ eſt adæquatè actus, & forma, & nullum dicit ordinem ad materiam. Differentia vero purè numerica comparatur ad ſpeciem tanquam ad actum & formam : & ideo nequit eam limitare niſi ſe habeat per modum materiæ, & potentiæ paſſiuæ, vel ſaltem ſit propria conditio illius, ortumque trahat ex ea tanquam ex prima radice : nam actus non limitatur per actum, ſed per potentiam. Quamobrem, cum in Angelis non inueniatur materia prima, deeſt primum, & proprium fundamentum diuerſitatis purè indiuidualis, ſeu multitudinis intra eandem ſpeciem, vt luculenter oſtendunt N. Salmant. *tract.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 6. & 7.

§. II.

Soluuntur argumenta aduerſæ opinionis.

6 COntrariam nobis ſententiam defendunt Nimphus 5. *Metaph. diſp.* 5. Zimara *theoremate* 97. Suarez *diſp.* 5. *ſuæ Metaph. ſect.* 4. & alij, qui aſſerunt formam ſubſtantialem eſſe ex ſe indiuiduam & primum, ac præcipuum fundamentum indiuiduationis rerum materialium. Quod poteſt ſuaderi primo : nam primum principium indiuiduationis compoſiti ſubſtantialis debet eſſe maximè proprium illius, vt eſt *hoc*, & indiuiduum : ſicut primum principium ſpecificationis prædicti compoſiti debet eſſe maxime proprium illius, vt in propria ſpecie conſtituti : atqui forma ſubſtantialis eſt maxime propria compoſiti vt eſt *hoc*, & indiuiduum ; non vero materia : illa ergo, & non hæc, eſt primum principium indiuiduationis rerum materialium. Probatur minor : quia eadem met materia, quæ modo eſt pars huius compoſiti, valet poſtea eſſe pars alterius : ergo neutrius eſt propria.

Confirmatur primo : nam vnumquodque ſecundum eandem rationem habet *eſſe*, & eſſe indiuiduum, vt docet D. Thom. *quæſt. vnic. de Anima art.* 1. *ad* 2. ergo illud eſt primum principium indiuiduationis compoſiti, quod eſt prima radix *eſſe* illius : ſed primum principium exiſtendi non eſt materia, ſed forma ſubſtan-

substantialis, vt satis cōstat ex dictis *in lib. Physic. disp. 3. q. 4.* ergo forma substantialis est primum, & radicale principium indiuiduationis rerum materialium. ¶ Confirmatur secundò: quia prius est, quod aliquid habeat *esse* in actu, quam quod sit in actu primum principium indiuiduationis, vt ex terminis constare videtur: sed materia prima non est ex se ens in actu; forma verò est ens in actu, cùm essentialiter actus sit: ergo ratio primi principij indiuiduationis non materiæ primæ, sed soli formæ substantiali attribuenda est.

Respondetur argumento negando minorem: quia licet forma substantialis vt est *hæc*, sit propria compositi, vt est *hoc*: nihilominus forma non est *hæc*, nisi per respectum ad hanc materiam, potius quam ad aliam: vnde materia est prima radix determinandi ad esse indiuiduale tàm formam, quàm compositum, iuxta illud: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Ad probationem autem in contrarium dicendum est, quod licet materia eadem numero negatiuè pertineat successiuè ad diuersa composita; non tamen eadem numero positiuè: nam secundum hanc rationem ad vnius compositi constitutionem spectat: & hoc pacto est prima radix indiuiduationis illius. Videantur, quæ diximus *in lib. Physic. disp. 3. q. 3.*

Ad primam confirmationem respondetur negando antecedens: quia existentia, cùm sit actus vltimus, debet conuenire composito ratione formæ; quæ est actus primus: indiuiduatio verò cùm sit quid materiale, debet trahere originem à materia tanquam à primo principio. Et oppositum non colligitur ex D. Thom. nam solùm docet idem esse indiuiduum, & susceptiuum *quod* existentiæ: minimè verò tradit, quod indiuiduatio, & existentia proueniant ab eadem radice. ¶ Ad secundam respondemus, quod ex sola terminorum æquiuocatione procedit, quam jam exclusimus *in lib. Physic. disp. 3. q. 2.* Nam licet materia non sit ex se ens in actu, vel principium in *actu*, provt ly *in actu* idem valet, ac per modum actus, aut habentis aliquam actualitatem; est tamen in actu, hoc est re ipsa, & verè aliquid habens entitatem per modum puræ potentiæ, & primi subjecti. Et hoc posterius sufficit, vt sit prima radix indiuiduationis, vt constat ex supradictis.

7 Arguitur secundò: nam ideò forma est primum principium vnitatis specificæ, quia licet prædicta vnitas nequeat dari sine materia, nihilominus hæc est quid potentiale, & indifferens, & determinatur per formam recipiendo ab ea vltimum complementum specificum: sed etiam forma tribuit vltimum complementum indiuiduale, & constituit compositum vt est *hoc*: qua ratione Aristot. 1. *de Anima cap.* 1. docet formam esse, quæ constituit *hoc aliquid*: ergo forma substantialis est primum, & præcipuum principium indiuiduationis rerum materialium.

Reſpondetur non ideò formam eſſe primum principium vnitatis ſpecificæ, quia tribuat vltimum complementum eſſentiale tam materiæ, quam compoſito; ſed quia primò tribuit prædictam ſpeciem: materia enim vt præintellecta ad formam ſolùm habet vnitatem ſpecificam negatiuam. At forma præcisè habet complere eſſe indiuiduale compoſiti; non verò illud radicare, & primo tribuere: quia forma, vt eſt *hæc*, quo pacto conſtituit compoſitum, vt eſt *hoc*, jam ſupponit materiam determinatam, & indiuiduum ſaltem inchoatiuè: forma enim fit *hæc* per habitudinem ad materiam *hanc*. Vnde licet ratio complendi indiuiduationem ſubſtãtialem competat formæ: ratio tamen eam primitùs fundandi, & radicandi eſt propria ſolius materiæ. Et in hoc ſenſu, conceſſis præmiſſis neganda eſt conſequentia.

8 Arguitur tertiò: nam ſi forma ſubſtantialis non eſſet indiuidua ex ſe, ſed per habitudinem ad materiam; ſequeretur, quod *hæc* forma eſſet determinata ad *hanc* materiam, & in nulla alia poſſet, ſaltem naturaliter recipi: conſequens eſt falſum: ergo forma non indiuiduatur per reſpectum ad materiam, ſed ex ſe ipſa; eritque proinde principium radicale propriæ indiuiduationis. Probatur minor: tum quia eadem *hæc* materia, quæ eſt ſub vna forma, poteſt eſſe naturaliter ſub alia: ergo eadem *hæc* forma, quæ eſt in hac materia, poteſt eſſe naturaliter in alia: actus enim & potentia mutuò ſibi correſpondent. Tum etiam: quia ſi *hæc* forma, v. g. anima equi ſolùm poteſt informare hanc materiam: ergo omnes animæ equi, quæ poſſunt illam determinatam materiam informare, habent inter ſe ſpecialem conuenientiam, quæ non competit aliis animabus equi, quæ nequeunt informare prædictam materiam; & conſequenter ſub eodem conceptu ſpecifico atomo poterit dari peculiaris cõceptus objectiuus communis quibuſdam indiuiduis, & non aliis: quod procul dubio eſt abſurdum: ergo forma hæc non determinatur naturaliter ad hanc materiam.

Confirmatur primò: nam ideò forma ſubſtantialis non eſſet primum indiuiduationis principium, quia limitatur, & fit hæc per materiam: ſed etiam materia limitatur, & fit *hæc* per formam: ergo vel materia non eſt primum principium indiuiduationis, vel ratio prædicti principij debet formæ eodem modo concedi. ¶ Confirmatur ſecũdò: quia ſi eadem forma informet diuerſas materias, compoſitum inde reſultans ſemper eſt idem: qua ratione reſurgẽt ſinguli homines cum ſua vnitate numerica: quia licet habuerint, & tunc habebunt diuerſas portiones materiæ; vnicuique tamen tribuetur ſua propria anima rationalis, quæ quamlibet materiam trahat ad propriam vnitatem numericam: ergo præcipuum principium indiuiduationis non eſt materia, ſed forma. Patet conſequentia: quia illud eſt primum principium indiuiduationis compoſiti, ad cuius variationem, vel perſiſtentiam compoſitum variatur, vel manet idem.

Reſpon

Respondetur argumento concedendo sequelam intellectam de hac numero materiam positiuè : nam forma vt *hæc* talem coaptationem habet ad hanc numero materiam positiuè, quod jam non valeat in diuersa materia recipi. Ad primam autem consequentis improbationem negamus antecedens intellectum de materia eadem numero positiuè : nam materia, quæ successiuè substat diuersis formis, solùm est negatiuè vna, variatur tamen positiuè juxta diuersas quantitates, ad quas sigillatur, vt infrà declarabimus *dub.* 3. ¶ Ex quibus ad secundam respondetur falso in ea supponi, quod plures formæ queant dicere ordinem ad eandem numero materiam positiuè. Licet enim omnes formæ sublunares valeant recipi in materia, quæ negatiuè sit vna, & eadem; nihilominus quælibet forma respicit hanc numero positiuè materiam ob sigillationem ad determinatam quantitatem : & ideò vna numero positiuè materia nunquam respicitur à formis numero diuersis. Vnde prædicta improbatio nihil concludit.

Ad primam confirmationem respondetur materiam limitari per formam tanquam per actum; formam verò limitari per materiam tanquam per potentiam, & primum subjectum. Et quia radix indiuiduationis debet reuocari in primum limitatiuum per modum subjecti, & potentiæ; ideò ratio primi principij vnitatis numericæ competit soli materiæ. Limitatio verò per modum actus fundat vnitatem formalē specificam : qua de causa forma est primum principium specificationis tàm materiæ, quàm compositi. Vnde licet materia habeat à forma vnitatem specificam tanquam à primo principio; imò & vnitatem numericam tanquam à sui complemento: tamen eidem formæ esse indiuiduum confert per modum primæ radicis, quæ ante formam intelligitur *hæc*, & indiuidua, saltem initiatiuè. ¶ Ad secundam constat ex dictis *in lib. Physic. disp. 6. q. 1.* vbi explicuimus, quomodo homo resurget non solum cum eadem numero forma, sed etiam cum eadem numero materia positiuè formaliter, licet variata materialiter quoad portiones: & ideò negandum est, quod eadem forma cum qualibet materia valeat idem compositum constituere.

9 Vltimò arguitur : quia vnumquodque ita est indiuiduum, sicut & ens : sed anima rationalis non dependet in suo esse à materia : ergo neque in sua indiuiduatione : ergo saltem hæc forma est indiuidua per se ipsam, & primum principium indiuiduationis compositi. Quod satis expressè videtur docere D. Th. 2. *contra gentes cap.* 81. dicens, quod sicut *esse* animæ rationalis non causatur à materia, ita neque indiuiduatio, vel vnitas.

Respondetur concedendo totum syllogismum, & negando secundam consequentiam : quia sicut rectè cohæret, quod anima rationalis in suo esse non dependeat à corpore; & quod nihilominus habeat esse per habitudinem ad corpus, & sit vera pars compositi substantialis : ita etiam bene componitur, quod indiuiduatio animæ rationalis

non dependeat à materia tanquam à subjecto eductionis, vel sustentationis; & quod hoc non obstante recipiat materiam vt primam radicem, per habitudinem ad quam limitatur, & diuiditur. Quod optimè docet D. Th. *quæst. de spiritualibus creaturis art.* 9. his verbis: *Dicendum, quod licet corpus non sit de essentia animæ; tamen anima secundum suam essentiam habet habitudinem ad corpus, in quantum hoc est ei essentiale, quod sit corporis forma: & ideò in definitione animæ ponitur corpus, sicut ergo de ratione animæ est, quod sit forma corporis: ita de ratione huius animæ, in quantum est hæc anima, est, quod habeat habitudinem ad hoc corpus:* Quia tamen anima ita indiuiduatur à materia, vt ab ea non dependeat; fit quod anima semel producta, & indiuiduata queat sicut *esse*, ita & indiuiduationem conseruare adhuc corpore destructo. Quod etiam obseruat sanctus Doctor *de ente, & essentia cap.* 6. vbi ait: *Licet indiuiduatio eius ex corpore occasionaliter dependeat, quantum ad sui inchoationem, quia non acquiritur sibi esse indiuiduatam, nisi in corpore, cuius est actus: non tamen oportet, vt destructo corpore indiuiduatio pereat: quia cùm habeat esse absolutum, ex quo acquisitum est sibi esse indiuiduatum, ex hoc, quod facta est forma huius corporis; illud esse semper remanet indiuiduatum. Et ideò dicit Auicenna, quod indiuiduatio animarum, & multiplicatio dependet ex corpore quantum ad sui principium; sed non quantum ad sui finem.* Licet enim tam in principio, quam in fine sit forma per se subsistens: nihilominus quia est vera pars corporis, non fit nisi in corpore, & per commensurationem ad hanc materiam, ex qua habet indiuiduari: & quia aliàs vnitur vnione corruptibili, valet optimè, ista cessante permanere vt forma per se subsistens: vnde non oportet, quod quantum ad hoc seruetur omnimoda correspondentia inter finem, & principium.

QVÆSTIO II.

An materia sit primum principium indiuiduationis secundum se sumpta, an verò vt signata quantitate?

SEmel ostenso, quod materia prima est primum principium indiuiduationis in genere substantiæ; videndum est, an id habeat secundum se accepta, an verò vt signata quantitate? Nomine autem materiæ vt signatæ quantitate tria possumus intelligere: primo compositũ quoddam accidentale ex materia, & quantitate in exercitio, & formaliter habita: secundò materiam primam vt affectam quodãmodo substantiali, ratione cuius dicat habitudinem exigentiæ ad determinatam quantitatem, vtputa potius ad hanc, quam ad illam: tertiò materiam

ipsam

ipsam nudam à quãtitate, & modo; prehabentẽ tamen per modum radicis hanc potius quantitatem, quam illam: quæ omnia magis constabunt ex dicendis *dub. sequenti*. Quæstio ergo præsens solùm considerat materiam vt sigillatam, & determinatam ad quantitatem, quoquo modo hæc designatio fiat. Merito autem fit mentio sigillationis ad quãtitatem, potius quam ad alia accidentia; cùm materia respicitur sub munere radicandi indiuiduationem: tum quia quantitas habet specialiter indiuiduari quodammodo per se ipsam intra propriam speciem: tum quia materia fit *hæc* positiuè (quo pacto est radix indiuiduationis) per suammet entitatem connotando hanc potius quantitatem, quam illam, vt ex dicendis constabit.

§. I.

Resolutio difficultatis juxta mentem Philosophi & D. Thomæ.

10 Dicendum est primum principium indiuiduationis esse materiam primam, non secundum se sumptam, sed signatam quantitate. Ita Aristot. 5. *Metaph. text.* 12. cuius testimonium refert D. Th. *Opusc.* 70. *q.* 4 *art.* 2. *ad* 1. vbi illud explicat his verbis: *Cùm dicit Philosophus, numero sunt vnum, quorum materia est vna, intelligendum est de materia signata, quæ subest dimensionibus: aliàs oporteret dicere, quod omnia generabilia, & corruptibilia sunt unum; cùm eorum sit materia vna.* Et in responsione *ad* 4. inquit: *Illa, quæ differunt numero in genere substantiæ, non solum differunt accidentibus, sed etiam forma, & materia. Sed si quæratur, quare hæc forma differat ab illa? non erit alia ratio, nisi quia est in hac materia signata: nec inuenitur alia ratio, quare hæc materia sit diuisa ab illa, nisi propter quantitatem. Et ideò materia subiecta dimensioni intelligitur esse principium huius diuersitatis.* Et opusculo de ente, & essentia, *cap.* 2. ait: *Sciendum est, quod materia non quomodolibet accepta est principium indiuiduationis, sed solum materia signata.* Idem tradit 1. *p. q.* 30. *art.* 3 *&* *q.* 50. *art.* 4. *&* 3. *p. q.* 77. *art.* 2. *&* 1. *contra gentes c.* 21. *&* *lib.* 2. *c.* 92. & alibi sæpè. Vnde hanc sententiam docent communiter Thomistæ, Capreol. *in* 2. *dist.* 3. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 2. Cajet. *de ente, & essentia c.* 2. *q.* 5. Ferrar. 1. *contra gentes c.* 21. Flandria 7. *Metaph. q.* 22. *art.* 3. Bañez 1. *de generat. c.* 5. *q.* 3. *art.* 8. & alij plures.

Probatur primò ratione desumpta ex D. Th. *opusc. cit.* quæ potest ad hãc formam reduci: nam materia prima secundum se cõsiderata non est propria alicuius indiuidui; sed est omnibus negatiuè communis: ergo materia secundum se accepta non est principium indiuiduationis: ergo est tale principium vt signata quantitate. Antecedens manifestè constat ex dictis *in lib. Physic. disp.* 3. *q.* 3. Prima consequentia liquet: quia primum principium indiuiduationis compositi debet esse maximè proprium illius vt est *hoc*: ergo si materia secundum se considerata non est propria alicuius indiuidui de-

terminati, sed omnibus negatiuè communis; nequit secundum se accepta esse primum indiuiduationis principium. Secundò etiam ostenditur: quia si semel materia secundum se considerata non est principium indiuiduationis, oportet, vt id habeat, quatenus vel habet, vel connotat aliquid aliud, per quod determinetur, & fiat *hæc*: sed nihil aptius potest ad hoc præstandum designari, quam quantitas: ergo materia vt sigillata per quantitatem est principium indiuiduationis. Suadetur minor: tum quia quantitas hæc habet speciale, quod sit quodammodo ex se indiuidua, vt declarabimus *quæstione quinta*: ergo est apta, vt per eius connotationem, & exigentiam materia constituatur in esse principij indiuiduationis: sicut quia ignis est calidus ex se, nihil potest calefacere, nisi vel sit ignis, vel præhabeat eius virtutem. Tum etiam, quia si semel materia debet aliquid præter se connotare, vt radicet indiuiduationem formæ, & compositi, id vtique erit aliquod accidens materiale, & ex parte illius se tenens: constat autem, quod quantitas est primum accidens corporeum, & se tenet ex parte materiæ: ergo materia nihil aptius quantitate potest habere, vel connotare, vt constituatur in esse principij indiuiduationis.

Confirmatur: quia illud est primum principium indiuiduationis, quo posito ponitur ipsa indiuiduatio, sed posita materia prima signata hac quantitate, & non illa, statim ponitur indiuiduatio compositi substantialis: ergo primum principium prædictæ indiuiduationis est materia signata quantitate. Probatur minor: quia materia signata hac quantitate, & non illa determinatur ad hanc formam, & ad hoc compositum: sed hoc ipso sequitur determinata forma, & compositum: ergo posita materia signata hac quantitate, statim ponitur indiuiduatio tam compositi, quam formæ substantialis.

11 Sed objicies: nam si materia non est principium indiuiduationis, nisi vt signata quantitate; sequitur, quod sit principium indiuiduationis ratione quantitatis: ergo facta collatione inter quantitatem, & materiam, præcipua, & prima radix indiuiduationis non materiæ, sed quantitati attribuenda est. Consequens est absurdum: nam prima radix indiuiduationis substantialis debet reperiri intra genus substantiæ: ergo vel materia non est principium prædictæ indiuiduationis, vel se habet secundum se, & non provt signata per quantitatem.

Huic objectioni, quæ tangit difficultatem *dub. seq.* ex professo examinandam, respondetur ex ibidem dicendis, quod quantitas non concurrit ad indiuiduationem substantiæ, vt exercitè ac formaliter habita, qua ratione est accidens superadditum materiæ, & realiter ab ea distinctum: sed vt radicaliter præhabita in materia, quo pacto non est formaliter accidens, sed est ipsamet entitas materiæ primæ vt exigens hanc quantitatem, potius quam illam.

illam. Vnde non sequitur, quod indiuiduatio substantialis reuocetur vltimatè in aliquid, quod sit extra genus substantiæ: sed sistit vltimò in materia prima, quæ eiusdem generis est, vt ex se liquet. Oportet tamen, quod licet prædictum principium sit sola materia in recto accepta; connotet in obliquo aliquid aliud, per habitudinem ad quod intra proprium genus determinetur, & fiat *hæc*.

12 Secundò probatur nostra conclusio alia ratione fundamentali: nam prima substantia materialis, quatenus talis, est substantia indiuidua, & singularis, vt docet Aristot. *in pradicam. cap. de substantia*: sed materia prima, vt signata quantitate est præcipua radix primæ substantiæ materialis, quatenus talis: ergo eodem modo est radix substantiæ materialis, vt indiuiduæ. Probatur minor: quia prima substantia est, quæ nec est in subjecto, nec de subjecto dicitur, vt constat ex dictis *in Logica disput.* 12. *quæst.* 3. Sed materia vt signata quantitate, est cui primò competit non esse in subjecto, neque de subjecto dici; siquidem ipsa est primum subjectum omninò irreceptibile in alio: ergo materia signata quantitate est prima radix primæ substantiæ, quatenus talis. Patet consequentia: quia primum in vnoquoque genere est causa, & radix cæterorum, vt docet Aristot. 2. *Metaph. text.* 30.

Confirmatur primò: nam quia genus consistit in quadam ratione metaphysica se habente per modum potentiæ respectu differentiæ specificæ; propterea genus reducitur ad materiam, quia est prima potentia physica: ergo si ratio primæ substantiæ metaphysicè consistit in eo, quod non sit in subjecto, ac proindè, quod nec de subjecto dicatur; opus est, quod prædicta ratio reducatur ad materiam signatam quantitate, tanquam ad primam radicem: quia prædicta materia est primum subjectum physicum, cui primo repugnat esse in alio, vel de alio subjecto dici. ¶ Cõfirmatur secundò: quia prima substantia est metaphysicè incommunicabilis aliis tanquam inferioribus: sed prima radix huius incommunicabilitatis est materia prima quantitate signata: hæc igitur est potissima radix primæ substantiæ, quatenus talis. Minor suadetur: quia forma, quantum est de se est communicabilis aliis: materia verò, cùm sit primum subjectum, nequit alteri communicari: & ideò forma recepta in materia determinata, ita limitatur, & coarctatur, vt jam alteri communicari non possit: ergo prima radix physica incommunicabilitatis primæ substantiæ est materia prima signata quantitate.

13 Sed huic rationi, & eius confirmationibus oppones *primò*: quia subjectum informationis, quale est materia prima, & subjectum prædicationis siue inferioritatis, quale est prima substantia, sunt rationis longæ diuersæ: ergo ex eo, quod materia sit primum subjectum informationis, non rectè colligitur, quod sit radix primi subjecti prædi

prædicationis. Vnde videmus, quod in Angelis non datur materia prima; & tamen datur subjectum prædicationis, & inferioritatis, videlicet substantia prima, & indiuidua. *Secundò*: nam quod materia prima sit primum subjectum alteri subjecto incommunicabile, nihil refert ad vniuersalitatem, vel inferioritatem substantiæ: nam ipsamet materia, licet sit primum subjectum, est communis, & prædicabilis de pluribus materiis: & è conuerso licet hæc forma non sit prædicabilis de pluribus inferioribus, est tamen communicabilis alteri vt subjecto: ergo prædicta ratio nihil concludit.

Respondetur ad primam objectionem, quod licet subjectum informationis, & subjectum inferioritatis sint diuersæ rationis; vnum tamen debet in alio fundari: vnde ex eo, quod materia sit primum subjectum informationis alteri subjecto incommunicabile, fundat rationem subjecti inferioritatis de altero inferiori non prædicabilis. Sicut etiam rationes potentiæ physicæ, & metaphysicæ sunt valde diuersæ: & nihilominus quia esse metaphysicum fundatur in aliquo esse physico; materia prima, vtpote prima potentia physica, fundat conceptum genericum, qui se habet instar potentiæ metaphysicæ. Nec id, quod dicitur de indiuiduis Angelicis, oppositum persuadet; sed potius nostram rationem confirmat: nam ideò natura Angelica est per se ipsam indiuidua, & prima substantia, seu subjectum inferioritatis, & prædicationis, quia per se ipsam est alteri subjecto incommunicabilis. Cùm igitur forma substantialis corporea sit, quantum est ex se, communicabilis alteri subjecto informationis, nequit per se solam fundare primum subjectum inferioritatis; sed est prædicabilis de pluribus: ergo è conuerso materia signata quantitate, quæ nequit alteri subjecto informationis communicari, est prima radix subjecti inferioritatis, seu primæ substantiæ, quæ nequit de pluribus prædicari. Quam doctrinam optimè tradit D. Th. 1 *p. q. 3. art. 2. vbi ad 3.* quod erat huiusmodi: *Materia est principium indiuiduationis: sed Deus videtur esse indiuiduum: non enim de multis prædicatur: ergo est compositus ex materia & forma,* respondet his verbis: *Dicendum, quod formæ, quæ sunt receptibiles in materia, indiuiduantur per materiam, quæ non potest esse in alio; cùm sit primum subiectum substans. Forma verò, quantum est de se, nisi aliquid aliud impediat, recipi potest à pluribus. Sed illa forma, quæ non est receptibilis in materia; sed est per se subsistens, ex hoc ipso indiuiduatur, quod non potest recipi in alio. Et huiusmodi forma est Deus* (& proportionabiliter Angelus) *vnde non sequitur, quod habeat materiam.*

Ad secundam negatur antecedens: Ad cuius probationem dicendum est materiam non esse radicem, & fundamentum subjecti inferioritatis, quatenus est negativè communis, & pertinet ad communem rationem speciei compositi substantialis; quo pacto est suo modo prædicabilis de pluribus materiis: sed secundum aliam rationem

nem diuersam, nempe quatenus signillatur ad determinatam quantitatem, quo modo est *hæc* numero positiue, & incapax, vt de pluribus prædicetur. Vnde solum concluditur, quod materia secundum suam essentiam præcise considerata non sit radix incommunicabilitatis propriæ indiuidui, quod libenter admittimus: minime vero, quod vt signata quantitate non habeat quidquid requiritur, vt munus prædictæ radicis exerceat. Et licet signari determinata quantitate sit extra eius essentiam; est tamen intra illius propriam lineam, vt dub. sequenti declarabimus: quocirca semper saluatur, quod materia sit principium indiuiduationis intra genus substantiæ. In quo plurimum differt à forma: hæc enim secundum omnem rationem ad lineam eius spectantem est communis, & vniuersalis: quia quantum est de se potest communicari alteri, vt subiecto: & ideo nequit fundare incommunicabilitatem propriam indiuidui. ¶ Ad secundam probationem dicimus formam non habere esse singularem, & impræ-dicabilem de pluribus, nisi quia recipitur in hac materia: & vt sic recepta, & determinata ad hoc subiectum non potest alteri subiecto communicari. Vnde semper verificatur rationem primi subiecti informationis fundare propriam rationem subiecti inferioritatis.

§. II.

Occurritur Aduersariorum rationibus.

14 CONtrariam opinionem asserentem materiam primam esse primum principium indiuiduationis secundum se acceptam; non vero, vt signillatam quantitate, tuetur B. Albertus relatus à Flandria 7. *Metaph. quæst.* 22. *art.* 1. Cui ex parte suffragantur Suarez, & alij relati *dub. præced. num.* 6. Et licet hæc sententia posset primo suaderi pluribus testimoniis D. Thom. consulto tamen ea non expendimus, & exponimus *in hoc dubio, vt in sequenti à num.* 32. illa conferamus cum aliis eiusdem S. Doct. authoritatibus, quæ videntur inter se pugnare: ita enim euidentius constabit legitima omnium intelligentia. Et ideo eis nunc omissis,

Arguitur primo ratione: quoniam vnumquodque ita est in se vnum & indiuiduum, sicut est ens: sed materia prima secundum se, & independenter à signillatione ad certam quantitatem est prima pars compositi substantialis: ergo eodem modo est primum principium eiusdem vt indiuidui. Minor liquet: quia materia secundum se est pars compositi substantialis: & collata cum forma est prior illa; siquidem forma educitur de materia, eamque præsupponit: ergo materia secundum se est prima pars compositi substantialis. ¶ Confirmatur: nam sicut specificatio sumitur à forma, ita indiuiduatio prouenit à materia,

vt constat ex dictis *dub. præced.* sed forma secundum se præcise spectata est primum principium specificationis : ergo materia secundum se considerata, aliisque circumscriptis, est primum principium indiuiduationis.

Respondetur ad argumentum, quod materia secundum se considerata est prima pars compositi substantialis considerati secundum se, & quoad essentiam : sed non est pars illius vt *huius*, & indiuidui, nisi quatenus est materia *hæc* determinate : quod habet per sigillationem ad certam quantitatem. Et ideo neganda est absolute consequentia. ¶ Ad confirmationem concessis præmissis, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod forma secundum se considerata est determinata ad certam speciem : & ideo potest per se solam esse primum principium illius. Materia vero secundum se sumpta non est determinata ad hanc potius indiuiduationem, quam ad illam : vnde opus est, quod determinetur per sigillationem ad certam quantitatẽ, vt sit principium indiuiduationis huius compositi, potius quam alterius.

15 Secundo arguitur : quia genus sumitur à materia secundum se accepta tanquam à prima radice : ergo & indiuiduatio. Antecedens constat ex dictis in *Log. disp. 5. qu. 4.* Consequentia vero probatur : nam ideo genus sumitur à sola materia velut à prima radice, quia est aliquid potentiale, & materiale : & ideo vltimo reuocandum est ad primam potentiam materialem, quæ nihil aliud est, quam materia secundum se considerata. Atqui indiuiduatio est quid materiale, imo materialius, quam genus ; cum sit adæquate extra speciem : ergo indiuiduatio reducenda est ad solam materiam secundum se acceptam, tanquam ad primam radicem. ¶ Confirmatur : nam quod potissimè conuenit indiuiduo vt tali, est incommunicabilitas respectu aliorum inferiorum : sed materia secundum se considerata est incommunicabilis aliis ; cum sit primum subiectum omnino irreceptibile in alio : ergo materia secundum se accepta est prima radix indiuiduationis.

Ad argumentum respondetur non ideo præcisè genus sumi à materia secundum se accepta, quia sit aliquid materiale ; sed quia est potentia metaphysica omnino indifferens respectu specierum : & ideo reducitur tanquam ad primam radicem ad materiam secundum se acceptam : quia materia provt sic est prima potentia physica omnino indifferens. Indiuiduum autem ita est materiale, vt nihilominus sit quid omnino determinatum : quocircà eius ratio non debet reduci in materiam secundum se acceptam ; sed in eandem vt sigillatam, & determinatam per quantitatem. ¶ Ad confirmationem respondemus incommunicabilitatem propriam indiuidui esse talem positiue : & ideo non reduci tanquam ad primam radicem ad materiam secundum se acceptam, quo pacto est incommunicabilis negatiue, sicut & vna ; sed ad eandem vt vnam, & incommunicabilem positiue : quod habet per sigillationem ad certam quantitatem.

16 Tertio

16 Tertio arguitur: nam materia prima non fit *hæc* per quantitatem, nec per sigillationem ad illam; ergo est indiuidua per se ipsam: & consequenter secundum se considerata erit primum principium indiuiduationis compositi substantialis. Vtraque consequentia constat ex dictis in hoc dubio. Et antecedens suadetur; quia quantitas *hæc* non recipitur nisi in *hac* materia: ergo materia est indiuidua ante quantitatem. Et similiter materia nequit dicere habitudinem ad hanc quantitatem, nisi sit *hæc* materia: ergo materia non fit hæc per sigillationem ad quantitatem.

Respondetur huic argumento, quod materia non fit *hæc* per receptionem exercitam quantitatis; sed præsupponi indiuiduam ante illam: vnde *hæc* quantitas non facit formaliter materiam *hanc*; sed illius indiuiduationem designat saltem à posteriori, & quoad nos. Cæterum ex hoc, quod materia præcontineat per modum radicis hanc quantitatem, potius quam illam (quod est sigillari) redditur formaliter singularis positiue. Et in hoc sensu negamus antecedens quoad secundam partem. Cuius probatio parum vrget: quia licet materia nequeat respicere hanc quantitatem, nisi sit *hæc*: tamen non requiritur, quod præsupponatur facta *hæc*, ante respectum ad certam quantitatem: sed fit formaliter *hæc* per suammet entitatem, vt respicientem hanc quantitatem, potius quam aliam.

17 Vltimo arguitur: quia nequit explicari, qualiter materia prima vt signata quantitate sit principium indiuiduationis, vel quid importet hæc sigillatio: ergo non materia vt signata; sed secundum se accepta erit primum indiuiduationis principium. ¶ Vt huic argumento quod difficultatem non leuem tangit, perspicuè occurramus, opus est sequens dubium aperire.

QVÆSTIO III.

Quid importet materia signata quantitate, quatenus est primum indiuiduationis principium?

QVamvis materiam signatam quantitate esse radicem indiuiduationis doceant adeo communiter Thomistæ, vt abierit jam in proloquium apud illos: nihilominus non omnes id explicant eodem modo: quod occasionem præbet præsenti dubio. Pro cuius resolutione animaduertendum est ad tria capita totam controuersiam deuolui: quidam enim dicunt materiam signatam quantitate esse concretum accidentale consurgens ex materia, & ex quantitate formaliter, & exercite habita: alij verò docent esse concretum substantiale constans ex materia, & ex quodam modo substantiali illi superaddito, per quod dicit habitudinem ad peculiarem quantitatem: alij autem affirmant esse solam materiam,

quæ prout connotat ſpeciales diſpoſitiones antecedentes, exigit hanc quantitatem, potius quam aliam. Noſtrum autem erit ſeligere modum dicendi menti D. Thom. magis conformem. Quod, vt cum maiori perſpicuitate conſequamur, dubium per diuerſas concluſiones decidemus.

§. I.

Excluditur primus modus explicandi ſigillationem materiæ.

18 Dicendum eſt primo materiam quantitate ſignatam, quæ eſt primum principium indiuiduationis, non importare quantitatem, vt formaliter habitam, aut per modum formæ ſibi mediate, vel immediate actu inhærentis.

Hanc concluſionem docet D. Thom. *opuſc.* 70. *quæſt.* 4. *art.* 2. & *opuſc.* 29. & *opuſc.* 32. *cap.* 3. vbi inquit: *Dicitur, quod materia ſub certis dimenſionibus eſt cauſa indiuiduationis, non quod dimenſiones cauſent indiuiduum; cum accidens non cauſet ſuum ſubiectum: ſed quia per dimenſiones certas cauſatur indiuiduum hic, & nunc, ſicut per ſignum proprium indiuidui.* Vnde ſic docent nobiliores Thomiſtæ Caiet. 1. *p. q.* 29. *art.* 1. Flandria 2. *Metaph. q.* 29. *art.* 4. Iauellus 5. *Metaph. qu.* 15. Bañez 1. *p. q.* 3. *art.* 2. Zumel ibidem tractatu de principio indiuiduationis *concluſ.* 2. Gonzalez *quæſt.* 11. *art.* 1. *diſp.* 23. & alij plures.

Probatur ratione deſumpta ex verbis D. Thom. nuper relatis: quoniam indiuiduum, ſeu prima ſubſtantia eſt vnum per ſe directè ponibile in prædicamento ſubſtantiæ, tanquam fundamentum omnium graduum prædicti generis: qua de cauſa Ariſtot. in prædicamentis primam ſubſtantiam vocat *maxime ſubſtantiam*: ſed hæc non poſſent ſaluari, ſi principium prædicti indiuidui importaret formaliter quantitatem: ergo materia, vt ſignata quantitate; quo pacto eſt prima radix indiuiduationis, non dicit quantitatem formaliter habitam. Maior, & conſequentia conſtant. Minor etiam oſtenditur: quia primum principium indiuiduationis pertinet intrinſece ad compoſitionem, & conſtitutionem indiuidui: ergo ſi affert formaliter quantitatem, jam hæc ingredietur ad indiuidui compoſitionem: ſed ex rebus diuerſorum prædicamentorum, quales ſunt ſubſtantia, & quantitas, nequit fieri vnum per ſe: ergo ſi materia in eſſe principij indiuiduationis importaret formaliter quantitatem; indiuiduum non poſſet eſſe vnum per ſe, nec poſſet collocari in prædicamento ſubſtantiæ.

Confirmatur primo: nam id, quod eſt fundamentum cæterorum in aliqua linea, nequit formaliter conſtitui per id, quod eſt extra prædictam lineam: ſed ſubſtantia prima, ſeu indiuidua eſt fundamentum aliorum in genere ſubſtantiæ: ergo nequit conſtitui per aliquid, quod ſit extra iſtud genus: conſtitueretur autem, ſi primum illius principium, nempe

nempe materia signata, diceret formaliter, & exercite quantitatem: ergo materia vt signata, & vt principium indiuiduationis, nequit quantitatem afferre formaliter, & exercite.

Confirmatur secundo: nam quod conuenit alicui ratione formæ vt actu, & formaliter informantis, nequit ei conuenire, vt præsupponitur ad talem formam: sed materia, vt præsupponitur ad quantitatem, est *hæc* positiue, ac proinde principium indiuiduationis compositi: ergo in esse talis principij non dicit quantitatem formaliter, & exercite habitam. Probatur minor: quia *hæc* quantitas recipitur in *hac* singulari materia positiue: sed quantitas supponit materiam, cui inest: ergo materia, vt præsupponitur ad quantitatem, est *hæc* positiue.

19 Respondebis primo huic rationi, quod duo pertinent ad vnitatem indiuidualem substantiæ: primum esse indiuisum in se; secundum esse diuisum ab aliis: ex quibus prius spectat ad essentiam indiuiduationis; secundum vero se habet ad instar proprietatis illius. Quantitas autem non concurrit formaliter ad primum; sed solum desideratur ad secundum. Et ideo non sequitur, quod indiuiduum essentialiter acceptum sit ens per accidens; sed tantum colligitur, quod fundet quandam proprietatem entitatiue accidentalem. Quod nullum est inconueniens.

Sed hanc distinctionem, & doctrinam (quam Caiet. vocat, & non immerito, chimericam) facile possumus euertere. *Primo*: quia idem est constitutiuum rei, & eius distinctiuum à quolibet alio: ergo si substantia constituitur indiuidua sine quantitate, etiam absque quantitate distinguetur ab aliis indiuiduis: vel è conuerso si quantitas est distinctiuum indiuidui, etiam erit constitutiuum illius. *Secundo*: quoniam id, quod constituit speciem, distinguit eam à qualibet alia specie: ergo pariter quod constituit indiuiduum, distinguet ipsum à quolibet alio: ergo repugnat quantitatem non desiderari ad constitutionem indiuidui, & requiri ad diuisionem illius. *Tertio*: nam illa ratio, quæ constituit indiuiduum indiuisum in se, vel potest inueniri in aliis indiuiduis, vel non? Primum dici non potest: quia jam prædicta ratio esset, & nõ esset propria huius indiuidui: quod aperte repugnat. Secundum vero suadet prædictam rationem reddere indiuiduum, & indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: nam hoc ipso, quod indiuiduum habeat aliquid in se, quod nequeat in alijs indiuiduis reperiri non potest non ex vi huius distingui ab omnibus aliis. Sicut quia species habet vltimam differentiam, quæ alijs speciebus conuenire non potest; per illam differt ab omnibus speciebus. *Quarto*: quia diuisio, seu distinctio duorum indiuiduorum debet esse substantialis, non solũ denominatiue, ex eo scilicet, quod versetur inter substantias; sed formaliter, nempe intra genus substantiæ: alias Christus Dominus, & Iudas essent idem realiter substantialiter, quod est absurdum sed quantitãs,

vtpote purum accidens, nequit esse principium distinctionis, quæ sit formaliter, & entitatiue substantialis; siquidem hæc petit causam formaliter intrinsecam eiusdem ordinis: ergo quantitas formaliter sumpta non concurrit ad indiuiduum nec quoad esse indiuisum in se (esto, quod hæc sit adæquata essentia illius) nec quoad esse diuisum ab aliis (esto id pertineat ad eius proprietatem) sed hæc omnia saluantur, quin quantitas ad ea formaliter, & vt habita concurrat. *Quinto*, & vltimo; quia saltem per diuinam potentiam potest indiuiduum substantiale manere in rerum natura absque quantitate; sicut è conuerso quantitas in Eucharistia subsistit absque propria substantia: & tamen prædictum indiuiduum maneret substantialiter diuisum, seu distinctum ab omnibus alijs indiuiduis: ergo esse diuisum indiuidui non prouenit formaliter à quantitate habita; alias non posset absque illa conseruari, sicut nec esse extensum sine quantitate, vel coloratum absque colore.

20 Respondebis secundo ex ijs solùm haberi, quod quantitas non pertineat in recto, & per modum formæ ad rationem indiuidui substantialis, minime vero, quod non pertineat in obliquo vt exercitè habita; non enim repugnat, quod ad vnitatem rei ponibilis in vna linea desideretur aliquid in obliquo, quod ad aliam lineam spectet. Et ita esse indiuisum, licet sit pro formali substantia, poterit petere quantitatem formaliter habitam importatam in obliquo. Ex quo vlterius fiet, quod materia sigillata non dicat se, & quantitatem in recto; sed se in recto, & in obliquo quantitatem; vtrumque tamen formaliter.

Sed contra: quia licet non sit contra rationem entis per se, & directe ponibilis in prædicamento, afferre aliquid in obliquo, quod sit extra propriam lineam, quando illud obliquum est extrinsecum; secus autem, quando est intrinsecum. Et hac ratione accidentia in abstracto sunt entia per se, & directe ponibilia in prædicamento; secus vero sumpta in concreto: quia licet tam in abstracto, quam in concreto, habeant connotare substantiam; nihilominus abstracta dicunt substantiam, vt obliquum pure extrinsecum, & extra eorum essentiam; concreta vero dicunt eandem substantiam, vt obliquum intrinsecum, ex quo, & ex propria entitate componuntur. Constat autem, quod in sententia Aduersariorum quantitas intrinsecè, & formaliter concurrit ad vnitatem numericam, quatenus hæc importat *esse* diuisum: ergo hac euasione non saluatur, quod indiuiduum sit ens per se directe collocabile in genere substantiæ. Eo vel maxime, quod ex rebus diuersorum prædicamentorum habentibus integras, & completas essentias, nequit fieri vnum ens per se, siue vtraque res sumatur in recto, siue vna in recto, & altera in obliquo, sed per hoc, quod substantia sumatur in recto, & quantitas in obliquo, non excluditur, quod sint res diuersorum prædicamentorum habentes essen-

tias

tias completas : ergo indiuiduum, si vtramque importet, non potest esse vnum ens per se directe ponibile in prædicamento.

Deinde impugnatur hæc responsio : nam materia, priusquam dicat, aut afferat quantitatem formaliter habitam adhuc in obliquo ; dicit habitudinem ad eandem quantitatem, vt habendam : sed eo ipso, quod materia respiciat hanc determinatè quantitatem est *hæc*, & singularis positiue : ergo vt sit *hæc* positiue, non requiritur, quod dicat quantitatem vt connotatum intrinsecum, & formaliter habitum ; sed sufficit dicere illam, vt obliquum extrinsecum, & habitum radicaliter : constat autem, quod materia est primum principium indiuiduationis, quatenus est *hæc* positiuè : ergo materia signata, quæ est indiuiduationis radix, non importat quantitatem vel in recto, vel in obliquo, vt formaliter, & exercitè habitam.

§. II.

Refutatur secundus dicendi modus.

21 Dicendum est secundo materiam signatam quantitate, quæ est principium indiuiduationis, non dicere formaliter aliquem modum substantialem sibi superadditum, & determinantem ad hanc potius quantitatem, quam ad illam. Ita D. Thom. locis pro prima conclusione citatis, quam sequuntur communiter eius discipuli.

Fundamentum est : nam id, quod habet rationem oppositam propriæ rationi, per quam materia constituitur in esse radicis indiuiduationis, nequit conducere, vt materia constituatur in esse prædictæ radicis : atqui ille modus substantialis habet rationem oppositam propriæ rationi, per quam materia est indiuiduationis principium ; ergo nequit conducere ; vt constituatur in esse talis principij : ergo materia signata quantitate non dicit formaliter prædictum modum. Major, & vtraque consequentia constant. Minor autem probatur : quia materia habet rationem primi principij indiuiduationis, quatenus est primum subiectum non receptum, nec receptibile in alio : sed ille modus recipitur in alio, vt ex se liquet : ergo habet rationem oppositam illi rationi, per quam materia est indiuiduationis principium. Qua etiam de causa quantitas non desideratur ad indiuiduationem sub conceptu formæ inhærentis ; sed sub alia diuersa ratione, quam *qu. 5.* explicabimus,

Confirmatur, quia actus physicè singularis præsupponit subiectum physicè singulare : sed prædictus modus esset physicè singularis : ergo supponeret materiam factam *hanc*, & singularem positiue : ergo materia pro priori ad illum modum, atque ideo secundum quod non dependet ab eo, est *hæc* positiue, & principium indiuiduationis. Major, in qua sola potest esse difficul

difficultas ſuadetur : quoniam actuario phyſica debet eſſe inter extrema phyſicè, & actu diſtincta : ſed nequit dari diſtinctio actualis, niſi inter extrema actu, & poſitiue ſingularia : ergo materia recipiens illum modum, & vt præſuppoſita ad ipſum, eſt *hæc*, & poſitiuè ſingularis. In quo diſtinguitur actuatio phyſica à metaphyſica : hæc enim, cum ſolum fiat per rationem cum fundamento in re, non petit extrema actu diſtincta, atque ideo nec poſitiuè ſingularia, quatenus ſunt extrema prædictæ compoſitionis.

Confirmatur ſecundo : nam ideo forma ſubſtantialis nequit eſſe prima radix indiuiduationis, nec conſtituere materiam in eſſe radicis, quia eſt de ſe communicabilis pluribus, vt conſtat ex dictis *dub.* 1. ſed quicumque modus ſubſtantialis eſt etiam de ſe communicabilis alijs, cùm habeat rationem actus, & formæ : ergo nequit deſeruire, vt materia ſit principium indiuiduationis. Et quamvis dicatur hunc modum identificari cum materia prima, & conſequenter eſſe incommunicabilem, ſicut illa : adhuc perſiſtit vis noſtræ rationis : quia jam ſequitur, quod ille modus ex ſe, & ex propijs meritis non conducat vt materia ſit radix indiuiduationis; ſiquidem non confert materiæ illam incommunicabilitatem, ſed eam potius mutuatur à materia.

22 Sed obijcies : implicat, quod id, quod non eſt actus purus, influat, ſeu cauſet in actu ſecundo, niſi illi ſuperaddatur aliquid, quod ſe habeat per modum exercitij, & cauſalitatis : ob quam rationem materia, & forma ad cauſandum compoſitum indigent vnione à ſe diſtincta ; & cauſa efficiens creata indiget actione, vt ponderauimus *in libr. Phyſicorum, diſput. 6. quæſt.* 2. ergo, vt materia ſit exercitè principium, & cauſa indiuiduationis compoſiti, indiget aliquo ſibi ſuperaddito : ſed nihil aptius poteſt pro hoc munere excogitari, quam modus ſubſtantialis determinans materiam ad certam quantitatem, vt diſcurrenti conſtabit : ergo materia ſignata, quæ eſt principium indiuiduationis importat prædictum modum. ¶ Confirmatur : quia materia, vt ſigillata dicit ſe ipſam, vt exigentem determinatam quantitatem : ſed materia eſt de ſe indifferens ad omnem quantitatem : ergo debet determinari per aliquid intrinſecum : quod nequit eſſe aliud, niſi prædictus modus ſubſtantialis.

Reſpondetur huic obiectioni negando primam conſequentiam : quia materiam eſſe exercite radicem indiuiduationis non importat formaliter actum ſecundum ; ſed potius dicit ipſam potentialitatem materiæ, vt omnino incommunicabilem alteri : & ideo non oportet, quod ſuperaddatur aliquid materiæ, per quod conſtituatur in eſſe radicis. Sicut quia materiam appetere formam nondum habitam non eſt actus ſecundus ; ideo non requirit aliquid præter ipſam materiam, vt connotantem ipſius formæ priuationem, iuxta dicta *in lib. Phyſicor. diſput. 5. quæſt. 7.* Ita etiam, quia radicare indiuiduationem non

eſt

eſt actus ſecundus; ſed ſolum quædam exigentia determinatæ formæ, & compoſiti; propterea non petit aliud, niſi ipſam nudam entitatem materiæ in recto, connotando diſpoſitiones antecedentes: nam ex vi huius ſufficienter determinatur ad certam quantitatem, quod eſt ipſum ſignari, vel ſigillari. Diximus materiam in eſſe radicis non importare *formaliter actum ſecundum*: quia licet nunquam ſit radix indiuiduationis, quin in eodem inſtanti adſit aliqua actualitas à materia diſtincta, videlicet compoſitum, forma, & vnio ſubſtantialis, hæc tamen non deſiderantur, vt materia conſtituatur formaliter in eſſe radicis; ſed concurrunt aliunde, & ob alias exigentias. ¶ Ad confirmationem reſpondemus, quod licet materia ſecundum ſe ſit indifferens ad omnem quantitatem; poteſt nihilominus ſufficienter determinari, quin importet aliquid, niſi ſuam entitatem, vt connotantem quoddam obliquum extrinſecum. Sed hæc ex ijs, quæ jam ſubijcimus, lucem accipient.

§. III.

Vltimus modus dicendi eligitur, & probatur.

23 DIcendum eſt tertio materiam ſignatam quantitate, quæ eſt principium indiuiduationis, eſſe materiam præhabentem per modum radicis hanc quantitatem potius, quam illam. Hanc concluſionem docet D. Thom. locis pro prima citatis, & præcipue *opuſculo 70. quæſt. 4. art. 2. ad 3.* vbi docet materiam eſſe principium indiuiduationis *ratione dimenſionum in ea præintellectarum*, ſeu præcontentarum: quod idem eſt, ac per modum radicis illas dimenſiones præcontinentis. Vnde hanc concluſionem docent Authores ibidem relati, ex quibus Bañez eam vocat valde ſubtilem, probabiliſſimam, & D. Thomæ conformem.

Probatur vnica ratione: quia materia, eſt principium indiuiduationis non ſecundum ſe, ſed vt ſignata quantitate, vt *quæſt. 2.* oſtendimus: ſed materia ſignata quantitate non importat ipſam quantitatem formaliter habitam, nec modum ſubſtantialem, per quem ad ipſam determinetur, vt *hac quæſt.* oſtenſum eſt: ergo dicit ſe ipſam, vt præhabentem per modum radicis hanc quantitatem, potius quam illam. Probatur conſequentia: tum quia non ſupereſt alius modus explicandi ſigillationem materiæ ad quantitatem. Tum etiam quia iſte modus eſt prior, & congruentior alijs: prior quidem, nam prius eſt materiam præcontinere per modum radicis quantitatem, quam illam habere formaliter, vel alium modum à ſe diuerſum: congruentior vero, quia non extrahit materiam à linea ſubſtantiæ, nec à conceptu primi, & puri ſubiecti omnino irreceptibilis. Tum etiam, quia quantitas habet quodammodo eſſe indiuiduam ex ſe, & indiuiduationis principium, vt *quæſt. 5.* oſtendemus: ergo cum materia nequeat eſſe radix indiui-

duationis, nec ſecundum ſe accepta, nec vt affecta quantitate; erit ipſamet materia, vt præhabens radicaliter quantitatem.

24 Si autem inquiras, per quid materia prima ex ſe indifferens, determinetur ad præhabendam radicaliter hanc quantitatem, potius quam illam? Reſpondetur determinari per ſuammet entitatem, connotando tamen, ſi compoſitum fiat per generationem, quod in tempore antecedenti ad inſtans generationis præceſſerint peculiares eæ diſpoſitiones, potius quam illæ: ſi vero fiat per creationem, quod Deus illud producat per ſuos actus intellectus, & voluntatis, vt virtualiter, & eminenter continent hoc potius compoſitum, quam illud. Nam hæc eſt peculiaris conditio, & vt ſic dicamus, ingenium proprium materiæ, quod connotando prædictas diſpoſitiones, vel actus, per ſuam entitatem propendat magis in hanc quantitatem, quam in illam, quod eſt eam radicaliter præhabere, vel ad ipſam ſigillari. Licet enim ex ſe ſit indifferens ad omnes quantitates in ſingulari acceptas; omnes tamen, quantum eſt de ſe præcontinet: & ideo nihil illi deeſt ex parte ſui, vt hanc determinate radicet, niſi connotare aliquid, quod hanc potius exigat, quam aliam. Quamobrem hoc ipſo, quod præceſſerint illæ diſpoſitiones, & actus; manet per ſuam entitatem determinata, & ſigillata ad certam quantitatem; & fit radix determinati indiuidui. Ad quod amplius illuſtrandum non deſunt exempla: nam in primis ſpecies Angelica repræſentat exiſtentiam exercitam huius indiuidui, quam antea non repræſentabat; licet nihil prædictæ ſpeciei realiter ſuperaddatur: quia habebat, quantum eſt de ſe, quidquid deſideratur ad illam repræſentandam; & ſolùm deficiebat connotatum productionis, & exercitij exiſtentiæ: vnde eo poſito ſtatim eam exercite repræſentat. Deinde relatio paternitatis exiſtens in Petro terminatur, quantum eſt de ſe, ad omnes filios: & ideo poſita generatione ſecundi filij, ſtatim ſine aliqua additione terminatur ad ipſum; quin aliud deſideretur, niſi hoc extrinſecum connotatum. Denique ipſamet materia appetit formas appetitu nunc deſiderij, nunc complacentiæ, iuxta diuerſa connotata abſentiæ, vel præſentiæ formarum: quia videlicet habet per ſe ipſam, quidquid intrinſecè, & in recto ad appetendum deſideratur; & ſolum deficiunt ei illa extrinſeca connotata. Ita ergo licet ex ſe ſit indifferens; ſi tamen connotet ſpeciales diſpoſitiones antecedentes, determinatur per ſe ipſam ad continendum, & radicandum exercite hanc quantitatem, potius quam aliam. Videantur, quæ ſupra diximus *diſp. 2. qu. 6. §. 3.* vbi diluimus aliquas difficultates, quæ hic poſſent nos præpedire.

25 Sed obijcies: nam ſi relatio paternitatis tantum negatiue ſe extenderet ad filios (hoc eſt, ſi non haberet aliquid, per quod illos reſpiceret; licet nec ei repugnaret eos reſpicere) non poſſet poſitiue extendi ad nouum filium, niſi ei aliquid de nouo adderetur: ſed materia

ria prima solùm est vna num. negatiue, vt diximus *in lib. Phys. disp. 3. q. 3.* ergo nisi ei de nouo aliquid in recto superaddatur, non poterit fieri *hæc* numero positiuè, & consequenter nec sigillari ad determinatam quantitatem, nec esse radix indiuiduationis compositi.

Respondetur materiam ita se habere indifferenter ad plura indiuidua (in quo consistit eius vnitas numerica negatiua) quod tamen habeat in esse entis omnem realitatem desideratam, vt sit vna numero positiue. Sed quia illam non habet in esse recti ob defectum connotati supra explicati; propterea secundum se accepta non est negatiue vna. Quamobrem per solam cõnotationem prædicti obliqui, & absque additione alterius realitatis in recto importatæ, fit vna numero positiuè, & radix exercitè indiuiduationis. Sicut species angelica, quia habet quidquid in esse entis requiritur ad repræsentandum exercitè nouum indiuiduum; per solam eius connotationem incipit illud exercite repræsentare, quin ad hoc egeat aliqua realitate sibi superaddita. Quod à fortiori in præsenti admittendum est: quoniam vnitas numerica positiua materiæ est vnitas puræ potentiæ omnino irreceptibilis in alio: vnde nequit importare aliquem actum: hic enim, & receptibilis est, & excludit conceptum puræ potentiæ, vt ex terminis liquet: constat autem, quod si aliquid superaddatur materiæ in recto illud, habet rationem actus: ergo materia non fit *hæc*, & indiuidua positiue per aliquid sibi intrinsecè, & in recto superadditum; sed per suam inet entitatem, connotando tamen, tanquam obliquum extrinsecum dispositiones antecedentes: nam his positis continet radicaliter quantitatem determinatam.

16 Dices: dispositiones antecedentes determinant materiam ad præcontinendum specialiter hanc quantitatem, potius quam illam: ergo radix indiuiduationis potius conuenit prædictis dispositionibus, quam quantitati. Sicut quia facta comparatione inter formam substantialem, & quantitatem, hæc determinat materiam ad formam; propterea quantitas est potiori jure radix indiuiduationis, quam forma.

Respondetur negando consequentiam: tum quia dispositiones antecedentes solùm importantur in obliquo: quantitas vero, vt radicaliter præhabita, importatur in recto: nam est ipsamet entitas materiæ primæ. Tum etiam quia dispositiones antecedentes solùm determinant materiam extrinsecè: quantitas autem, vt præhabita determinat intrinsecè. Tum præterea quia quantitas subsequens, vt præhabita determinat permanenter, & in *facto esse*; secus vero dispositiones antecedentes, vt ex se liquet. Tum denique; nam alia accidentia nullo modo sunt ex se indiuidua: quantitas vero hoc habet speciale, vt per se ipsam quodammodo indiuiduetur. Quæ omnia satis ostendunt quantitatem, vt præhabitam esse speciali titulo radicem indiuiduationis compositi substantialis, & anteire in præ-

dicta ratione tam dispositiones antecedentes, quam formam substantialem.

§. IV.

Diluuntur argumenta contra primam conclusionem.

27 FErrara 1. *contra Gentes, c.* 21. Soncinas 7. *Metaph. quæst.* 34. Nazarius 1. *p. qu.* 3. *art.* 2. *qu. vnic.* defendunt materiam signatam quantitate, quæ est radix indiuiduationis, importare quantitatem actu, & formaliter habitam, & sibi saltem in suo toto inhærentem. Quod suadent pluribus D. Thom. testimoniis, quibus congruentius §. 6. occurremus. Et ideo eis nunc relictis probatur primo hæc opinio ratione: quoniam materia non est *hæc* positiue, & principium indiuiduationis, nisi ipsa sit diuisa ab alia materia: sed materia non diuiditur, nisi per quantitatem formaliter, & exercite habitam: ergo materia signata, (quæ est *hæc* positiue) importat formaliter quantitatem. Minorem docet D. Thom. pluribus in locis, & præcipue *opusc.* 70. *quæst.* 4. *art.* 2. vbi inquit: *Materia non est diuisibilis, nisi per quantitatem. Vnde Philosoph. dicit* 1. *Ethicorum, quod semota quantitate, manet substantia indiuisibilis. Et ideo materia efficitur hæc, & signata, secundum quod est sub dimensionibus.*

Confirmatur: quia nulla potentia limitatur, determinatur, & appropriatur alicui, nisi per actum informantem, qui illius indifferentiam determinet ad vnum: sed materia est potentia summè indifferens: ergo nequit limitari, determinari, & appropriari alicui composito, nisi per aliquem actum sibi mediate, vel immediate inhærentem: sed hic actus est quantitas, per quam signatur: ergo materia signata importat formaliter quantitatem. Eo vel maxime, quod quantitas, vt radicaliter solum præcontenta, habet esse indistinctè, & confusè in potentialitate materiæ: atque ideo est improportionata, vt eam limiter, & determinet ad certum indiuiduum.

Respondetur argumento distinguendo minorem: *Materia non diuiditur in partes integrales, aut in tota formaliter integralia, nisi ratione quantitatis formaliter habitæ*, concedimus minorem. *Non diuiditur in partes subiectiuas, aut in tota formaliter substantialia nisi ratione quantitatis formaliter habitæ*, negamus minorem, & consequentiam. Itaque aliud est loqui de partibus subiectiuis, quæ nihil aliud sunt, quam plura indiuidua, & tota substantialia, quæ suo modo subijciuntur toto subsantiali in communi accepto: aliud vero de partibus integralibus, quæ nihil aliud sunt, quam partes entitatiuæ eiusdem indiuidui. Priores illæ partes sunt formaliter, & in recto substantiales: posteriores vero sunt in recto, & formaliter quantitatiuæ, & accidētales; & solum dicuntur substantiales denominatiue, vt late ostendimus *d.* 5. *q.* 1. Quamvis ergo ad diuisionem in vtrasque partes desideretur quantitas; aliter tamen, & aliter: nam

ad

ad diuisionem in partes integrales requiritur quantitas formaliter, & in recto habita: ad subiectiuas vero sufficit quantitas præcontenta radicaliter in materia. Quoniam materiam habere partes integrales est effectus formalis quantitatis, vt loco nuper citato statuimus: qui proinde absque quantitate formaliter habita dari nequit. At materiam diuidi in partes subiectiuas, seu tota substantialia est effectus pertinens formaliter ad genus substantiæ: quamobrem nequit formaliter, & in recto præstari à quantitate formaliter habita, cum ita accepta sit accidens: sed debet communicari à quantitate radicaliter præhabita, quæ provt sic est substantia, nempe ipsa materia prima continens quantitatem. Et in hoc sensu loquitur D. Thom. cum asserit materiam fieri *hanc*, & signatam, secundum quod *est* sub dimensionibus, nempe radicaliter, & secundum exigentiam, non vero actu, & exercitè.

Ad confirmationem patet ex dictis §. *præced.* vbi ostendimus materiam præcontinendo radicaliter hanc quantitatem, potius quam aliam, determinari tum in se, tum ad certum indiuiduum. Ad præcontinendum vero ipsam quantitatem signari per solam suam entitatem in recto acceptam, connotando tanquam vt obliquum dispositiones antecedentes. Quæ doctrina non euertitur, per id, quod additur in hac confirmatione: nam in materia signata, & sigillata ad quantitatem per connotationem dispositionum antecedentiũ non continetur quælibet quantitas indistinctè, & in confuso; sed quantitas determinata, & certa: vnde ex vi huius potest materia sufficienter limitari, & determinari ad certum indiuiduum, eiusque indiuiduationem radicaliter fundare.

28 Secundo arguitur: nam quantitas ex se, & ex propriis meritis habet esse indiuiduam, saltem quoad *esse* diuisum ab aliis: sed quod est formaliter tale, debet esse talis conditionis, vt ipsum dumtaxat sit tale formaliter, vel ea solum, quæ ipsum actu, & formaliter participant: ergo materia nequit esse formaliter singularis, saltem quoad esse diuisum, nisi habeat actu, & formaliter quantitatem. ¶ Confirmatur præcludendo tacitam euasionem: quia licet in genere causæ efficientis possit id, quod est formaliter tale procedere ab eo, quod solum virtualiter, vel eminenter est tale; in genere tamen causæ formalis, vel materialis nequit effectus esse formaliter talis, nisi per causam, quæ sit talis formaliter: & ideo nihil valet esse formaliter calidum, nisi vel sit ignis, vel habeat calorem formalem participatum ab igne: sed esse formaliter diuisum ab alio est effectus quantitatis in genere causæ formalis: ergo nihil potest esse formaliter diuisum ab alio, nisi actu, & formaliter habeat quantitatem: ergo materia, vt sit singularis positiue, & diuisa ab aliis, debet importare quantitatem mediatè, aut immediate sibi formaliter inhærentem.

Respondetur ad argumentum negando minorem vniuersaliter intellectã: nam vt quantitas dicatur peculiari titulo radix singularitatis quoad *esse* diuisum, sufficit, quod materia nequeat fieri positiuè singularis, &

diuisa ab aliis, nisi præcontinendo radicaliter ipsam quantitatem : jam enim prædictus effectus reuocatur ad quantitatem, non quidem, vt formaliter habitam, sed vt virtualiter præcontentam. ¶ Vnde ad confirmationem, quæ traditam responsionem impugnat, dicendum est, quod *esse* diuisum materiæ, & compositi substantialis, & esse diuisum quantitatis (licet vtrumque sit formaliter tale) nihilominus sunt rationis longe diuersæ, vt ex se liquet. Et ideo *esse* diuisum materiæ, & compositi non petit quantitatem, vt formaliter habitam, & vt communicantem per modum causæ formalis prædictum effectum : imo id aperte repugnat, vt constat ex supra dictis. Sicut si darentur duo colores formaliter tales ; diuersæ tamen speciei : neuter posset esse talis per alium formaliter sed ad summum per illud vt virtualiter participatum, & præcontentum in se. Alia argumenta solent formari pro hac sententia, quæ impugnant sigillationem materiæ, vt à nobis exponitur : sed hæc soluta manent *ex dictis §. præced.* vnde non est, cur in eis enodandis immoremur.

§. V.

Occurritur rationibus contra tertiam assertionem.

29 ADuersus secundam conclusionem nihil se se offert alicuius momenti præter ea, quæ §. 2. obiecimus, & diluimus. Tertiam autem euertere conantur Suarez *disp. 5. Metaph. sect. 3.* Quæ impugnatur primo : quoniam materia prius est singularis, & *hæc* positiue, quam præcontineat quantitatem hanc : ergo materia non est principium indiuiduationis vel propriæ, vel compositi, vt signata quantitate, quatenus per hoc significatur materia, vt certam quantitatem radicaliter continet. Consequentia liquet ex hactenus traditis in hoc dubio. Antecedens autem probatur: quia materia eodem modo præcontinet suos effectus, quo illos causat, & recipit : sed prius recipit, & causat formam substantialem, quam quantitatem : ergo prius continet hanc formam substantialem, quam hanc quantitatem : sed pro illo priori, in quo materia continet hanc formam, est singularis, & hæc positiue : ergo materia prius est singularis, & *hæc* positiue, quam præcontineat hanc quantitatem.

Confirmatur : quoniam materiam præcontinere effectum est illud respicere : sed materia prius respicit formam substantialem, quam quantitatem : ergo prius continet hanc formam, quam hanc quantitatem. Suadetur minor : tum quia forma substantialis est actus primarius, & potissimus materiæ : ergo respicitur ab ea, priusquam alij actus. Tum etiam, quia materia prius respicit ea, quæ sunt proprij generis, quam extranea, forma autem est eiusdem generis cum materia, secus vero quantitas, vt ex se liquet : ergo. Tum denique, quia materia non respicit hanc quantitatem nisi propter hanc formam : respicit quippe hanc quantitatem, vt per eam disponatur ad huius formæ receptionem.

nem : ergo magis, atque ideo prius, respicit formam substantialem, quam quantitatem.

Ad argumentum respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum materiam, & eius effectus posse dupliciter considerari : primo in genere causæ materialis receptiuæ : secundo in genere causæ materialis dispositiuæ, vt constat ex supra dictis *disp. 2. q. 7.* vbi hæc causarum genera, & earum causalitates, ac prioritates ex professo explicuimus. Si ergo materia conferatur cum forma substantiali, & quantitate in genere causæ materialis receptiuæ ; prius continet formam, quam quantitatem : quia prius recipit illam, quam istam. Si vero comparetur ad eos in genere causæ dispositiuæ ; prius continet quantitatem, quam formam : quia disponitur per quantitatem ad formæ receptionem. Et sicut non est inconueniens, quod supposita diuisione finis in finem *cui*, & in finem *cuius gratia*, aliquid sit prius alio per modum finis *cui*, & posterius eo per modum finis *cuius gratia* : vnde solet dici redemptionem generis humani esse finem *cui* Incarnationis ; ipsam vero Incarnationem, seu Christum Dominum esse finem *cuius gratia* respectu humani generis, & se diuerso modo alternatim præcedere. Ita quia causa materialis diuiditur in receptiuam, & dispositiuam, possunt forma, & quantitas diuersimode inter se, & cum materia conferri. Et quidem in genere causæ receptiuæ forma præcontinetur prius, quia complet materiam, vt recipiat quantitatem : in genere autem causæ dispositiuæ prius quantitas continetur, quia disponit materiam, vt recipiat formam. Vnde quia materiam determinari, & fieri *hanc* pertinet ad genus causæ dispositiuæ, cum per hoc aptetur ad receptionem huius formæ substantialis, & ad constitutionem huius compositi : propterea dicendum est *hanc* materiam prius continere hanc quantitatem, quam formam hanc : licet absolute, vel in genere causæ materialis receptiuæ prius contineat formam, quam quantitatem. Nam frequenter præcontinentia effectus, qui absolute est posterior, desideratur, vt causa determinetur, & compleatur ad continendum effectum priorem : sicut causa efficiens per continentiam finis, qui in executione est posterior, completur & determinatur ad continendum peculiaria media, quæ in executione præcedunt.

Ex quibus ad confirmationem respondemus distinguendo minorem : & si intelligatur de respectu, seu habitudine in genere causæ materialis receptiuæ, concedatur : si vero in genere causæ dispositiuæ, negetur. Quia licet materia secundum se, & in genere causæ materialis receptiuæ, prius dicat ordinem ad formam, quam ad quantitatem : nihilominus materia vt *hæc*, & in genere causæ materialis dispositiue, prius respicit hanc quantitatem, quam formam : quia non disponitur, nec fit *hæc* per formam, sed per hanc quantitatem, saltem vt habitam radicaliter. Nec oppositum suadent probationes inductæ. Non quidem prima : nam ex eo quod forma

ma sit potissimus, & primarius actus materiæ ; solum sequitur, quod prius absolute respiciatur à materia secundum se ; secus verò à materia, vt est *hæc* positiuè : nam provt sic non reduplicat materiæ essentiam, sed determinationem indiuidualem, quæ prouenit à quantitate, vt radicaliter præcontenta. Non secunda: quia præcisè conuincit, quod prima, vt consideranti constabit. Non denique tertia : quia ex eo, quod materia respiciat quantitatem propter formam recipiendam, non excluditur, quod in genere causæ dispositiuæ quantitas præcedat formam : sicut nec ex eo, quod media respiciantur propter finem, excluditur, quod illum in executione præcedant : sed solum infertur, quod finis sit prior in intensione, & forma in genere causæ materialis receptiuæ, vt patet ex dictis.

30 Replicabis : quoniam præhabitio formæ secundæ necessario supponit præhabitionem formæ primæ: sicut forma secunda supponit primam : sed materia præhabet quantitatem vt formam secundam ; formam verò substantialem præhabet vt formam primam : ergo prius præhabet hanc formam substantialem, quam hanc quantitatem.

Respondetur : quod licet quantitas sit essentialiter forma secunda, & quoad conceptum formæ secundæ debeat supponere formam primam ; nihilominus eius adæquata ratio non consistit in prædicto conceptu, seu expressione ; sed habet alia prædicata, vtputa esse dispositionem materiæ, esse extensionem substantiæ &c. Et secundum has posteriores rationes non explicat conceptum effectus, vel formæ secundæ ; licet neque illum imbibere neget. Vnde potest optime sub conceptu formæ secundæ dependere à forma substantiali, illamque supponere ; & tamen sub conceptu dispositionis supponi ad prædictam formam, & sigillare, ac determinare materiam, vt recipiat hanc potius formam, quam illam, vt hactenus explicuimus. Quod amplius illustrari potest exemplo gratiæ, & contritionis, per quæ iustificatur adultus extra sacramentum : nam licet contritio sit actus secundus ortus à gratia, illamque sub hac expressione supponat : tamen simul est dispositio ad gratiam, eamque sub hoc conceptu antecedit. Et ideo si fiat comparatio inter gratiam, & contritionem, vt se habent in genere causæ dispositiuæ, prius in Deo tanquam in primo efficiente continetur contritio, quam gratia ; si vero in aliis generibus, atque ideo absolute conferantur, prius in Deo continetur gratia, quam contritio. Idemque in præsenti difficultate dicendum est.

31 Secundo arguitur : quia si materia signata, quæ est principium indiuiduationis, importat quantitatem vt radicaliter præcontentam ; vel est talis, vt præcontinet quantitatem terminatam, vel vt præcontinet interminatam : neutrum dici potest : ergo &c. Probatur minor : nam ex vna parte D. Thom. *opusc.* 70. *qu.* 4. *art.* 2. docet materiam fieri *hanc* per quantitatem interminatam, non vero vt terminatam & certam : alias Petrus puer, & idem Petrus vir non esset

idem.

idem indiuiduum, siquidem non habet quantitatem eodem modo terminatam. Ex alia autem parte quantitas interminata non est certa, & determinata, vt liquet ex ipsis terminis: & consequenter nequit conducere, vt materia fiat *hæc* positiue, & determinate: quo pacto est radix indiuiduationis.

Respondetur negando minorem quoad secundam partem. Ad cuius probationem dicimus quantitatem interminatam non importare quantitatem, quæ careat omni termino, aut sit infinita; vel quantitatem, quæ non sit certa, & determinata quoad esse indiuiduale. Sed nomine quantitatis interminatæ significatur quantitas secundum quod præcedit terminationem, formationem, & perfectionem, quam habet à forma substantiali, & quam explicat, vt recepta in toto composito. Vnde D. Thom. *in 4. d. 11. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 4.* inquit *Dimensio, quæ præintelligitur ante formam substantialem in materia, non habet esse completum: quia non est dimensio terminata: terminatio enim dimensionis est per formam.* Vnde quia quantitas, vt præhabita radicaliter in materia (quo pacto est principium indiuiduationis) præcedit formam: propterea in esse talis principij dicitur quantitas interminata: licet eadem, & in eodem instanti sit re ipsa terminata; cum supponat formam in genere causæ materialis receptiuæ, eaque mediante inhæreat toti cõposito. Sicut eadem cõtritio, quæ vt disponit ad gratiam, eamque præcedit, non est formata in eodem instanti formatur per ipsam gratiã, quatenus ab eadẽ procedit ipsamque subsequitur.

Nec refert, si huic doctrinæ opponas D. Thom. *opusc. de principio indiuiduationis* asserentem, quod materia signata quantitate determinata est principium indiuiduationis. ¶ Non inquam, refert: quia nulla est contradictio in eo, quod quantitas sit simul interminata, & determinata: quantitas enim non dicitur *determinata*, quia sit terminata modo nuper explicato, sed quia est quantitas *hæc* singularis: *interminata* vero dicitur, quatenus præcedit formam. Et quia quantitas, secundum quod est principium indiuiduationis, simul habet & esse *hanc* positiue, & formam in genere causæ dispositiuæ anteire; merito D. Thom. in diuersis locis asserit principium indiuiduationis esse materiam signatam *quantitate interminata, & determinata.*

§. VI.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

32 EX dictis apparet intelligentia diuersorum testimoniorum D. Thom. circa materiam hactenus elucidatam, quæ licet videantur, vel inter se, vel cum nostris assertionibus pugnare, tamen ex dictis ita conciliantur, vt & sibi optime cohæreant, & doctrinam traditam corroborent, & illustrent. Quamobrem maluimus ea vero filo, vt sic dicamus, colligere, quam diuersis dubiis spargere: tum, quia simul collata lucem sibi mutuo præstant: tum quia vna interpretatione plura exponemus; quin cogamur eandem doctrinam diuersis locis inculcare, non absque lectoris fastidio.

33 In primis ergo S. Doct. solet asserere materiam primam esse primam radicem indiuiduationis, nulla facta mentione quantitatis, vt in 1. *p. qu.* 34. *art.* 3. *ad* 2. & alibi sæpe. Imo *opusc.* 32. docet *solam materiam* esse indiuiduationis principium. Aliis vero in locis id attribuit non soli materiæ, sed materię simul & quantitati, vt 3. *p. q.* 77. *a.* 3. & alibi sæpe. In quo tamen nulla datur contradictio: nam in prioribus locis loquitur de radice indiuiduationis omnino prima, licet nõ omnino sufficienti: & hæc est sola materia prima. In posterioribus vero loquitur de radice prima, & omnino sufficienti: & hæc est materia signata quantitate, vt explicuimus *dub.* 2. Vel in prioribus loquitur de eo, quod radix indiuiduationis dicit in recto; & hoc est sola materia: in posterioribus autem loquitur de eo, quod prædicta radix importat tum in recto, tum in obliquo; & hoc pacto complectitur etiam quantitatem, vt statuimus in hoc dub. §. 3.

34 Deinde idem S. Doct. aliquando asserit materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis, quoad *esse*, *vt* 3. *p. q.* 77. *art.* 2. *& quodlib.* 7. *art.* 10. *& opusc.* 70. *quæst.* 4. *art.* 2. & aliis pluribus locis, quæ congerunt Auctores relati §. 4. In aliis verò locis docet materiam signatam quantitate, & subiectam dimensionibus non esse principium indiuiduationis quoad *esse*, sed solum quoad *demonstrari*, *& cognosci*, vt *opusc.* 32. *cap.* 3. vbi ait: *Cum ergo forma recipitur in materia circumscriptis omnibus per intellectum dimensionibus, fit aliquid existens in genere substantiæ, & vltimum, completam habens rationem indiuidui in substantia: sed non fit hic, & nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis, & certis.* Idemque docet *opusc.* 29. & alibi. Quæ optime componuntur ex dictis: nam in prioribus locis loquitur de materia signata quantitate radicaliter præhabita: quo pacto est principium indiuiduationis quoad *esse*, vt supra diximus §. 3. In posterioribus verò loquitur de materia, vt signata quantitate formaliter, & in exercitio habita: qua ratione non est principium indiuiduationis quoad *esse*, vt ostendimus §. 1. Est tamen prædicta quantitas formaliter habita principium indiuiduationis quoad *cognosci*; quia per ipsam sensibiliter innotescit aliquid esse indiuiduum, & singulare substantiæ.

35 Præterea Angelicus Præceptor aliquando docet non posse dari indiuiduum separatum à quantitate vt *quolib.* 7. *art.* 10. & aliis in locis. Aliquando verò docet posse dari indiuiduum absque quantitate, vt *opusc.* 32. & alibi sæpe. In quo nulla inuenitur contradictio: nam in prioribus loquitur de quantitate, vt radicaliter præhabita: in posterioribus vero de quantitate habita formaliter, & exercite. Vnde vtrumque assertum verum est: nam licet nequeat indiuiduum non continere radicaliter quantitatem; potest tamen diuinitus sine illa in actu habita reperiri. Vel in prioribus loquitur de substantia, vt sensibiliter indiuidua; in posterioribus autem vt indiuidua absolute: quia etsi substantia nuda à quantitate maneat

adhuc

adhuc absolute singularis; nequit tamen eius singularitas sensibiliter innotescere.

Ex quibus omnibus colligitur doctrinam, quam circa indiuiduationem substantiæ materialis hactenus tradidimus esse non solum consonam rationi vt hucusque ostendere curauimus; sed esse valde conformem menti D. Thom. quam vbique consequi summopere studemus. Nam iuxta prædictam doctrinam omnia dicta S. Doct. optime cohærent, & miram habent inter se consonantiam. Imo vero & ipsa testimonia, quæ aliás videntur dissidere, componuntur recte, & nostram doctrinam illustrant. Vnde prædictus dicendi modus iure præferendus est aliis opinionibus tum extraneorum, tum Thomistarum, qui aliter in hac causa discurrunt.

QVÆSTIO IV.

Vtrum subiectum sit prima radix indiuiduationis accidentium?

POst notitiam indiuiduationis substantiæ succedit, vt de indiuiduatione accidentium differamus. In qua difficultate supponimus accidentia habere suas hæcceitates, seu differentias numericas, per quas metaphysicè, & proxime indiuiduantur. Inuestigamus autem primam, & præcipuam radicem physicam prædictæ differentiæ; & vnde proueniat, quod intra eandem speciem dentur accidentia solo numero distincta. Quod suppositis, quæ de indiuiduatione substantiæ diximus, haud arduum erit determinare.

§. I.

Sententia Thomistica propugnatur.

36 DIcendum est primam radicem indiuiduationis accidentium esse subiectum, in quo recipiuntur. Ita Aristot. 5. *Metaph. text.* 15. D. Thom. ibidem, & 1. *p. q.* 29 *art.* 1. vbi ait: *Accidentia indiuiduantur per subiectum; dicitur enim hæc albedo, in quantum est in hoc subiecto.* Et *q.* 39. *art.* 3. inquit: *Accidentia, sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt vnitatem & multitudinem.* Idem docet 3 *p. q.* 77. *art.* 2. & *opusc.* 29. & aliis pluribus locis, quæ passim lector offendet. Vnde hanc conclusionem amplectuntur omnes Thomistæ, quos proinde opus non est in particulari referre.

Ratio fundamentalis desumitur ex dictis *dub.* 2. & potest sic formari: quoniam distinctio materialis nõ desumitur radicaliter à forma, sed à materia, vt ibidem ex professo ostendimus: atqui subiectum se habet, vt materia respectu suorum accidentium; cum ea recipiat, & sustentet: ergo subiectum est radix indiuiduationis, & distinctionis numericæ prædictorum accidentium. ¶ Confirmatur, & explicatur: nam illud est prima radix indiuiduationis alicuius formæ, per quod forma habet esse indiuisam in se, seu esse incommunicabilem alteri, vt subiecto inferiori-

tatis, & esse diuisam ab aliis formis: nihil enim amplius desiderari potest ad rationem formæ indiuiduæ: sed hæc omnia conueniunt accidenti ratione subiecti, in quo recipitur: hoc ergo est prima radix indiuiduationis illius. Suadetur minor quoad vtramque partem: & prima quidem: nam forma, quãtum est de se, est communicabilis alteri vt subiecto informationis, & cõsequenter alteri etiam vt subiecto prædicationis, & inferioritatis: at hoc ipso, quod sit recepta in aliquo subiecto jam determinatur per illud, & ita limitatur, vt nequeat alteri subiecto naturaliter inesse, nec de aliquo inferiori prædicari: ergo accidens habet à subiecto cui inhæret esse indiuisum in se, seu esse incommunicabile alteri, vt subiecto inferioritatis. Secunda etiam pars ostenditur: quia per ipsummet est aliquid indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: ergo si accidens habet à subiecto tanquam à radice esse indiuisum in se, habebit etiam per illud esse diuisum ab aliis. ¶ Ad hæc: sicut in definitione accidentis in communi ponitur subiectum in communi, vt cum dicitur, *Simitas est curuitas nasi*: ita in definitione accidentis indiuidui ponitur subiectum in indiuiduo, vt si dicas. *Hæc simitas est curuitas huius nasi*: ergo sicut prima radix accidentium in communi est eorum subiectũ in communi: ita etiam prima radix eorum, vt sunt indiuidua, est eorum subiectum indiuiduum cui inhærent: nam sicut communis ratio accidentis sumitur per respectum ad substantiam tanquam ad fundamentum sui esse: ita vltima eorum ratio, nempe differentia numerica, importat habitudinem ad substantiam singularem, tanquam ad primam sui radicem.

37 Sed obijcies: quoniam compositum, cui insunt accidentia, non habet esse indiuiduum, & principiũ indiuiduationis illorum, nisi ratione materiæ signatæ quantitate: ergo ratio radicis indiuiduationis accidentium potius materiæ, quã composito attribuenda est: quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Respondetur nos in præsenti loqui de primo principio sufficienti ad indiuiduationem accidentium: & istius ratio non materiæ conuenit, sed soli composito substantiali. Quoniam accidentia sunt formæ secundæ, & in ratione talium debent indiuiduari: quamobrem opus est, quod primum principium sufficiens ad eorum indiuiduationẽ includat formã primam, seu substantialem. Vnde licet alias compositum habeat esse indiuiduum ratione materiæ; tamẽ ad indiuiduandum radicaliter accidentia concurrit non præcisè ratione materiæ, sed adæquate ratione sui, & omnium, quæ ad suam cõpositionem spectant. Materia vero se habet, vt prima radix insufficiens, & remota.

Replicabis: nam illa est sufficiens radix indiuiduationis per quam redditur sufficiens ratio, ob quam accidẽtia sint *hæc* positiue, & distinguantur ab aliis; sed materia esse *hanc* est sufficiens ratio, ob quam accidentia sint *hæc*, & ab aliis differant: ergo materia est sufficiens radix indiuiduationis eorum. Minor liquet: quia hoc ipso, quod materia, sit *hæc*, sequitur *hoc* compositum: & ad hoc compositum sequuntur hæc accidentia. Vnde

si

si quæratur, quare dentur *hæc* accidentia? bene respondetur, quia insunt huic composito: & compositum esse *hoc*, quia habent materiam *hanc*. Ergo materia est sufficiens ratio, ob quam accidentia sint *hæc*.

Respondetur materiam esse sufficientem rationem accidentium loquendo de ratione innitente in bonitate, & infallibilitate consequentiæ; non vero de ratione dicente sufficientiam causæ, & principij in esse rei. Nam licet per consequentiam logicam bene inferatur, quod si materia est *hæc*, sequuntur *hæc* accidentia determinate, & non alia: nequeunt tamen accidentia per sequelam physicam, & veram causalitatem consequi suam indiuiduationem à sola materia; sed postulant totum compositum. Vnde sicut negatio auxilij efficacis est sufficiens, vt per consequentiam logicam inferamus futurum esse peccatum; & tamen causa peccati non est prædicta negatio auxilij, sed voluntas creaturæ, quæ connotando illam negationem deficit: ita positio huius materiæ sufficit, vt legitime inferamus fore, vt sint *hoc* compositum, & *hæc* accidentia: sed insufficiens est, vt re ipsa causetur indiuiduatio accidentium absque concursu formæ, & compositi: hæc quippe omnia desiderantur ad radicem completam indiuiduationis formæ secundæ. Adde hanc obiectionem, & eius replicam ad summum euincere materiam primam esse radicem sufficientem indiuiduationis accidentium per modum primi principij *quo*; non vero vt principium *quod*: huius quippe ratio soli composito cõpetit, sicut & existere vt *quod*. Vnde non infertur materiam esse absolute radicẽ indiuiduationis accidentium: quia facta comparatione inter principium *quod*, & *quo*, illud præferendum est: qua ratione actiones dicuntur suppositorum, non vero formarum: quia hæc agunt vt principium *quo*, illæ vero vt principium *quod*.

§. II.

Fit obuiam argumentis in contrarium.

38 OPpositam opinionem tuentur Suarez *disp.* 5. *Metaph. sect.* 7. & alij plures. Quæ potest suaderi primo: quia vnũquodque per id est vnum numero, per quod est ens: sed accidens per semetipsum est intrinsecè ens: ergo per se ipsum est vnum numero: ergo non est vnum numero per subiectum. ¶ Respondetur hoc argumentum solùm conuincere, quod accidens sit vnum numero proxime, & formaliter per suam hæcceitatem, seu differentiam numericam: minime vero excludere, quod hæc differentia habeat aliquam radicem à se distinctam: & hanc asserimus esse subiectum, cui inest accidens.

39 Secundo arguitur: nam ideo accidens indiuiduaretur per subiectum quia dicit habitudinem ad ipsum: sed hæc ratio est nulla: ergo subiectum non est radix indiuiduationis suorum accidentium. Probatur minor: tum quia duo accidentia solo numero distincta possunt dicere habitudinem ad idem subiectũ: ergo

non indiuiduantur per habitudinem ad ipsum : alias sicut subiectum est vnum, ita accidentia essent vnum indiuiduum. Tum etiam, quia aliqua accidentia respiciunt non solum subiectum, sed etiam alium terminum à subiecto distinctum, vt patet in relationibus, & in actibus, & habitibus : ergo non est ratio, cur prædicta accidentia indiuiduentur per habitudinem ad subiectum, potius quam per respectum ad terminum : & ita fieri poterit, quod duæ relationes verbi gratia differant numero propter diuersos terminos, quos attingunt ; licet insint eidem subiecto.

Confirmatur : quia ex opposito fieret, quod omnia accidentia eiusdem speciei, quæ successiue sunt in eodem subiecto, non distinguantur numero : & ita calor modo existens in aqua, qui postea perit, & calor denuo introductus in ea, essent idem numero calor : consequens est apertè falsum : ergo &c. Sequela ostenditur : tum quia vbi est eadem radix, & ratio indiuiduationis saltem successiue, debet permanere eadem indiuiduatio : sed in prædicto casu persisteret idem subiectum, quod dicitur radix indiuiduationis: ergo eadem indiuiduatio, & esse numericum accidentium permaneret. Tum etiam, nam quæ habent eandem formam specificam successiue, sunt eiusdem speciei, eò quod forma est principium vnitatis specificæ : ergo si subiectum est principium indiuiduationis accidentium; omnia accidentia, quæ successiue afficiunt idem subiectum habebunt eandem vnitatem numericam.

Respondetur animaduertendo ideo accidentia indiuiduari à subiecto, quia istud se habet vt materia, à qua distinctio materialis qualis est numerica, radicaliter sumi debet. Porro vt subiectum conferat vnitatem numericam oportet, quod sit vnum formaliter in esse subiecti : ad quod præter eius entitatem, quæ materialiter semper est eadem, requiritur inter alia, circunstantia eiusdem temporis. Vnde eadem entitas materialis subiecti connotans diuersa tempora, fit multiplex numero in munere subiecti, & potest subinde diuersam vnitatem numericam accidentibus impertiri. Ad eum sane modum, quo locus consistit in vltima superficie corporis continentis locatum, non vtcumque accepta ; sed quatenus substat relationi distantiæ ad polos mundi, & ad centrum terræ. Et ideo superficies eadem materialiter in esse rei solet variari formaliter in esse loci ob connotationem diuersæ substantiæ: vt contingit, quando locatum eadem superficie circumdatum mouetur. Quo supposito ad argumentum, concessa majori, neganda est minor: ad cuius primam probationem dicimus posse fieri, quod duo accidentia solo numero diuersa dicant habitudinem ad idem subiectum materialiter, & in esse rei ; secus vero ad idem subiectum formaliter : quia debent connotare diuersa tempora. Ad secundam dicendum accidentia ibi recensita respicere terminum vt causam formalem extrinsecam à qua sumitur vnitas specifica : & ideo non indiuiduantur per habitudinem ad terminos ; sed per respectum ad

sub-

subiectum, quod habet ratione materiæ: à qua, & non à forma sumitur vnitas numerica, vt dictum est.

Ad confirmationem negamus sequelam. Et ad primam probationem respondemus, majorem solum verificari, quando persistit eadem radix formaliter in esse radicis; secus vero si solum sit eadem entitatiue, & materialiter. Et hoc posterius contingit, quoties diuersa accidentia insunt eidem subiecto: nam hoc ipso connotant diuersa tempora, & variatur subiectum in esse radicis indiuiduationis. Ad secundam, concesso antecedenti, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est satis nota: nam forma semper, & inuariabiliter retinet suam vnitatem specificam: quocirca, quæ informantur successiue eadem forma specifica, debent esse successiue eiusdem speciei. Subiectum autem variatur in esse subiecti ob connotationem diuersorum temporum: quamobrem accidentia, quæ successiue insunt subiecto, non respiciunt idem subiectum formaliter in esse subiecti, sed diuersum formaliter ob connotationem diuersi temporis. Ex quo tamen non fit, quod tempus sit præcipua radix indiuiduationis: sicut neque ex eo, quod quantitas requiratur, vt materia sit principiũ indiuiduationis compositi, infertur quantitatem esse primariam radicẽ prædictæ indiuiduationis. Et ratio est eadẽ vtrobique: nam radix debet esse intrinseca, aut saltem immediata radicato: quod respectu compositi substantialis non conuenit quantitati, sed materiæ, nec respectu accidentium conuenit tempori, sed subiecto: quantitas enim, & tempus sunt pure extrinseca connotata.

40 Tertio arguitur, quia accidens non est determinatum ad vnum subiectum, sed potest alia, & alia actuare: ergo non limitatur per subiectum: ergo nec per illud indiuiduatur. Vtraque consequentia constat. Et antecedens suadetur: tum quia licet per causas naturales fieri nequeat, quod accidens inhærens huic subiecto transferatur ad aliud; fieri tamen potest per diuinam virtutem: ergo accidens illud, quantum est de se, non manet limitatum; sed retinet aptitudinem ad actuandum aliud, & aliud subiectum. Tum etiam, quia idem subiectum, quod modo habet albedinem, potest recipere, saltem successiue, alias albedines numero diuersas: ergo pariter eadem albedo, quæ modo actuat hoc subiectum, retinet capacitatem ad actuandum, saltem successiue, alia subiecta.

Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem admittimus, quod accidens actuans *hoc* subiectum possit per diuinam virtutem transferri ad aliud. Hinc tamen non infertur, quod accidens dicat ex natura sua ordinem ad secundum subiectum: quod erat necessarium, vt diceretur respicere indifferenter subiecta, & ad nullum determinari. Semper enim, vbicumque per diuinam potentiam constituatur, dicit habitudinem ad proprium, & sibi connaturale subiectum, è cuius potentia eductum est, vel saltem petit educi. Et

per

est, vel saltem petit educi. Et per prædictum respectum fit *hoc* accidens numero positiue; quin hic respectus etiam per diuinam potentiam auferri valeat. Quod etiam de accidentibus supernaturalibus intelligendum est: nam licet hæc non educantur de naturali potentia subiecti, nec subiectum habeat ordinem exigentiæ respectu eorum: tamen secundum cursum sui ordinis debent afficere aliquod determinatum subiectum, ipsumque respicere. Quapropter charitas Michaëlis nequit secundum communem cursum ordinis supernaturalis poni in Gabriele: & etiam si secundum extraordinariam prouidentiam poneretur in eo, respiceret adhuc Michaëlem vt subiectum intra prædictum ordinem sibi proprium per ordinem ad quod esset *hæc*.

Ad secundam probationem respondemus negando antecedens intellectum de eodem subiecto formaliter sumpto in esse subiecti, & radicis, vt constat ex dictis ad secundum argumentum. Si autem intelligatur de eodem subiecto considerato materialiter, & in esse rei, concesso antecedenti, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est: quoniam subiectum sumptum materialiter, & in esse rei habet majorem amplitudinem & capacitatem, quam forma accidentalis in eo recepta: vnde videmus, quod idem materialiter subiectum recipit naturaliter diuersa accidentia; idem vero accidens adhuc materialiter sumptum non informat naturaliter diuersa subiecta. Quamobrem ex eo, quod subiectum habeat capacitatem naturalem, vt diuersa accidentia recipiat, non infertur, quod accidens habeat similem capacitatem, vt diuersa subiecta informet: sicut neque ex eo, quod eadem materialiter, & negatiue materia recipiat diuersas formas substantiales; colligitur quod eadem materialiter forma valeat successiue informare diuersas materias.

41. Vltimo arguitur: nam saltem quantitas non indiuiduatur à subiecto; & tamen est accidens: ergo vniuersaliter loquendo subiectum non est radix indiuiduationis suorum accidentium. Major suadetur: quantitas est indiuidua per se ipsam, & radix propriæ indiuiduationis, vt sæpius *in hac disp.* asseruimus: ergo quantitas non indiuiduatur à subiecto. ¶ Vt huic argumento liquido satisfiat, & simul euoluatur, quod hactenus vel obiter diximus; vel obscure insinuauimus: sit.

QVÆSTIO V.

An, & quomodo quantitas sit ex se indiuidua, & indiuiduationis radix?

LIcet quantitas secundum communem rationem accidentis censeatur comprehensa sub assertione *qu. præc.* statuta: adhuc videndum restat, vtrum gaudeat speciali aliqua ratione, ob quam generalem illam regulam quodammodo superfugiat: quod determinandum est in præsenti.

Pro cuius luce animaduertendum est: quod sicut relatio diuina v.g. *Paternitas*

ternitas sumpta secundum suam vltimam rationem potest dupliciter considerari: primò secundum conceptum formæ hypostaticæ; secundò quoad munus expressum referendi Patrem ad Filium: quod breuius solet significari per esse *In*, & esse *Ad*. Ex quibus prior conceptus constituit personam Patris; non verò posterior: quia ordo Patris ad Filium concipitur, vt posterior generatione; persona verò Patris concipitur constituta ante generationem. Ita quantitas potest bifariam considerari: primò vt est extensio substantiæ: secundò, vt est quoddam totum integrale constans ex suis partibus; atque ideò quatenus ita confertur cum eis, vt ipsa habeat rationem materiæ respectu illius. Et licet quantitas secundum hoc posterius munus considerata non neget, neque excludat ordinem ad subjectum: nihilominus ita accepta non explicat illum ordinem; sed tantùm exprimit esse accidens talis conditionis, vt constet ex partibus eiusdem rationis, non curando ex vi huius, an eæ partes dicant alias, vel non dicant ordinem ad subjectum. Supponimus igitur quãtitatem priori modo consideratam indiuiduari à subjecto, sicut & aliæ formæ accidentales, juxta dicta *quæst. præced.* Dubitamus autem an secundum posteriorem considerationem sit talis naturæ, vt indiuiduetur per se ipsam, & sit prima radix primæ indiuiduationis.

§. I.

Sententia D. Thomæ eligitur, & defenditur.

42 Dicendum est quantitatem hoc habere speciale inter omnia accidentia materialia, quod considerata quatenus est totum integrale sit indiuidua per se, & ex se, tanquam ex prima radice. Hanc conclusionem docet D. Th. 3. *p. q.* 77. *art.* 2. his verbis: *Ipsa quantitas dimensiua secundum se habet quandam indiuiduationem; ita quod possumus imaginari plures lineas eiusdem speciei differentes positione, quæ cadit in ratione huius quantitatis.* Et *quodlib.* 7. *art.* 10. vbi ait: *Quantitas non indiuiduatur solum ex subjecto, sicut alia accidentia; sed etiam ex situ, qui est de ratione ipsius quantitatis dimensiuæ, quæ est quantitas positionem habens.* Et *opusc.* 70. *q.* 4. *art.* 2. *ad* 3. inquit: *Quãtitas habet duplicẽ rationem indiuiduationis: vnam ex subjecto, sicut, & quodlibet accidens: aliam ex se ipsa, in quantum habet situm, ratione cuius in abstrahendo à materia sensibili imaginamur hanc lineam, & hunc circulum.* Idemque repetit aliis locis. Vnde hanc sententiam docent Capreolus *in* 2. *d.* 3. *qu.* 1. *art.* 3. Caietanus 1. *p. quæst.* 29. *artic.* 1. Ferrar. 4. *contra Gent. cap.* 65. & communiter Thomistæ.

Probatur vnico fundamento desumpto ex testimoniis D. Thomæ: quoniam quantitas inter omnia accidentia hoc habet speciale, quod constat partibus eiusdem rationis: sed hoc ipso habet aliquid ex se,

per quod indiuiduetur, & fiat *hæc*, positiuè: ergo quantitas est quodammodo, nempè secundum munus supradictum, radix, & principium suæ indiuiduationis. Majorem ostendimus *in Logica disp.* 13. *q.* 1. & in hoc opere *disp.* 5. *quæst.* 1. Minor autem suadetur: tum quia hoc ipso, quod partes quantitatis sint eiusdem rationis, distinguuntur solo numero: ergo possunt fundare vnitatẽ, & distinctionẽ pure numericam: ergo quantitas prædictis partibus constans habet aliquid, ex quo trahat propriam indiuiduationem. Tum etiam, quia vnitas numerica, cùm sit purè materialis debet desumi ab eo, quod habet rationem materiæ: sed partes eiusdem rationis comparatæ ad suum totum habent rationem materiæ respectu illius: ergo quantitas illis partibus constans habet in se, & ex propria linea aliquid, per quod indiuiduetur. Tum denique, nam partes prædictæ, hoc ipso, quod numero distinguantur, habent distinctam positionem, & & fundant diuersos situs: ergo quãtitas illis constans habet diuersam positionem, & situm, ac alia quantitas constans aliis partibus: sed quãtitates habentes diuersum situm, & positionem nequeunt non realiter numero inter se differre: & ideò si darentur duæ lineæ separatæ, intelligerentur inter se distinctæ ob diuersum situm, & positionem: ergo hoc ipso, quod quantitas constet partibus eiusdem rationis, habet aliquid ex se, per quod indiuiduetur, & fiat *hæc* positiuè intra propriam lineam.

43 Sed aduersus hanc rationem objicies *primò*: quia nihil potest indiuiduari per id, quod pertinet ad eius speciem; cùm vnitas numerica, & specifica sint rationis longè diuersæ: sed habere partes eiusdem rationis pertinet ad conceptum specificũ quantitatis, vt ex se liquet: ergo ex eo, quod quãtitas constet partibus eiusdẽ rationis, non sequitur, quod sit indiuidua. *Secundò*: quia si vnitas numerica quantitatis sumeretur ab eo, quod pertinet ad eius speciem; sequeretur non distingui virtualiter vnitatem numericã, & specificam quantitatis, & non posse dari duas quantitates, solo numero diuersas: sicut quia vnitas numerica Angelorum sumitur ab aliquo pertinente ad eorum speciem; non distinguuntur virtualiter in eis vnitas specifica, & indiuidualis, nec possũt dari duo Angeli eiusdem speciei: consequens est omninò absurdum: ergo &c. *Tertiò*: nam propterea indiuiduũ vagum non est ex se indiuiduum determinatè, quia licet dicat rationem singularis; illam tamen dicit vage, & in communi: sed quantitas etsi dicat partes numero distinctas; nihilominus non dicit illas distinctas signate, & in particulari; sed solum vage, & in communi: ergo ex eo, quod constet prædictis partibus, non rectè colligitur esse ex se indiuiduam, & *hanc* numero positiuè. *Quartò*: nam quidquid reperitur in quantitate, debet esse forma, vel aliquid de linea formæ: cùm enim quantitas secundum suam cõmunem rationem sit forma; nihil dicere potest, quod formæ rationem non habeat: sed vnitas numerica, vtpotè materialis, nequit desumi ab eo, quod habet rationem formæ: ergo quantitas neque

que per se, neque per partes, quibus constat, potest esse vna numero positiuè; sed aliundè suam vnitatem mutuare debet. *Quintò:* quoniam partes integrales, & partes subjectiuæ, eæ videlicet, quæ comparantur vt indiuidua ad speciem infimam, sunt rationis valde diuersæ: vnde videmus totum integrale non prædicari de sua parte: hæc enim est falsa; *Dimidia vlna est vlna:* totum verò specificũ prædicari de sua parte subjectiua: hæc enim est vera, *Hæc quantitas est quantitas:* ergo ex eo, quod quantitas sit ex se totum integrale; non rectè infertur, quod possit cõparari ad suas partes vt ad partes subjectiuas, quæ differant numero tãquam eiusdem speciei indiuidua. *Vltimò:* nam situs est prædicamentum diuersum à quantitate: ergo ex eo, quod quantitas distinguatur numero ab alia quantitate ob distinctum situm; non sequitur, quod distinguatur ex se, sed magis ratione alterius.

Hæc objecimus, vt ea enodando apertius ostenderemus robur rationis D. Th. Vnde ad primam objectionem respondemus, quod licet quantitas nequeat indiuiduari per id, quod ad eius speciem pertinet, si sumatur in communi, quo pacto constituit speciem; benè tamen si consideretur in particulari intra propriam lineam. Nam sicut quia materia in communi est primum subjectum omninò irreceptibile; colligitur quod eadem materia connotando particulares dispositiones, & quantitatem, fiat *hæc* numero positiuè; quin per hoc extrahatur à propria linea: ita quia quantitas in communi secundum suam essentiam est totum integrale constans partibus solo numero diuersis; rectè colligitur eandem connotando particulare subjectum, & dispositiones antecedentes, fieri *hanc* positiuè; quin propterea deturbetur à propria linea. Sicut enim prima radix indiuiduationis materiæ est sola materia in recto, connotando quædam obliqua: ita prima radix indiuiduationis quantitatis est sola quantitas in recto importando aliqua connotata. In quo plurimum differt quantitas ab aliis formis accidentalibus: nam licet eæ indiuiduentur proximè per suas hæcceitates; tamen prima radix indiuiduationis earum non consistit in recto in prædictis formis, sed in subjecto, vt *dub. præced.* explicuimus. Prima autem radix indiuiduationis quantitatis, vt est totum integrale, non importat subjectum in recto; sed solam quantitatem connotando subjectum.

Ad secundam negamus sequelam, quam inductum exemplum non euincit: quia indiuiduatio Angelorum ita fundatur in eorum specie, vt hæc nullum subjectum dicat in recto, vel connotet in obliquo: & ideò prædicta species manet omninò immultiplicabilis. Quantitas autem ita indiuiduatur radicaliter per suam speciem in recto, vt hæc connoter subjectum: & propterea juxta diuersa subjecta, quæ connotat, potest numero multiplicari.

Ad tertiam respondemus, quod licet indiuiduum vagum non sit indiuiduum determinatum, vt liquet ex terminis: nihilominus vt fiat

hoc positiuè, & determinatè, non est necessarium illi superaddere aliud in recto: sed ipsummet connotando aliqua particularia, & determinata obliqua indiuiduatur per se ipsum: quia videlicet jam ex se importabat prædictam indiuiduationem, saltem vage, & in communi. Vnde objectio hæc potius confirmat rationem nostram.

Ad quartam dicendum, quod licet à forma, quæ ita est forma, vt nullam importet diuersitatem materialem, nequeat vnitas numerica radicaliter desumi; bene tamen radicari valet in forma, quæ ex se, & in se affert aliquam diuersitatem materialem; saltem in communi. Quantitas autem hoc speciale habet inter omnes formas, quod constat partibus eiusdem rationis, & solum materialiter diuersis: quocirca potest esse radix propriæ vnitatis, & distinctionis numericæ. Nam illæmet partes, quæ in communi sumptæ constituunt speciem, eædem in particulari acceptæ, seu connotando subjectum particulare, & peculiares dispositiones, constituunt in recto indiuiduum.

Ad quintam respondetur, quod licet partes integrales, & partes subjectiuæ sint diuersæ rationis; sunt tamen ita inter se connexæ, vt accidens illud, quod ex se habet partes integrales, possit etiam ratione sui, & in recto diuidi in partes subjectiuas, seu in tota, quæ differant solo numero, quin dicat in recto aliquid extra proprium prædicamentum. Et propterea quantitas, quæ partibus integralibus constat, est in recto per se ipsam tam proximè, quam radicaliter indiuidua: alia verò accidentia nequeunt ex se radicaliter diuidi in diuersa indiuidua; sed hoc habent à subjecto tanquam à radice in recto importata.

Ad vltimam dicimus, quod licet situs formaliter sumptus, secundum quod est ordo partium, sit prædicamentum diuersum à quantitate; nihilominus situs radicaliter acceptus, seu forma, quæ propter diuersitatem partium exigit, & fundat diuersum situm formalem, nil aliud est, quam ipsa quantitas. Vt autem quantitas indiuiduetur per se ipsam, sufficit diuersitas situs radicalis: situs verò formalis tantum importatur in obliquo, deseruitque ad summum, vt manifestet sensibiliter diuersitatem numericam quantitatum. Nec hinc sequitur, quod situs radicaliter præcontentus in quantitate sit radix indiuiduationis quantitatis: ad eum modum, quo quantitas radicaliter præhabita in materia conducit ad distinctionem numericam materiæ. Est enim quoad hoc manifesta diuersitas inter vtrũque: nam quantitas habet ex se diuersitatem partium integralium: vnde potest, saltem radicaliter habita, deseruire, vt substantia indiuidualiter diuidatur. Situs autem formalis nullam habet ex se diuersitatem partium integralium, sicut nec alia accidentia à quantitate distincta: quamobrem nec formaliter, nec radicaliter acceptus conducit ex se ad diuisionem numericam quantitatis: sed fons primarius,

rius, & radicalis huius diuisionis est ipsa quantitas in recto accepta, & inferens diuersos situs vt constat ex dictis.

44 Ex quibus omnibus infertur major confirmatio eorum, quæ suprà *disp. 3. qu. 1.* statuimus. Nam D. Th. specialiter attribuit quantitati esse radicem propriæ indiuiduationis, vt liquet ex eius testimoniis *num. 42.* relatis: & conducere radicaliter habitam ad distinctionem numericam substantiæ materialis, vt constat ex dictis *q. 2.* & hoc non ob aliam rationem, nisi quia quantitas habet partes integrales, seu eiusdem rationis, vt patet ex S. Doct. verbis. Si autem substantia materialis, & omnia accidentia materialia haberēt in propriis generibus partes entitatiuas; corrueret totus hic discursus D. Th. nam tunc eadem ratione, qua quantitas est radix suæ indiuiduationis; etiam substantia, & alia accidentia propriam indiuiduationem ex sese fundarent: nihilque speciale haberet quantitas in hac parte. Imo verò potiori jure substantia esset radix omnis indiuiduationis; siquidem eius partes essent priores, & nobiliores, vt ex se liquet. Ergo juxta mentem Angelici Doct. admitti non potest, quod substantia materialis, & omnia eius accidentia habeant intra suas proprias lineas partes entitatiuas, siue eiusdem rationis. Vnde Thomistæ, qui doctrinam à nobis *loc. citat.* statutam non admittunt; nequeunt hoc loco traditam defendere: vel si hanc, vt debent, amplectuntur; immerito illam impugnant. Tanta enim illationis vi assertiones vtrobique stabilitæ nectuntur, vt absque inconsequentiæ vitio nequeat vna absque altera defendi: sed vtraque simul debeat vel admitti, vel refutari.

§. II.

Conuelluntur aduersantia fundamenta.

45 COntrariam sententiam docent Durandus, & Aureolus apud Capreolum *in 2. d. 3. q. 1. art. 2.* Suarez *disp. 5. sua Metaph. sect. 3.* & alij. Potestque probari primò: quoniam vnumquodque, sicut est ens, ita est vnum quacumque vnitate: ergo quod non est magis ens, non est magis vnum: atqui quantitas non est magis ex se ens, quam plura alia accidentia: ergo non est magis ex se vna numero, quam illa. Minor subsumpta liquet: nam quantitas est imperfectior pluribus accidentibus: ergo non est magis ens, quam illa: perfectio enim consequitur entitatem.

Respondetur, quod licet vnumquodque ita sit vnum proximè, sicut est ens: & ideò quò fuerit ens perfectius, eò sit perfectius vnum. Nihilominus entitas, & perfectio non est regulanda penes vnitatem radicalem, siue penes radicem indiuiduationis: nam fieri potest, vt id, quod est perfectius sit magis communicabile, & consequenter, quod non determinetur ex se; sed indigeat limitari per aliud, quod se habeat vt radix suæ indiuiduationis. Quod contingit in forma substan-

tiali, vt oſtendimus *quæſt.* 1. idemque proportionabiliter euenit in aliis accidentibus diuerſis à quantitate: nam cùm ſolum habeant rationem actus, & formæ, nihil intrinſecum dicunt, per quod radicaliter indiuiduentur. Quantitas verò quia ſe habet vt totum integrale (ſub qua ratione non exprimit conceptum formæ communicabilis; ſed magis munus totius compoſiti) indiuiduatur radicaliter à ſe ipſa. Vnde licet non ſit perfectior aliis accidentibus, eſt magis vna radicaliter, quam illa.

46 Secundò arguitur: nam ideò forma ſubſtantialis non eſt ex ſe tanquam ex prima radice indiuidua, quia eſt forma receptibilis, & ex ſe communicabilis: ſed etiam quantitas eſt forma receptibilis, & communicabilis ex ſe; cùm ſit verum accidens: ergo quãtitas non indiuiduatur radicaliter per ſe ipſam.

Ad hoc argumentum facilè conſtat ex dictis: nam forma ſubſtantialis ita eſt forma communicabilis alteri, vt non habeat alterum conceptum, per quem propriam indiuiduationem radicet: & propterea nullo modo poteſt eſſe radix ſuæ indiuiduationis. Quantitas verò habet in ſua linea & conceptum formæ, & conceptum totius integralis ex ſuis partibus tanquam ex materia compoſiti: & ſecundum hanc vltimam rationem non exprimit munus formæ; licet neque ipſum poſitiuè excludat, vt in limine quæſtionis obſeruauimus. Vnde argumentum ſolum concludit, quod quantitas ſub cõceptu formæ indiuiduatur à ſubjecto, ſicut aliæ formæ accidentales, quod non negamus: minimè tamen excludit, quod quodammodo, hoc eſt ſub alio conceptu ſit indiuidua radicaliter à ſe ipſa, quod cùm D. Thom. defendimus.

47 Tertiò arguitur: quia quantitati non conuenit eſſe *hanc* ex conceptu generali accidentis; aliàs idem conueniret aliis accidentibus: ſed neque id habet, quatenus eſt tale accidens: ergo ex nullo capite habet eſſe *hanc* poſitiuè ex ſe. Minor probatur: nam ideò alia accidentia non habent eſſe indiuidua ex ſe, quia vt ſint *hæc*, nequeũt non reſpicere ſubſtantiam: ſed quantitas, vt talis, nequit non ſubſtantiam reſpicere; ſiquidem ſecundum talitatem ſpecificam eſt extenſio ſubſtantiæ, & ſecundum talitatem numericam eſt *hæc* extenſio huius ſubſtantiæ: ergo quantitas vt tale accidens, non habet ex ſe eſſe *hanc* poſitiuè ſed à ſubjecto.

Reſpondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendũ eſt hanc differentiam reperiri inter quãtitatem, & alia accidentia, quod iſtorum adæquata ratio, vt ſunt *hæc*, cõſiſtit in recto in habitudine ad proprium ſubjectum; ita vt ſubjectum eſſe *hoc* ſit tota ratio, propter quam accidentia ſint *hæc*. Quantitas verò vt eſt *hæc* bipartitur in duos conceptus inadæquatos, nempè in conceptum formæ, & in conceptum compoſiti integralis ex ſuis partibus velut ex materia conſtituti. Et ſecundum priorem conceptum indiuiduatur per habitudinem ad ſubſtantiam ſumptam per modum radicis in recto; at ſecundum poſteriorem indiuiduatur, & ſit *hæc* per ſe ipſam

conno-

connotando hanc substantiam in obliquo. Vnde adæquata ratio illius, vt est *hæc*, non consistit in habitudine ad subjectum: sed potest concipi vt *hæc*, saltem inadæquatè, ex hoc ipso, quod constat suis partibus tanquam materia: licet ista posterior ratio non neget, aut positiuè excludat illam priorem; sed per abstractionem purè præcisiuam illam non explicat. Sicut licet paternitas, vt constituit personam Patris, non exprimat *ad*, seu munus recipiendi exercite Filium, illud tamen semper includit. Ex quo fit, quod reliqua accidentia semel præcisè indigeant subjecto ad sui indiuiduationem adæquatè acceptam, & importent illud in recto sub munere radicis: quantitas verò indiget subjecto semel, & iterum ad sui indiuiduationem: nam sub conceptu inadæquato formæ indiget subjecto per modum radicis in recto importatæ; sub munere vero inadæquato compositi integralis indiget subjecto tanquam extrinseco connotato, & in obliquo. Vnde vlterius fit, quod nequeant concipi duæ albedines separatæ à subjecto, & ab habitudine expressa ad subjectum, quæ distinguantur numero: eò quod ratio adæquata indiuiduandi albedines est earum subjectum. Possunt tamen concipi duæ quantitates sine expresso respectu ad subjectum, quæ solo numero distinguantur: quia quantitas ex se habet aliquam radicem, etsi inadæquatam, propriæ indiuiduationis. Quam diuersitatem tradit D. Thom. *quodlib.* 7. *art.* 10. & alibi sæpè.

48 Arguitur quartò: quia si quantitas est quodammodo indiuidua ex se, & hæc positiuè; sequitur posse duas quantitates solo numero diuersas esse in eodem subjecto, saltem supernaturaliter, & supposita earum inter se penetratione: consequens est falsum, vt constabit *ex quæst. seqn.* ergo, &c. Sequela ostenditur: quoniam ideò nequeunt alia accidentia solo numero diuersa esse in eodem subjecto, quia sumunt suam differentiam numericam à subjecto: ergo è conuerso si quantitates indiuiduantur ex se ipsis; poterunt, licet idem subjectum afficiant, solo numero distingui.

Respondetur negando sequelam, saltem ex vi antecedentis (quidquid sit, an aliàs duæ quantitates, & duo accidentia solo numero distincta possint per diuinam potentiam in eodem subjecto constitui.) Ad probationem autem in contrarium negamus consequentiam: nam ratio, quæ probat in aliis accidentibus, etiam militat suo modo in quantitate: tum quia quantitas sub conceptu formæ (qui est ab illa omninò inseparabilis) indiuiduatur per subjectum importatum in recto per modum radicis. Tum etiam, quia adhuc sumpta per modum compositi integralis connotat subjectum tanquam obliquum, per cuius connotationem in sua indiuiduatione completur: vnde etiam ex hac parte nequit numero multiplicari, nisi multiplicetur subjectum. Sed pro horum majori intelligentia sit

QVÆ

QVÆSTIO VI.

Vtrum duo accidentia ſolo numero diuerſa valeant ſimul eſſe in eodem ſubjecto?

HÆc difficultas eſt conſectarium præcedentis, cui proindè illam immediatè annectimus. Procedit autem attentis non præciſè exigentiis naturalibus rerum; verum etiam per reſpectum ad potentiam Dei abſolutam. Illiuſque reſolutio extremum huic diſputationi faſtigium imponet.

§. I.

Eligitur pars negatiua.

49 DIcendum eſt repugnare per ordinem ad quãcumque potentiam, quod duo accidentia ſolo numero diuerſa ſint in eodem ſubjecto. Hanc concluſionem docet Diuus Thomas *3. p. quæſt. 35. articulo quinto, & in 4. diſtinct. 12. quæſtione prima, articulo primo, quæſtiunc. 3.* vbi redarguens aſſerentes quantitatem panis peracta conſecratione eſſe in aëre, tanquam in ſubjecto, inquit: *Cùm ergo omnes dimenſiones ſint eiuſdem ſpeciei, in quacumque materia ſint, quia materia non intrat in definitionem earum: ſi dimenſiones panis iterum ſint ſicut in ſubjecto in aëre; ſequitur quod duo accidentia eiuſdem ſpeciei ſint in eodem ſubiecto: quod eſt contradictoria eſſe ſimul: quia accidentium eiuſdem ſpeciei numeratio non eſt, niſi ex ſubiecto. Vnde ſi ſubiectum ſit vnum; ſequitur illa accidentia eſſe plura, & non plura.* Et ideò ita docent communiter Thomiſtæ, Capreol. *in 1. d. 7. q. 2. art. 3.* Caiet. *loc. cit. ex 3. parte*, Hærùeus *quodlib. 3. q. 9.* Soncin. *7. Metaph. q. 7.* Flandria, Nazar. Nauarrette, Gonzalez, & alij plures.

Fundamentum huius aſſertionis continetur in verbis D. Thom. proximè relatis, & poteſt ita proponi: quoniam ſi duo accidentia ſolo numero diuerſa reciperentur in eodem ſubjecto; eſſent, & non eſſent duo: conſequens implicat contradictionem: ergo, &c. Sequela quoad primam partem eſt manifeſta. Quoad ſecundam verò probatur: quia prima radix diſtinctionis numericæ accidentium eſt eorum ſubjectum: ergo implicat, quod hoc non multiplicato, multiplicentur illa indiuidualiter: ergo accidentia eiuſdem ſpeciei recepta in eodem ſubjecto non eſſent duo. Sicut quia forma eſt primum principium diſtinctionis ſpecificæ: repugnat, quod non multiplicata forma, multiplicetur ſpecies; & quod dentur duæ ſpecies habentes eandem ſpecie formam.

50 Reſpondebis primò hanc rationem ſolum vrgere in accidẽtibus abſolutis; ſecus verò in reſpectiuis: illa enim, cùm ſolum reſpiciant ſubjectum, nequeũt abſque multiplicatione ſubjecti multiplicari: hæc verò, cùm reſpiciant etiam terminum, poſsũt ratione multiplicationis termini

termini multiplicari ; licet habeant idem subiectum.

Sed contra : nam distinctio pure numerica, cùm sit materialis debet desumi ab eo, quod habet rationem materiæ : at sic est, quod terminus respectu accidentis, à quo inspicitur, non est materia, sed forma extrinseca ; subiectum vero habet rationem materiæ : ergo accidentia non desumunt vnitatem numericam à terminis, sed à subiecto : ergo ad multiplicationem numericam accidentium non sufficit multiplicatio terminorum, sed requiritur multiplicatio subiecti. Adde non posse ex eadem radice sumi distinctionem formalem, seu specificam, & distinctionem numericam, seu materialem, vt supra ostendimus *quæstion.* 1. quare cùm accidentia sumant distinctionem specificam à termino, nequeunt desumere ab eo distinctionem numericam : sed hæc aliunde, nempe à subiecto desumenda est.

51 Respondebis secundo prædictam rationem solùm tenere quantum ad accidentia connaturalia subiecto ; non autem quantum ad alia, quæ supernaturaliter illi vnirentur, vtputa si Deus communicaret Petro albedinem illi connaturalem, & insuper aliam albedinem connaturalem non Petro, sed Ioanni : tunc quippe optime saluaretur prædicta accidentia esse numero diuersa, & habere distinctas radices suæ differentiæ numericæ. Nam albedo connaturalis Petro indiuiduaretur, ab illo : albedo autem connaturalis Ioanni supernaturaliter vnita Petro indiuiduaretur non à Petro, sed à Ioanne : nam accidens, vbicumque sit, indiuiduatur ab eo, quod respicit, vt connaturale sibi subiectum.

Hanc tamen euasionem dupliciter possumus præcludere. Primo quia gratis admisso, quod albedo Ioannis supernaturaliter constitueretur in Petro ; fieri tamen nequit, quod simul Petrus retineat albedinem sibi connaturalem. Et ratio est : quoniam licet albedo Ioannis valeat Petro communicari ; nihilominus non potest illi vniri per illum modum vnionis, quo vniretur Ioanni ; sed per aliam vnionem Petro connaturalem : at sic est, quod albedo Petri etiam vniretur ipsi per alium modum vnionis eidem Petro connaturalem : ergo jam Petrus haberet simul duos sibi connaturales, & solo numero diuersos : & consequenter tradita euasio relabitur in inconueniens, quod vitare intendit. Minor, & vtraque consequentia constant. Major autem probatur quia in hoc distinguitur modus à forma habente veram entitatem, quod forma potest diuinitus separari à subiecto, vel saltem id illi ex conceptu communi formæ non repugnat de essentia autem modi est actu modificare subiectum, cuius est modus : ergo licet albedo Ioannis posset supernaturaliter ab eo separari, & in Petro constitui ; modus tamen, quo Ioannes vnitur propriæ albedini, nequit vllo pacto ab eo separari, & alibi collocari : ergo Petrus vniretur illi albedini non per vnionem

connaturalem Ioanni, ſed per modum vnionis eidem Petro connaturalem.

Secundo confutatur illa euaſio oſtendendo repugnare, quod albedo Ioannis vniatur Petro. Et ratio eſt: nam ſicut ad producendum hunc numero ignem non ſufficit quilibet ignis; ſed requiritur determinate ille ignis, intra cuius collectionem continetur, iuxta dicta *in lib. Phyſicorum, diſput. 15. qu. 4.* ita ad recipiendum hoc numero accidens non ſufficit quodcumque ſubiectum; ſed requiritur illud ſubiectum intra cuius collectionem continetur. Facta quippe diuiſione materiæ, quodlibet ſubiectum in particulari continet quandam collectionem effectuum, & aliud aliam: neutrum tamen eorum poteſt per ſuam entitatem recipere aliquod accidens, niſi ad ſuam collectionem ſpectet. Vnde cum albedo Ioannis non pertineat ad collectionem accidentium Petri; nequit Petrus per ſuam entitatem recipere albedinem Ioannis. Videantur dicta loco nuper citato, & *diſp. 6. eiuſdem operis, quæſt. 1. in reſponſione ad vltimum argumentum.*

52 Reſpondebis tertio, quod licet duo accidentia nequeant recipi in eodem numero ſubiecto, quod ſit idem tam in eſſe rei, quam in eſſe ſubiecti, vt ratio noſtra conuincit; bene tamen, ſi ſit multiplex in ratione ſubiecti, quamvis vnum in eſſe entis: nam accidentia non indiuiduantur per ſubiectum ſumptum in eſſe rei; ſed conſideratum in eſſe ſubiecti. Portò vt ſubiectum multiplicetur in eſſe ſubiecti ſufficit, quod connotet diuerſa tempora: quoniam ad identitatem ſubiecti in eſſe talis deſideratur identitas temporis, vt diximus *in hac diſputatione, numer. 39.* Vnde nulla repugnantia erit, quod in eodem ſubiecto ſint duo accidentia ſolo numero diſtincta, connotantia tamen diuerſa tempora, vtputa ſi vnum connotet tempus præſens, in quo producitur; aliud autem connotet tempus præteritum, in quo productum eſt.

Sed contra eſt: quoniam vnum, & idem numero ſubiectum connotare per ſuam entitatem diuerſa tempora, ex quorum connotatione multiplicatur in eſſe ſubiecti, excedit eius naturalem virtutem: ſed nec poteſt illi aliquid ſuperaddi, vt prædicta tempora connotet: ergo impoſſibile abſolute eſt, quod ſubiectum idem in eſſe entis fiat multiplex in eſſe ſubiecti ob connotationem diuerſorum temporum, & conſequenter, quod ſimul recipiat duo accidentia ſolo numero diſtincta. Vtraque conſequentia liquet. Major autem probatur: quia ſi idem ſubiectum poteſt per ſuam innatam, & naturalem virtutem connotare diuerſa tempora, & fieri multiplex in eſſe ſubiecti, poſſet naturaliter habere plura accidentia ſolo numero diuerſa: nam ſi heri v.g. recepit vnum calorem vt ſex; poterit hodie, retinendo prædictum calorem connotantem tempus præteritum, recipere alium calorem, vt ſex connotantem aliud tempus, videlicet præſens, & cras; ob diuerſam connotationem recipiet alium calorem, vt

ſex:

sex : maximè cum prædicti calores non sint incompossibiles inter se, vt supponunt Aduersarij, & alias queant conducere, vt subiectum fortius, vel saltem citiùs agat. Consequens est omnino absurdum, & experientiæ, ac Philosophiæ contrarium : ergo subiectum idem in esse entis nequit per virtutem sibi innatam, & naturalem connotare diuersa tempora, & multiplicari in ratione subiecti. Minor etiam ostenditur : quoniam subiectum per id habet connotare, & multiplicari in ratione subiecti, per quod est radix indiuiduationis: sed per solam suam entitatem naturalem habet esse radicem illius : ergo nihil illi superaddi potest ab ea diuersum, quod conducat ad connotationem diuersorum temporum, & multiplicationem in ratione subiecti. Qua etiam ratione probauimus *in libr. Physicorum, disput. 4. quæstion. 5.* materiam *hanc* singularem non posse supernaturaliter multiplicari in esse subiecti ad recipiendum simul duas formas substantiales : quia videlicet materia non recipit, nisi per suam entitatem, & innatam virtutem : & ideo quidquid illi superaddatur, nequit conducere, vt multiplicetur in ratione subiecti, & simul recipiat duas formas, vnde vel naturaliter poterit illas recipere, quod nemo dicet ; vel non poterit adhuc supernaturaliter.

53 Obijcies : nam idem subiectum potest nunc recipere accidens antea corruptum, vt puta visum, si hic supernaturaliter restituatur: ergo idem subiectum connotabit & tempus præsens, in quo existit, & tempus præteritum, ad quod dicit habitudinem accidens illud, quod nunc in eo reproducitur : ergo in idem subiectum in esse rei fit multiplex in esse subiecti.

Respondetur concedendo antecedens, & primam consequentiam, & negando secundã : quoniam licet illud subiectum simul connoter tempus præsens, & illud, quod aliàs est præteritum ; nihilominus non habet vtramque connotationem sub munere subiecti : sed vnam quatenus existit, & est ens ; aliam vero, quatenus est subiectum, & recipit. Vt autem posset recipere simul duo accidentia, opus erat connotare diuersa tempora in esse subiecti, & multiplicari sub hac ratione. Diximus illud subiectum in esse subiecti visus connotare tempus, *quod alias est præteritum* : quia non connotat illud *vt præteritum* : nam sicut visus, qui restituitur, non indiuiduatur per illud tempus vt præteritum ; alias non posset, cùm erat præsens, ab eo indiuiduare : ita subiectum visus non respicit illud tempus reduplicatiue, vt præteritum ; sed solum illam portionem temporis, quæ aliàs præterita est.

Replicabis : quia subiectum illud recipit accidens præteritum, ad quod recipiendum non habet virtutem naturalem : ergo licet non habeat virtutem naturalem ad recipiendum simul duo accidentia; poterit nihilominus supernaturaliter ea simul recipere.

Respondetur non ideo dici subiectum carere potentia ad recipiendum accidens præteritum, quia illi

desit aliquid entitatis, vel capacitatis, quæ ad illius receptionem desiderantur; sed quia non connotat aliquod agens naturale, cuius virtute possit illa restitutio fieri. Supposito vero, quod visus per virtutem supernaturalem reproducatur, ipsum subiectum per suam entitatem, qua antea illud receperat, ipsum denuò recipit. Nam sicut visus primo productus, & postea reproductus est eiusdem rationis: ita recipitur in eadem entitate: vnde ex parte subiecti non requiritur major virtus ad recipiendum accidens reproductum, quam ad recipiendum illud absolute. Et ideo supernaturaliter fieri potest, quod subiectum iterum recipiat accidens, quod antea habuit: nam quod illud non reciperet, non oriebatur ex defectu capacitatis subiecti, sed defectu agentis naturalis, cuius virtutem potest Deus supplere. Cæterum quod duo accidentia solo numero diuersa non recipiantur in eodem numero subiecto, prouenit ex defectu virtutis receptiuę entitatiuæ, & innatæ, quam nec subiectum habet ex se, nec Deus aliunde supplere valet, vt constat ex dictis. Et ideo per nullam potentiam est possibile, quod duo accidentia solo numero diuersa sint simul in eodem subiecto.

§. II.

Satisfit argumentis partis affirmatiuæ.

54 Oppositam nihilominus opinionem tuentur Scotus, Aureol. & alij, quos refert, & sequitur Suarez *disp. 5. Metaph. sect.* 8. Pro qua arguitur primo: quoniam non est minoris virtutis causa materialis in suo genere, quam causa efficiens, & finalis in propriis generibus: sed idem numero agens potest simul elicere plures actiones solo numero diuersas, vt cum idem ignis simul calefacit plura ligna: & similiter potest idem finis finalizare plures actiones, vt cum idem bonum appetitur à pluribus: ergo pariter idem subiectum poterit simul recipere plures actiones, aut alia accidentia solo numero distincta.

Respondetur negando consequentiam: & ratio disparitatis est, quod distinctio numerica accidentium non sumitur ab agente, vel à fine; sed à subiecto: vnde licet sit idem agens, & idem finis, possunt dari plures actiones numero diuersæ ob diuersitatem numericam subiectorum: è conuerso autem, vbi subiectum est idem, nequit simul habere plura accidentia solo numero distincta; quamvis alia eorum principia extrinseca multiplicentur. Nec amplius probat illa proportio, quæ in argumento adducitur: quia vnaquæque causa debet esse potens in suo genere

genere iuxta naturam, & conditionem generis sui.

55 Arguitur secundo: nam duæ species repræsentantes duo indiuidua eiusdem speciei vtputa Petrum, & Paulum solo numero distinguuntur, & sunt eiusdem prorsus rationis, sicut obiecta, quæ repræsentant, & à quibus suam vnitatem specificam desumunt: & nihilominus prædictæ species recipiuntur in eodem numero subiecto, nempe in eadem potentia visiua, aut imaginatiua, aut intellectiua, vt ex se liquet: ergo accidentia solo numero diuersa possunt, saltem quando sunt ordinis cognoscibilis, recipi in eodem subiecto. Idemque argumentum fieri potest de ipsis cognitionibus, vt cum intellectus cognoscit simul per diuersas intellectiones plura indiuidua eiusdem speciei: tunc quippè prædictæ intellectiones solo numero differunt, sicut obiecta, quæ attingunt.

Confirmatur: quia licet accidentia habentia idem prorsus munus nequeant secundum potentiam ordinariam recipi in eodem subiecto: eo quod si vnum præstat illud munus, superfluit aliud: & natura abhorret superfluum; nihilominus quando præstant diuersa munera, possunt optime in eodem subiecto constitui; licet sint eiusdem speciei: quia nullum eorum superfluit. Atqui accidentia in argumento relata, licet non differant specie; præstant tamen diuersa munera: nam per speciem Ioannis cognoscitur Ioannes, & non Petrus: & per speciem Petri cognoscitur Petrus, & non Ioannes; idemque de intellectionibus illis speciebus correspondentibus, proportionabiliter dicendum est. Possunt ergo huiusmodi accidentia solo numero distincta recipi naturaliter in eodem subiecto.

Ad argumentum respondetur negando maiorem: quam inserta probatio non euincit: nam licet Petrus, & Paulus solo numero differant in esse rei; distinguuntur tamen in esse obiecti repræsentabilis per prædictas species. Et ratio est: quoniam species repræsentans Paulum ita commensuratur cum illo, vt essentialiter repræsentet nedum naturam Pauli, in qua conuenit cum Petro; sed etiam ipsam hæcceitatem Pauli, in qua distinguitur ab illo: ita vt illa hæcceitas, quæ comparata ad Paulum in esse rei sumptum, est extra eius essentiam; relata ad ipsum, vt repræsentatur per prædictam speciem, pertinet essentialiter ad eius rationem: nam repræsentatur non secundario, aut ex consequenti; sed tanquam ratio *quæ* formalis, & primaria, licet inadæquata. Vnde prædictæ species differunt essentialiter: quia non specificantur ab obiectis in esse rei consideratis; sed ab eisdem sumptis in esse obiecti: quo pacto distinguuntur essentialiter, vt dictum est, & amplius declarabimus *in lib. de Anima disp.* 17. *quæst.* 1. Et quod diximus de speciebus, debet etiam cognitionibus eorumdem obiectorum proportionabiliter applicari. ¶ Vnde etiã patet ad confirmationem: nam illa distinctio munerum, quæ reperitur in speciebus, & cognitionibus obiectorũ, quæ solo numero distinguuntur, est adeo magna, vt arguat distinctionem essentialem specierum, &

cognitionum. Quam si non inferret, minime possent prædicta accidentia in eodem subiecto constitui : quia tunc prædicta munerum distinctio esset pure numerica, & materialis, vt ex se liquet : ac proinde deberet per ordinem ad diuersa subiecta desumi.

56 Arguitur tertio : quoniam de facto reperiuntur duo accidentia ordinis naturalis in eodem numero subiecto : ergo absurdum est id denegare diuinæ potentiæ. Antecedens probatur : tum quia si duo luminosa applicentur eidem medio, producunt in eodem duas luces solo numero diuersas : cuius signum est, quod si aliquod corpus opacum ponatur inter prædicta luminosa, apparent duæ vmbræ : quod non contingeret, si vnicum præcise lumen producerent. Tum etiam, quia si Petrus habeat duos filios, refertur ad eos per duas paternitates numero differentes : nam sicut adest ibi duplex *genuisse*, ita oportet, quod detur duplex relatio, quæ in ipso *genuisse* fundatur. Et ex opposito fieret eandem relationem perire, & non perire : nam si mortuo primo filio manet secundus ; periret relatio ad primum, & non periret respectu secundi ; cum tamen supponatur esse eadem relatio.

Respondetur negando antecedens. Et ad primum exemplum in contrarium respondetur prædicta luminosa producere diuersas numero luces, non tamen in eodem medio, & secundum eandem partem ; sed in diuersis partibus medij, vt explicuimus *in lib. Physic. disp.* 15. *qu.* 3. Ad secundum dicendum Petrum eadem relatione paternitatis respicere omnes filios, vt ostendimus *in Logica disp.* 14. *qu.* 7. Nec oppositum suadet inducta probatio : nam paternitas non fundatur super generationem huius filij, vt *huius*, sed vt filij : quæ ratio inuenitur in generatione cuiusuis filij, siue sit primus, siue secundus : vnde sufficit eadem numero relatio, vt pater referatur ad omnes. Nec hinc sequitur, quod eadem relatio pereat, & non pereat : sed tantum infertur, quod eadem relatio extendatur aliquando ad hunc filium, scilicet cum ille existit ; & aliquando non extendatur, cum videlicet non existit. Perseuerat autem eadem paternitas, quotiescumque permanet aliquis filius : nam in quocumque filio reperitur propria ratio filiationis, quæ est vnica, & formalis ratio terminandi paternitatem.

37 Arguitur vltimo : quia eiusdem prorsus rationis sunt differentiæ indiuiduales, siue coniungantur aliis differentiis specificis, siue non : & ideo per eandem vnitatem numericam, per quam *hæc* albedo differt ab hac nigredine, à qua etiam distinguitur in specie ; differt ab hac albedine, cum qua conuenit specifice : sed idem subiectum potest recipere duo accidentia numero, & specie distincta, vtputa hanc albedinem, & hanc nigredinem ; valetque proinde esse radix differentiarum indiuidualium eorum : ergo pariter potest recipere duo accidentia solo numero distincta, vt hanc albedinem, & hanc albedinem, ac fundare diuersas eorum vnitates numericas.

Respon-

Respondetur negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod subiectum per diuersam formaliter rationem indiuiduat accidentia vnius speciei, ac indiuidua alterius speciei: ita vna ratio formalis ex parte potentiæ correspondeat omnibus albedinibus, & alia omnibus nigredinibus: vnde mirum non est, quod accidentia, quæ sunt indiuidua diuersæ speciei, valeant in eodem subiecto constitui, & in eodem radicari. Cæterum accidentia eiusdem rationis recipiuntur in subiecto secundum eandem rationem se tenentem ex parte illius: & sicut prædicta ratio ex parte subiecti est vna, ita accidens (quod aliunde habet vnitatem specificam) nequit esse multiplex, sed debet etiam vnitatem numericam habere. Et hæc sufficiat dixisse de principio indiuiduationis, tam substantiæ, quam accidentium rerum materialium. Qui plura, vel eadem luculentius explicata voluerit, consulat N. Salmant. *tractatu* 1. per totum, & *tractatu* 7. *disp.* 1. *dub.* 5. *&* 6. *&* 7. vbi diffuse agunt de indiuiduatione Angelorum.

DISPVTATIO XV.

De essentia, existentia, & subsistentia.

HÆc disputatio vtilissima censetur cum ad perfectam instructionem cuiuscumque Philosophi, cum & præcipue ad eorum profectum, qui sacræ Theologiæ operam daturi sunt: nam frequenter in ea occurrunt difficultates circa illa, quæ titulus præfert. Et quamvis hic tractatus posset (fortè congruentius) *libro primo Physicorum* inseri; cum ibi agatur de principiis entis naturalis, de modo vnionis, & de composito substantiali: quæ comitantur subsistentia, & existentia, & cum illis in eodem substantiæ ordine constituuntur: nihilominus, quod illum huic loco seruauerimus, duæ impulerunt rationes. Prima, ne disputationum ordo, qui in hoc Philosophico Cursu primitus reperiebatur, aliquo modo inuerteretur; sed omnia, quæ ad Physicorum libros spectant, antiquam methodum

retinerent.

retinerent. Secundo, ne volumen illud, quod, debita mensura videbatur constare, plus æquo crescceret: & vt istud, quod satis exiguum erat, iustam quantitatem attingeret. Ad hæc quippe (licet leuia appareant) obligamur attendere; vt Scholasticorum, quibus per singulos annos præleguntur ij libri, profectui, ac leuamini consulamus. Aliquæ autem difficultates, quæ ad hanc disputationem pertinere videbantur, jam habentur alibi resolutæ: nam *in Log. disp. 4. quæst. 1. & 2.* statuimus essentias rerum, antequam existant, esse quidem secundum se, & obiectiue aliquid positiuum; in se vero, & subiectiue esse actu nihil: & *in lib. Physic. disp. 6.* per totam declarauimus, in quo consistat essentia compositi substantialis. Vnde solum restat agere de eadem essentia comparata ad duos terminos, seu modos substantiales, qui dicuntur *subsistentia, & existentia*: nam hoc dumtaxat supereſt ad perfectam eiusdem essentiæ notitiam. Et licet ad Philosophum naturalem non pertineat agere de substantia, nisi materiali, & corporea: ob connexionem tamen doctrinæ non poterimus hanc materiam pertractare, quin extendamur ad omnem substantiam creatam: nam rationes *essentiæ, subsistentiæ*, & *existentiæ* vbilibet reperiuntur. Prius tamen de subsistentia agemus, quam de existentia: quia illa naturaliter hanc præcedit.

QVÆSTIO I.

Vtrum subsistentia distinguatur realiter ab essentia?

SVbsistentiam, & essentiam, seu naturam aliquomodo inter se differre satis euincitur tam ex mysteriis Fidei, quam ex principiis naturalibus. Nam in Deo multiplicantur subsistentiæ, non multiplicata natura: & Verbum diuinum assumpsit naturam humanam, non assumpta subsistentia. In creatis etiam natura sola nec est vt *quod*, nec operatur vt *quod*, nec constituitur in prædicamento: supposito vero ex natura, & subsistentia coalescens præstat hæc omnia, vt supra tetigimus *disp. 2. quæst. 3.* & amplius in hac *disp.* exponemus. Quod fieri non posset, si nulla inter naturam, & subsistentiam distinctio reperiretur. Difficultas autem est, vtrum hæc distinctio in creatis sit realis actualis; an vero virtualis, vel per solum intellectum. Ad cuius resolutionem,

tionem, & vt termini quæstionis vtcumque innotescant, obseruandum est nomine essentiæ, seu naturæ significari quidditatem rei, quæ per definitionem explicatur; nomine vero subsistentiæ creatæ id intelligi, quod ita complet naturam, vt eam reddat sistentem in se ipsa, & nulli alteri innitentem, aut communicabilem. Itaque natura sub conceptu naturæ significatur, vt forma abstracta, & quasi communicabilis, verbi gratia *humanitas*: ex illa vero, & subsistentia fit concretum, nempe *homo subsistens*, *suppositum*, *hypostasis*, & *persona* humana: quæ omnia quoad præsens idem sunt. Vnde natura est id, quo homo est homo: at subsistentia est id, quo hic homo est suppositum, seu substantia ita completa, vt existat per se positiue, & non innitatur alteri. Inquirimus ergo, an distinctio realis inueniatur inter hæc.

§. I.

Communis sententia probatur.

1 Dicendum est subsistentiam creatam distingui realiter à natura. Hanc conclusionem docet Aristot. 7. *Metaph. text.* 21. quem refert, & sequitur D. Thom. *quodlib.* 2. *quæst.* 4. & 3. *p. qu.* 2. *art.* 2. & *quæst.* 4. *art.* 2. & alibi sæpe. Idem tradunt communiter sancti Patres, quos refert Magister *in* 1. *d.* 8. & *d.* 34. Imo D. Epiphanius *in* 7. *Synodo, actu* 6. *tomo* 3. inquit: *Ideo hæretici errant, quia nihil aliud agunt, quam vt ostendant naturam, & hypostasim idem esse: quæ sane inter se differre veri Ecclesiæ Catholicæ alumni cognoscunt.* Vnde hanc sententiam docent omnes fere Philosophi, ac Theologi, quos proinde non oportet in particulari referre.

Primum, & præcipuum nostræ assertionis fundamentum desumitur ex mysterio Incarnationis: quoniam ea, quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: sed natura creata realiter separatur à sua subsistentia: ergo distinguitur realiter ab illa. Minor probatur: quia Christus Dominus habet realiter naturam humanam: & tamen non habet subsistentiam humanam, seu creatam: alias inuenirentur in eo duæ subsistentiæ, & consequenter duo suppositа, diuinum videlicet, & humanum, quod damnat Fides contra Nestorium: ergo natura separatur realiter à propria subsistentia.

2 Respondebis primo cum Gabriele Vazquez 3. *p disp.* 31. *cap.* 1. *numero* 4. sufficere distinctionem virtualem vel rationis inter naturam, & suppositum, vt natura humana dicatur assumpta, non vero suppositum: sicut eadem distinctio sufficit, vt suppositum Verbi assumat humanitatem, non vero natura diuina. ¶ Sed contra: quia si semel humanitas, & suppositum humanum sunt realiter idem, nequit humanitas primario, & per se assumi, quin suppositum secundariò, ex consequenti, vel aliquo alio modo realiter assumatur: sicut quia suppositum Verbi, &

natura diuina sint realiter idem, nequit Verbum vniri per se, & ratione sui humanitati, quin natura diuina ratione Verbi eidem humanitati realiter vniatur: atqui suppositum humanum nullo modo est assumptum à Verbo: ergo humanitas, & suppositum creatum non solum virtualiter, & per rationem, verum & realiter distinguuntur.

Confirmatur: quia si suppositum creatum, & natura essent realiter idem; esto posset natura assumi non assumpto supposito: tamen vbicumque esset natura: ibidem etiam conseruaretur eius suppositum: sicut quia natura diuina, & persona Verbi sunt idem realiter, vbicumque est Verbum, ibidem etiam est natura; licet Verbum dicatur assumens humanitatem, non autem natura: sed in Christo Domino inuenitur natura humana; & non inuenitur humanum suppositum: nam fides negat non solum suppositum humanum assumptum fuisse à Verbo; sed etiam quod in humanitate assumpta à Verbo inueniatur suppositum creatum: ergo humanitas, & suppositum humanum non sunt realiter idem. ¶ Ad hæc Patres, & Theologi communiter docent personalitatem Verbi subrogari loco personalitatis, seu subsistentiæ creatæ, eamque consumpsisse, & illius defectum supplere: hoc autem minime posset verificari, si subsistentia creata non differret realiter ab humanitate: nam Verbum in eo euentu nec consumeret personalitatem creatam, nec suppleret defectum illius; siquidem hæc realiter conseruaretur, sicut humanitas; cum sint realiter idem: sed potius Verbum humanitatem propria subsistentia affectam iterum terminaret: existeretque proinde humanitas in duobus suppositis, proprio scilicet, & diuino. Quæ omnia absurda sunt, & non cohærent Principiis fidei, vt satis ex se liquet.

3 Respondebis secundo cum Gabriele Biel *in 3. d. 1. q. 1. art. 3. dub. 2.* sufficere diuersum modum significandi harum vocum, *humanitas*, & *suppositum*, vt Verbum dicatur assumpsisse humanitatem, non assumpto supposito. Quia licet suppositum, & humanitas sint eadem realitas; tamen suppositum ex virtute vocabuli significat naturam per modum habentis; & non per modum habitæ: quare cum humanitas habeatur, & terminetur à Verbo diuino: non exercet in eo rationem suppositi, sed solius naturæ: & ideo Verbum dicitur assumpsisse naturam, & non assumpsisse suppositum.

Hæc tamen doctrina falsa omninò est, potestque efficaciter refelli: tum quia si humanitas, & suppositum humanum sunt eadem realitas, licet differant ex modo significandi: ergo in Christo Domino perseuerat tota realitas suppositi creati, & quidquid realiter desideratur ad constitutionem illius: ergo licet Verbum, stando proprietati vocis, non dicatur assumpsisse suppositum; illud tamen realiter, & quoad rem significatam assumpsit. Hoc autem nemo Catholicorum concedet: quia Ecclesia damnans Nestorium ponentem duas personas in Christo Domino non ad voces præcipuè, vt faciunt Nominales, sed ad res ipsas attendit: nec quæstio illa erat, vt aiunt,

de

de nomine; sed de re equidem grauissima: atque oppositum asserere plurimum derogat grauitati nostræ Fidei. Tum etiam, quia hæc euasio admittit in humanitate, quidquid realitatis in ea asserebat Nestorius; & solum differt ab illo in modo loquendi: nam realitatem, quam ille vocabat suppositum, Gabriel appellat naturam. In quo rationabilius videtur loquutus Nestorius: nam si in humanitate datur realiter, quidquid requiritur ad personæ constitutionem, cur non erit verè, & realiter persona? Respondere namque, humanitatem existentem in Verbo non concipi, nec significari ad modum habentis, & per se stantis, ridiculum plane est: quia persona non constituitur realiter per nostros modos concipiendi, & significandi; sed per ea, quæ ad illius realitatem desiderantur. Tum præterea, quia etiam aqua replens vas concipitur, & significatur per modum habitæ à vase, in eoque existentis: & similiter aurum deaurans argentum concipitur, & significatur vt habitum, & existens in argento: & nihilominus quia aqua, & aurum retinent realiter suam subsistentiam, propterea sunt suppositа realiter distincta à vase, & argento, nec eis vniuntur in identitate suppositi; sed solum per contiguitatem, vel alia vnione accidentali: ergo si humanitas vnita Verbo retinet realitatem suæ subsistentiæ (quamvis significetur vt habita ab illo) erit suppositum creatum distinctum à Verbo, & illi per assistentiam, aut alium accidentalem modum vnitum, sicut aurum vnitur argento. Quod inconueniens vitatur dicendo humanitatem nudam à realitate propriæ subsistentiæ vnitam fuisse Verbo diuino, quod vices creatæ personalitatis suppleuit: atque ideo vnionem illam fuisse substantialem, ex qua constitutum est vnicum, & verum suppositum humanæ naturæ.

Confirmantur hæc omnia, euertendo simul euasionem vtriusque Gabrielis: quoniam distinctio solum virtualis, vel penes diuersum modum significandi non impedit mutuam prædicationem, saltem identicam, inter ea, quæ sunt realiter idem, vt inductiue potest ostendi: ergo si suppositum, & natura sunt idem realiter, istæ prædicationes *Petrus est hæc humanitas, Humanitas hæc est Petrus* erunt veræ, & admittendæ: consequens est absurdum: ergo &c. Probatur minor: quia non minus verè, nec minus propriè Christus est suppositum humanæ naturæ, ac Petrus: sed eæ prædicationes *Christus est sua humanitas, Humanitas hæc est Christus*, sunt falsæ, & reprobatæ in Concilio Basilienſi *sess.* 22. quæ inscribitur de erroribus Archiepiscopi Nazareni, cuius inter alias erant prædictæ propositiones: ergo suppositum, & natura nequeunt de se inuicem prædicari. Possent autem si suppositum non adderet supra naturam aliquid ab ea realiter diuersum: & hoc, quod addit, nil aliud est, quam subsistentia: hæc igitur differt realiter à natura.

§. II.

Eadem veritas alio fundamento ſuadetur.

4 SEd nè, dum Philoſophum naturalem agimus, videamur ad vnicum aſylum Fidei confugere, ſtudebimus communem aſſertionem firmare alia ratione philoſophica deſumpta ex D. Th. 3. *p. q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. *& c.* 5. *ad* 1. *& in* 3. *diſt.* 5. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 2. per quam etiam propriæ rationes ſuppoſiti, & ſubſiſtentiæ, (quæ haud facilè deprehenduntur) non parum innoteſcant. Poteſt autem ſic formari : nam de ratione ſuppoſiti eſt eſſe ſubſtantiam ita completam, vt ſiſtat in ſe poſitiuè, & nulli alteri intra genus ſubſtantiæ communicetur, vel communicari valeat : ſed natura ex vi ſuæ entitatis non habet formaliter huiuſmodi perfeitatem, & incommunicabilitatem : ergo ſuppoſitum ſuperaddit naturæ aliquid reale, per quod fiat in ſe, & per ſe ſiſtens, & incommunicabilis alteri : ergo cum nihil addat niſi ſubſiſtentiam: ſequitur, quod ſubſiſtentia diſtinguatur realiter à natura. Vtraque conſequentia videtur manifeſta. Maior autem explicatur ſimul & ſuadetur : quoniam multipliciter poteſt aliquid eſſe communicabile. Primò per modum vniuerſalis eo modo, quo gradus genericus, vel ſpecificus communicatur ſuis inferioribus: & incommunicabilitas oppoſita eſt propria cuiuſcumque rei ſingularis: hæc quippe ratione ſuæ hæceitatis nequit eſſe in alio inferiori, vel de illo prædicari. Secundò per modum formæ inhærentis eo modo, quo albedo communicatur ſubiecto : & incommunicabilitas oppoſita conuenit cuicumque ſubſtantiæ ſiue totali, ſiue partiali : nam hæc ex communi conceptu ſubſtantiæ non valet communicari alteri tanquam ſubiecto inhærentiæ. Tertio per modum partis eo modo, quo forma ſubſtantialis communicatur materiæ, & materia communicatur formæ, & partes integrales, vtputa pedes, & manus communicantur aliis partibus, ac compoſito : & incommunicabilitas oppoſita conuenit cuiuſuis naturæ totali v.g. humanitati: iſta enim non poteſt alteri vt pars parti communicari, aut vniri. Quarto per modum quidditatis; & naturæ eo modo, quo humanitas eſt in Petro, & natura quælibet in ſuo ſuppoſito ; non quidem tanquam in ſubiecto, vel in comparte, ſed velut in habente talem naturam : & incommunicabilitas oppoſita eſt propria ſuppoſiti : hoc quippe debet eſſe ſubſtantia adeo completa, perfecta, & terminata in proprio genere, vt ſiſtat omnino in ſe, neque alteri intra ſuum genus innitatur, vel communicetur, vel ab alio habeatur, vt patet ex communi modo concipiendi. Vnde ſuppoſitum ſolet definiri, quod ſit : *ſubſtantia perfecta incommunicabilis* : nam ly *incommunicabilis*, ſtat abſolutè, & vniuerſaliter, negatque proinde omnem communicationem ſubſtantialem excogitabilem.

Minor etiam oſtenditur : quia licet humanitas ſingularis ex capite, quod

quod est *hæc* sit incommunicabilis per modum vniuersalis: & ex capite, quod est substantia sit incommunicabilis per modum formæ inhærentis: & ex capite, quod est natura totalis sit incommunicabilis per modum partis: tamen nihil habet, per quod sit incommunicabilis per modum naturæ, & quidditatis. Tum quia cum ipsa humanitas sit quidditas, & natura; nulla est ratio, cur nequeat per modum quidditatis, & naturæ alteri communicari. Tum etiam, quia in humanitate singulari solum inuenitur esse *hanc*, & esse *substantiam*, & esse *naturam totalem*: sed per esse *hanc* solùm excluditur communicatio per modum vniuersalis; & per esse *substantiam* solùm excluditur communicatio per modum formæ inhærentis; & per esse *naturam totalem* solùm excluditur communicatio per modum partis: ergo nihil est in humanitate secundum propriam realitatem accepta, quod excludat communicationem per modum quidditatis, & naturæ. Tum denique, quia humanitatem communicari alteri, vt habenti, & terminanti ipsam humanitatem non destruit proprium conceptum quidditatis, & naturæ: sed potius optime concipitur, quod Petrus verbi gratia habeat humanitatem, per modum propriæ naturæ, & quidditatis. Ergo ex parte humanitatis secundum se acceptæ nihil reperitur, quod importet formaliter omnimodam sistentiam in se, & dicat omnimodam incommunicabilitatem. Vnde sequitur, quod non habeat perfectam, & incommunicabilitatem propriam suppositi, hoc enim est ita completum, & terminatum in genere substantiæ, vt intra idem genus nequeat ab altero haberi, vel terminari. Quæ est doctrina D. Thom. *loco supra citato ex 3. sentent. in corpore*, vbi inquit: *Quod assumitur, trahitur ad aliquid completius, ipsum incompletum existens: & hoc est contra rationem personæ, quæ maximam completionem importat.*

5 Nec refert primo, si dicas naturam v. g. Angelicam, si poneretur à parte rei nuda ab omni subsistentia à se distincta, vel sibi realiter superaddita, sistere in se positiue, & nulli alteri inniti, aut communicari: quod & nihil amplius desideratur ad rationem suppositi: ac proinde non videtur desiderari ad incommunicabilitatem propriam suppositi, quod addat naturæ aliquid ab ea distinctum.

Hoc inquam, non refert: quoniam de ratione suppositi est habere perfectatem positiue, & formaliter; siue, quod idem est, suppositum debet habere talem modum, vt positiue sistat in se, & excludat communicabilitatem respectu alterius. Natura autem Angelica si exueret subsistentiam sibi superadditam, solùm sisteret in se ipsa quasi negatiuè, & radicaliter: quia licet non esset in alio habente ipsam; nihil tamen haberet, per quod prædictam communicationem, & communicabilitatem excluderet. Vnde sicut linea separata ab vltimo puncto est finita negatiue, quia non se amplius extendit: & tamen non est finita positiuè, quia nihil habet, quod eam positiue terminet impediẽdo continuationem cum

alia linea : & propterea ad terminandum lineam positiue requiritur punctum ab eadem linea distinctum, vt ostendimus *in lib. Physic. disput. 23. quæst. 1.* Ita proportionabiliter natura separata à subsistentia esset in se negatiue, quia non esset in alio ; sed non sisteret positiuè, quia nihil positiuum haberet, quod eam determinaret, atque impediret formaliter proximè communicationem, & communicabilitatem alteri tanquam habenti ipsam naturam : & ideo ad terminandam positiuè prædictam naturam requiritur subsistentia ab eadem natura distincta.

Explicatur hoc amplius : quia sicut de ratione naturæ accidentalis est esse in alio ; ita de ratione naturæ substantialis est esse in se : ergo sicut natura accidentalis est positiuè in alio, non per solam suam entitatem, sed per aliquid à se diuersum, videlicet, per inhærentiam ad subiectum ; ita etiam natura substantialis est positiuè in se non per solam suam entitatem, sed per subsistentiam sibi superadditam, & inhærentiæ accidentium correspondentem. Vnde sicut natura accidentis separata ab inhærentia solum negatiue, & aptitudinaliter est in alio; quia videlicet quantum est de se, petit esse in subiecto, & alias non habet aliquid, per quod positiuè sit in illo : ita etiam natura substantialis separata à subsistentia esset negatiue & aptitudinaliter in se: quia nimirum petit ex se subsistentiam, & aliàs non habet aliquid, per quod fiat actu sistens positiue, in se, & excludat formaliter proxime communicabilitatem ad aliud.

6 Nec refert, si secundo dicas non esse contra rationem suppositi, quod alteri communicetur : nam aurum est quoddam suppositum, & nihilominus communicatur argento : quod per aurum deauratur : vnde ex eo, quod natura possit secundum suam entitatem alteri communicari ; non infertur, quod in se, & alijs circumscriptis, non habeat quidquid desideratur ad propriam rationem suppositi.

Hoc, inquam, parum interest: quoniam licet suppositum possit alteri supposito vniri per quandam vnionem accidentalem, vtputa per contiguitatem : minime tamen valet alteri communicari vnione substantiali, & ordinata ad constituendum vnum ens per se. Nec oppositum suadet exemplum in contrarium inductum : nam aurum, & argentum inter se vnita non constituunt vnum ens, sed sunt simpliciter plura in actu, & aggregatum quoddam per accidens. Cuius signum est, quod natura auri nec in abstracto, nec in concreto prædicatur substantiuè, & in recto de argento ; sed tantum adjectiue, & adinstar accidentis: non enim dicimus : *Argentum est aurum* : sed *argentum est aureum*. Humanitas autem (& idem de alijs naturis subsistentibus) communicari potest alteri communicatione substantiali, & ordinata ad constituendum vnum ens per se : nam ex quidditate, & ex habenti talem quidditatem, fit vnum per se, videlicet ens habens talem quidditatem. Vnde

de videmus, quod natura in concreto significata prædicatur in recto, substantiuè, & essentialiter de habente ipsam, scilicet de supposito; verificatur enim non solùm, quod Petrus *est humanus*, sed quod *est homo*. Id verò minimè contingeret, si natura esset in genere substantiæ omnino completa, & ex se incommunicabilis alteri.

7 Sed obijcies: nam gradus, vel conceptus specificus v. g. naturæ humanæ, qui est de se communicabilis per modum vniuersalis pluribus inferioribus, determinatur per hæcceitatem, seu differentiam numericam, & induit incommunicabilitatem oppositam: & tamen hæcceitas, seu differentia numerica non distinguitur realiter à conceptu specifico; sed tantum virtualiter: ergo ex eo, quod natura, quæ secundum se est communicabilis per modum quidditatis, determinetur, & fiat incommunicabilis per subsistentiam, non sequitur, quod hæc differat realiter à natura. ¶ Confirmatur: quia materia prima est ex se negatiue indifferens, vt communicetur diuersis compositis substantialibus, & tamen fit *hæc* positiue, & propria huius compositi per suammet entitatem connotando aliqua accidentia: ergo pariter licet natura sit ex se communicabilis; poterit tamen incommunicabilis reddi per suammet entitatem connotando aliqua accidentia, aut alia obliqua.

Respondetur obiectioni negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quoniam communicabilitas per modum vniuersalis non est communicabilitas physica, & positiua: nullus quippe gradus inuenitur à parte rei, qui sit positiuè vniuersalis, & communis, vt ostendimus *in Log. disp. 3. quæst. 5.* sed prædicta communicabilitas est solum logica, seu per nostros conceptus cum fundamento in re. Vnde non oportet, quod determinatiuum impediens talem communicabilitatem superaddatur conceptui specificò physicè, seu realiter: sed satis est superaddi logicè, & virtualiter. Humanitas autem, quamvis indiuidua, & singularis est communicabilis per modum quidditatis, ne dùm logicè, & ex modo concipiendi; verum etiam physicè, & à parte rei: quia nihil habet ex se à parte rei, & attentis omnibus, quæ realiter affert, nempe materia, forma, & vnione, quod obsistat communicationi per modum quidditatis, & naturæ. Quamobrem opus est, quod ei realiter superaddatur aliquid, ratione cuius fiat ita completa, & sistens in se ipsa, vt nequeat vlterius alteri substantialiter communicari: quod superadditum nihil aliud est, quam subsistentia: & ideo oportet, quod hæc differat realiter à natura. ¶ Vnde ad confirmationem negamus consequentiam, & suppositum consequentis: quia non est assignabile aliquod accidens, vel aliud connotatum extrinsecum, per ordinem ad quod natura fiat incommunicabilis alteri vt supposito habenti ipsam. Et ratio est: quia nullum est accidens, quod non sit communicabile, quantum est de se alteri vt supposito, vel subiecto *quod*:

vnde

vnde omne accidens est ineptum, vt præstet huiusmodi incommunicabilitatem naturæ. In cuius signum videmus naturam quandam, nimirum humanitatem cum omnibus accidentibus sibi correspondentibus fuisse communicatam suppositò diuino: quod non contingeret, si natura fieret incommunicabilis per sua accidentia, vel per eorum connotationem.

§. III.

Resoluuntur nonnullæ quæstiunculæ incidentes.

8 EX dictis habetur resolutio aliquarum difficultatum, pro quibus solent alij peculiaria dubia instituere. Inquires ergo primo, an illud, quod suppositum addit supra naturam sit aliquid positiuum? Respondetur affirmatiuè. Hanc conclusionem egregiè docet, & probat Cajetanus 3. *p. qu.* 4. *art.* 2. §. *Simpliciter autem*: cui subscribunt non solum alij Thomistæ, sed etiam Suarez *disp.* 33. *Metaph. sect.* 2. *num.* 10. Vasquez 3. *p. disputat.* 31. *cap.* 2. *num.* 10. & communiter Theologi. Ratio sumitur ex dictis: quia illud, quod suppositum addit supra naturam; fundat incommunicabilitatem ad aliud suppositum, vt hucusque ostensum est: sed hæc incommunicabilitas non fundatur in alia negatione; sed in aliquo positiuo: ergo id, quod suppositum addit supra naturam est aliquid positiuum. Probatur minor: tum quia omnis negatio fundatur in aliquo positiuo, & affirmationi innititur: ideo enim homo non est irrationalis quia est rationalis: & ideo Angelo repugnat componi ex materia, quia est substantia completa spiritualis: ergo incommunicabilitas, seu repugnantia, quam suppositum affert, vt assumatur ab alio, non fundatur in alia negatione, sed in aliquo positiuo. Tum etiam: quia repugnantia, quam habet humanitas v. g. Petri vt assumatur ab alio, vel conuenit ei ex solis prædicatis propriis humanitatis, vel aliunde? Primum dici non potest: nam humanitas cum omnibus suis prædicatis est assumpta à Verbo diuino. Dicendum ergo est illam negationem haberi aliunde, & in alio fundari: repugnat autem fundari in alia negatione: ergo fundatur in aliquo positiuo. Ad hæc: Verbum diuinum supplet id, quod suppositum creatum præstat naturæ: ergo si suppositum creatum non communicat aliquid positiuum, sed solum negationem; sequitur quod Verbum non supplerit aliquid; sed nihil. Quo quid absurdius?

Deinde ostenditur eadem resolutio alio fundamento desumpto ex D. Thom. 1. *p. quæst.* 79. *art.* 2. & *quæst.* 30. *art.* 1. quod potest ad hanc formam reduci: nam suppositum constituitur in esse suppositi per id, quod superaddit naturæ: sed suppositum in esse suppositi est aliquid positiuum: ergo id, quod suppositum naturæ superaddit, est quid positiuum. Minor probatur: tum quia id, quod est perfectissimum in genere substantiæ non potest constitui per negationem; cum hæc nullam perfectionem dicat; sed debet

debet constitui per aliquid positiuum : constat autem suppositum esse perfectissimum quid in genere substantiæ : ergo suppositum constituitur per aliquid positiuum. Tum etiam, quia suppositum, quatenus tale, est principium *quod* operandi : sed principium operandi debet esse aliquid positiuum : eo quod repugnat negationem realiter influere : ergo suppositum constituitur in esse suppositi per aliquid positiuum.

9 Sed objicies cum Scoto, cui oppositus dicendi modus magis arridere videtur : nam Verbum diuinum assumpsit, quidquid in humana natura plantauit, vt docet Damascenus *lib. 9. de Fide cap. 6.* sed plantauit quidquid est positiuum : ergo omne positiuum assumpsit : at non assumpsit personam, vel suppositum : ergo id, quod suppositum superaddit naturæ, non est aliquid positiuum. ¶ Confirmatur : nam quod non est assumptum à Verbo, non est ab ipso sanatum, vt tradit idem Damascenus *loco citato* : ergo si in humanitate fuisset aliquid positiuum, quod non est assumptum ; sequitur dari in natura humana aliquid positiuum, quod non fuerit sanatum : hoc autem est inconueniens : ergo &c.

Respondetur objectioni Damascenum solùm asserere, quod Verbum assumpsit quidquid in humana natura plãtauit ; non verò quidquid condidit in homine : subsistentia autem pertinet ad constitutionem suppositi ; non autem ad constitutionem naturæ ; vnde nec sequitur fuisse assumptum à Verbo, nec esse aliquid negatiuum. ¶ Ad confirmationem dicendum ea propriè dici sanari à Verbo, quæ prius ex peccato Adami languorem, & infirmitatem contraxerant : huiusmodi verò sunt anima, caro, & potentiæ operatiuæ ; secus autem subsistentia, vel personalitas : quamobrem non infertur, quod subsistentia fuerit assumpta, sed solùm anima, caro, & potentiæ, in quibus infirmitas, propriè loquendo, reperiebatur.

10 Inquires secundò, vtrùm hoc positiuum, quod suppositum addit naturæ, sit substantia, vel accidens ? Respondetur esse aliquid substantiale. Ita Caietanus suprà citatus, & communiter alij Theologi. Et ratio est satis perspicua : quoniam ex natura & ex illo superaddito fit vnum per se, nempè suppositum : implicat autem, quod ex substantia, & accidenti vnum per se constituatur : ergo illud superadditum non est aliquod accidens. ¶ Confirmatur primò : quia suppositum, vt tale constituitur per id, quod superaddit naturæ : atqui suppositum, vt tale, est de genere substantiæ : ergo id, quod addit suprà naturam, non est accidens, sed aliquid substantiale. ¶ Confirmatur secundò : quia subsistentia præcedit existentiam substantiæ, vt infrà *quæst. 3.* declarabimus : sed nullum accidens existentiam substantiæ præcedit : nam prius est substantiam esse substantialiter perfectam, quam quod accidentia recipiat : illud igitur superadditum, nempè subsistentia, non est accidens.

Sed oppones : substantia, vt Aristot. determinat *in 2. de Anima*, adæquatè diuiditur in materiam, formam

mam, & compositum: sed subsistentia neutrum horum est: ergo subsistentia non est substantia. ¶ Respondetur Philosophum nomine compositi significasse non solum naturam totalem, sed suppositum, quod ex illa, & subsistentia coalescit: nam compositi nomen aptius, & frequétius attribuitur supposito, quam naturæ: vnde ex vi illius diuisionis non excluditur subsistentia à genere substantiæ. Adde subsistentiam non pertinere ad genus substantiæ per modum compositi, aut partis eius; sed duntaxat per modum termini: Aristoteles autem in eo loco solum meminit compositi, & partium eius: vnde mirum non est, quod expressè non adduxerit subsistentiam. Quamobrem sicut ex vi illius testimonij non excluditur, quod vnio inter materiam, & formam sit modus substantialis: ita neque euincitur, quod subsistentia illas partes complens, & terminans non pertineat ad idem genus substantiæ.

11 Inquires tertiò, an hoc substantiale, quod subsistentia importat, sit entitas, vel modus? Respondetur esse modum: & consequenter distinctionem inter ipsam, & naturam non esse realem entitatiuam, seu rei à re; sed realem modalem, seu rei à modo. Ita colligitur ex D. Th. *quæst. 9. de potentia art. 3.* vbi inquit: *Persona significat naturam cum quodam modo existendi.* Et 1. *p. q.* 30. *art.* 1. vbi ait: *Indiuiduum vagum significat naturam cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, vt scilicet sit per se subsistens.* Vnde sic docent communiter Thomistæ: inter quos videri potest M. Ioannes à S. Thoma 1. *p. disp.* 4. *q.* 3. *art.* 1. Et ratio est: quia naturam esse subsistentem est esse ita modificatam, vt non valeat alteri supposito communicari: sed ad modificandum non requiritur entitas, aut realitas; sed sufficit modus: ergo subsistentia est quidam modus substantialis. Et confirmatur: quia nulla apparet ratio asserendi subsistétiam esse entitatem, vel realitatem: ergo cùm natura abhorreat superfluum; asserendum est solum esse quendam modum entitati naturæ superadditum, & ipsam determinantem. Et licet hic modus nequeat existere separatus à propria natura; natura tamen valet ab illo separata existere, si terminetur per diuinam subsistentiam, vt contingit in mysterio Incarnationis.

Sed dices: suppositum se habet ad naturam vt habens illam, & tanquam includens ad inclusum, vt docet D. Th. 3. *p. q.* 2. *art.* 2. hoc autem non posset verificari, si subsistentia, per quam suppositum constituitur, esset solum quidam modus; cùm hic nequeat habere, vel includere naturam: ergo subsistentia non est modus, sed realitas. ¶ Respondetur negando minorem, quam inserta probatio minimè suadet: nam suppositum non est solus modus superadditus naturæ; sed coalescit ex natura, & ex prædicto modo: vnde licet modus non dicatur habere, vel includere naturam; suppositum tamen illam habet, & includit: quia omne totum habet & includit ea, ex quibus constituitur. Dicitur tamen suppositum diuersimodè habere naturam, & subsistentiam: nam illam habet vt formam

mam totalem ; hanc verò vt terminum , & complementum illius.

12 Inquires quartò, quis sit effectus , aut quasi effectus primarius subsistentiæ ? Respondetur quod loquendo de effectibus, quos subsistentia communicat naturæ completæ , primarius subsistentiæ effectus est naturam completam sistere positivè in se : quæ positiua sistentia explicatur per negationem cõmunicationis , vel dependentiæ à quocumque alio vt habente, vel terminante naturam. Ratio desumitur ex supradictis §. 2. quoniam ille est effectus primarius alicuius modi, qui est radix, seu ratio à priori aliorum effectuum , quos prædictus modus præstat : atqui hoc , quod est naturam sistere in se positivè est radix & ratio omnium aliorum effectuum , quos subsistentia confert : ergo est primarius effectus illius. Probatur minor: quia licet subsistentia tribuat esse incõmunicabile alteri supposito; tamen incõmunicabilitas, cùm sit negatio, debet fundari in aliquo positiuo, quod nõ est aliud, quam positiua perfectas seu sistentia naturæ in se. Et licet naturæ tribuat subsistare accidẽtibus, & existentiæ; tamen hæc ratio supponit naturam sistentẽ in se, cùm prius sit sistere in se , quam subsistare extraneis. Tandem licet tribuat esse principium *quod* operandi; tamen huiusmodi conceptus supponit naturam sistere in se vt *quod*, seu omninò completè , cùm prius sit esse, quam operari. Maneat igitur hoc , quod est naturam sistere positivè in se ipsa , esse radicem , & rationem à priori omnium effectuum, quos subsistentia tribuit naturæ.

Confirmatur, & explicatur : quia ita se habet subsistentia ad substantiam, sicut inhærentia ad accidens : sed primarius effectus inhærentiæ est constituere positivè accidens in alio : neque enim est imaginabile , quid prius conferat accidenti : ergo primarius effectus subsistentiæ est constituere substantiam positivè in se , vel per se : quod explicatur per negationem essendi in alio. Consulto in hac resolutione diximus , *loquendo de effectibus , quos subsistentia communicat naturæ completæ* , &c. propter ea , quæ infrà *num.* 52. dicemus de subsistentia animæ rationalis , quæ non est natura completa ; sed pars naturæ.

13 Denique inquires , in quo differant subsistentia , & personalitas ? Respondetur solùm differre in eo , quod subsistentia reperitur in quacumque natura tàm intellectiua , quàm irrationali , personalitas autem solùm conuenit naturæ intellectiuæ : nam ille modus , qui applicatis aliis naturis appellatur generali vocabulo *subsistentia* , conjunctus naturæ intellectiuæ vocatur ob specialem huius dignitatem peculiari nomine *personalitas*. Et eadem differentia reperitur inter suppositum , & personam : vnde solent definiri , *suppositum est naturæ completæ substantia incommunicabiliter subsistens* : *Persona est rationalis naturæ individua substantia incommunicabiliter subsistens*. Ex quo fit , quod omnis persona sit etiam suppositum : è conuerso autem non omne suppositum est persona. Quod satis constat ex dictis.

§. IV.

Refertur sententia nostræ assertioni contraria.

14 DVrandus *in* 1. *dist.* 34. *qu.* 1. Henricus *quodlib.* 4. *qu.* 4. Okam *quodlib.* 4. *q.* 11. & nonnulli ex antiquioribus docent subsistentiam nihil realiter addere suprà naturam: vnde consequenter asserũt suppositum, & naturã non distingui à parte rei; sed solùm secundum diuersum modum significandi, quatenus eadem realitas, quæ in abstracto vocatur v. g. *humanitas*, in concreto dicitur *homo*: & ideò concedunt, quod realiter loquendo Petrus est sua humanitas, & humanitas Petri est Petrus. Cui opinioni suffragatur re ipsa Scotus *in* 3. *d.* 1. *quæst.* 1. licet verbis differre videatur, vt rectè obseruauit Suarez *disp.* 34. *Metaph. sect.* 2. *num.* 10.

Probatur primò hæc sententia ex Arist. 7. *Metaph. cap.* 11. vbi asserit *quidquid est* esse idem cum eo, *cuius est*: sed *quidquid est* importat naturam, & id, *cuius est*, significat suppositum: ergo natura, & suppositum sunt idem: ergo suppositum non addit suprà naturam aliquid ab ea realiter diuersum.

Respondetur quidditatem esse idem cum eo, cuius est quidditas, si istud sumatur quoad essentialia; secus verò si consideretur secundum ea, quæ sunt præter ipsam quidditatem: qualia sunt omnia accidentia essentiæ tam prædicamentalia, vt albedo, & figura, quam prædicabilia, vt subsistentia, & existentia. Arist. autem loquitur de eo, cuius quidditas est priori modo considerato. Vnde non negat quod suppositum adæquatè acceptũ distinguatur realiter à natura, non solum ratione accidentium prædicamentalium; sed etiam ratione modi, quem subsistentia superaddit naturæ. Quæ solutio sumitur ex D. Th. *quæst. vnic. de verbo increato art.* 3. vbi ad argumentum 14. quod erat huiusmodi: *Christus est homo: homo autem est humanitas: quia essentia rei est idem cum eo, cuius est essentia: ergo Christus est sua humanitas*, respondet in hunc modum: *Dicendum, quod est falsa, homo est humanitas. Non enim omninò idem significatur per vtrumque: quia vt Philosophus dicit in* 7. *Metaphys. quidquid est, id est, essentia vnius cuiusque, est idem cum eo, quantum ad ea, quæ sunt per se; non autem quantum ad ea, quæ sunt per accidens. Et ideò quidquid sit illud, cui potest aliquid accidere præter naturam suæ speciei, non est idem cum sua essentia. Homini autem multa accidunt præter essentiam speciei. Vnde patet, quod nõ est omninò idem homo, & humanitas. Nam humanitas dicitur, qua aliquis est homo: & sic in sua significatione includit sola ea, quæ pertinent ad essentiam speciei. Homo autem dicitur, qui habet humanitatem, in quo etiam multa sunt alia præter essentiam speciei.*

15 Secundò arguitur: nam concretum, & abstractum non differunt ex parte rei significatæ, sed solum ex modo significandi: album enim; vt dicitur in prædicamentis, solam qualitatem, seu albedinem significat: licet albedo significet illam vt per se stantem, album autem vt alteri inhærentem: at sic est,

quod

quod homo, & humanitas se habent velut concretum, & abstractum; vt liquet ex ipsis terminis: ergo homo, & humanitas, seu suppositū, & natura solum distinguuntur ex modo significandi; ex parte verò rei significatæ sunt idem realiter.

Respondetur nomen concretum tàm substantiæ, quàm accidentis posse bifariam accipi, videlicet logicè, & physicè. Si logicè consideretur; significat formam, & connotat subjectum: quo etiam pacto logicè loquendo definiendum est, vt statuimus in Logica *disp.* 5. *q.* 2. Si autem consideretur physicè; significat in recto non solum formam, sed etiam subjectum, seu suppositum illius: quia importat illud ens completum quod ex forma, & subjecto, vel supposito constituitur. Et propterea si hoc nomen *homo* sumatur logicè, significat in recto solam quidditatem, siue humanitatem, connotando suppositum ex ea constitutum, quod est ens per se, & directè collocatur in prædicamento. Si verò sumatur physicè, vt sumēdum est in præsenti, non solum humanitatem, sed etiam suppositum importat in recto. Et hoc pacto differt simpliciter à nomine abstracto, etiam ex parte rei significatæ: nam humanitas solam quidditatem significat. Vnde argumentum retorquēdum est in aduersarios: nam album physicè acceptum non est sola albedo; sed aliquid præter illam affert, nempè subjectum, quod ab ipsa realiter distinguitur: ergo pariter homo physicè loquendo, non est sola humanitas; sed aliquid dicit præter ipsam, nimirum suppositum ex eadem, & ex subsistentia intrinsecè constitutum.

16 Tertiò, & vrgentius arguitur: quoniam in Angelis suppositum non distinguitur realiter à natura; ergo neque in substantiis corporeis. Consequentia patet: tum à paritate rationis: tum quia rationes à nobis factæ sunt vniuersales: & ideò probant vel vtrobique, vel nullibi. Antecedens autem docet expressè D. Th. 1 *p. q.* 3 *art.* 3. his verbis: *In his, quæ non sunt composita ex materia, & forma, in quibus indiuiduatio non est per materiam indiuiduantem, sed ipsæ formæ per se indiuiduantur, oportet, quod ipsæ formæ sint suppositata subsistentia. Vnde in eis non differt suppositum, & natura.* Et 4. *contra gentes capite* 55. *in responsione ad* 4. inquit: *Conuenientius assumpta est humana natura, quam Angelica: quia in homine aliud est natura, aliud persona; cùm sit ex materia, & & forma compositus: non autem in Angelo, quia immaterialis est.* Quod repetit *quæst.* 9. *de potentia art.* 3. *ad* 4. *& in* 3. *d.* 5. *q.* 1. *art.* 3. *& opusc.* 37. *c.* 4. versus medium, & alibi sæpè.

Vt huic argumento, quod difficultatem non leuem continet, liquidò satisfiat, obserua *primò* cum Ioanne à S. Thom. 1. *p. disp.* 4. *art.* 1. circa ternam difficultatem, quod suppositum potest dupliciter sumi: primò formaliter, quo pacto distinguitur à natura, vt hactenus in hoc dubio ostēdimus: secundò radicaliter, qua ratione non distinguitur à substantia completa, in qua subsistentia radicatur. Ad eum sanè modum quo proprietates v. g. hominis formaliter sumptæ distinguūtur realiter ab hominis essentia, & sunt

quædam accidentia illi superaddita: radicaliter autem accepta non differunt realiter ab essentia; sed sunt ipsamet essentia, quæ proprietates formaliter sumptas radicat. Obserua *secundò* subsistentiam non originari à natura considerata secundum gradus communes, vtputa secundum vnitatem specificam; sed sumpta secundum suam singularitatem, & vnitatem numericã. Nam cum subsistentia conferat naturæ vltimam incommunicabilitatem, vt constat ex dictis §. 2. oportet quod supponat naturam factam incommunicabilem aliis modis communicationis: inter quos computatur communicatio per modum vniuersalis, vt ibidem obseruauimus. Quare cùm singularitas excludat prædictam communicationem; opus est, quod subsistentia supponat naturam factam singularem positiuè, & ab eadem provt sic originetur. Quod atteſtatur, & mysterium Incarnationis, in quo humanitas singularis terminatur per subsistentiam diuinam: & communis vsus definientium suppositum, vel personam: omnes enim adducunt substantiam indiuiduam. Obserua *tertiò* singularitatem diuerso modo conuenire Angelis, ac substantiis corporeis: nam istæ fiunt positiuè singulares non ex vi suæ speciei, sed connotando aliqua extrinseca à se distincta, vt statuimus *disp. præced.* Angeli verò non indigent aliquo extrinseco, vt fiant positiuè singulares: sed per suam vnitatem specificam fundant repugnantiam ad multiplicationem numericam, vt ostendunt N. Salmant. *tract.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. & 7. Ex quo vlterius fit, quod vnitas numerica in substantiis corporeis importet conceptum positiuum superadditum vnitati specificæ, & ab ea virtualiter diuersum: at in Angelis non dicit conceptum distinctum virtualiter à prædicatis specificis; sed ipsa vnitas specifica est etiam numerica: licet expressio singularitatis, & indiuiduationis non sit prædicatum specificum.

Hinc ad argumentum respondetur negando antecedens intellectum de supposito, & subsistentia formaliter sumptis: hæc quippè sic accepta differunt realiter ab omni natura creata, vt docet D. Th. *quodlib.* 2. *quæst.* 4. vbi rem hanc discutit ex professo, & 3. *p. q.* 17. *art.* 1. vbi inquit: *Natura secundum se considerata, provt in abstracto significatur; non verè potest prædicari de supposito, seu persona, nisi in Deo in quo non differt quo est, & quod est.* Et loquens specialiter de natura Angeli *eadem* 3. *p. q.* 4. *art.* 1. *ad* 3. docet Deum potuisse assumere prædictam naturam impediendo eius personalitatem. Quod fieri minimè posset, si in Angelis suppositum, & natura essent prorsus idem. Ad probationem autem antecedentis respondetur Angelicum Doctorem in illis testimoniis non loqui de supposito sumpto formaliter, sed radicaliter: nec de subsistentia originata; sed de originante, hoc est de natura singulari, ad quam sequitur subsistentia, atque suppositum. Vnde meritò asserit suppositum hoc pacto acceptum non distingui à natura angelica, bene autem à natura corporea: quia vt suprà obseruauimus

vnitas

vnitas numerica, à qua originatur subsistentia, non differt virtualiter in Angelis ab eorum vnitate specifica, nec sumitur per ordinem ad principia extrinseca: in corporalibus verò differt virtualiter à natura, & contrahitur per respectum, vel connotationem ad aliqua extrinseca, nempè ad dispositiones antecedentes, & ad certam quantitatem.

Et quod S. Doctor amplius non intendat, satis constat ipso testimonio in contrarium adducto *ex 4. contra gentes*: nam asserit *conuenientius* fuisse, quod verbum assumeret naturam humanam, quam Angelicam, aperte supponens vtrumque esse possibile. Si autem natura angelica esset per se ipsam suppositum; repugnaret profectò eius assumptio: quia suppositum nequit trahi ad vnionem cum persona, vt docet ipse D. Thom. 3. *p. q.* 4. *art.* 2. Ex eo autem, quod suppositum radicaliter sumptum distinguatur à natura humana, & non ab angelica; optimè colligit conuenientius fuisse, quod Verbum assumeret illam potius, quam istam: nam vt rectè obseruauit Ferrara ad illum locum §. *sed quæret aliquis*, licet subsistentia formaliter accepta distinguatur à natura tàm angelica, quàm humana; nihilominus intimior est illi, quam huic: eò quod radix ipsius non distinguitur adhuc virtualiter à natura angelica, bene autem ab humana. Vbi autem est major intimitas inter aliqua, ibi est minus conueniens eorundem separatio. Et propterea conuenientius fuit assumere naturam humanam nudam à sua subsistentia, quam naturam angelicam subsistentia propria priuatam. Videatur etiam N. Blasius à Conceptione *in sua Metaphys. disp. 8. quæst.* 1. §. 2. vbi aliis viis non contemnendis sanctum Doctorem exponit.

QVÆSTIO II.

Vtrum essentia, & existentia realiter distinguantur?

EXistentiæ creatæ nomine intelligitur illa actualitas, qua creatura constituitur formaliter extra suas causas, & transit vltimatè ab statu possibilitatis ad statum essendi à parte rei. Quam rationem supponimus, non esse aliquam denominationem extrinsecam desumptam à principio rem producente: nam *esse* est intimum vnicuique: atque ideò vel debet esse ipsa essentia, vel eam intrinsecè afficere. Dubitamus autem, vtrum existentia differat realiter ab essentia, quæ denominatur existens.

§. I.

Præfertur sententia Angelici Doctoris.

17 DIcendum est existentiam realiter distingui ab essentia. Hanc conclusionem docet D. Th. *quodlib. 3. art.* 20. vbi ait: *Omnis alia res præter Deum est ens participatiue: ita*

ita quod aliud sit in ea substantia, aliud ipsum esse participatum. Et *quodlib. 2. art. 3.* vbi inquit: *In qualibet creatura est aliud ipsa creatura, quæ habet esse, & ipsum esse eius.* Et *opusc. 48. cap. 7.* vbi dicit: *Esse essentiæ, & esse actualis existentiæ differunt realiter.* Idem repetit *2. contra gent. cap. 52. & opusc. 42. cap. 5. & 1. p. q. 50. art. 2. ad 3.* & aliis pluribus locis, quæ passim lector offendet. Vnde hanc assertionem docent communiter S. Doctoris discipuli Capreolus *in 1. d. 8. q. 1.* Ægidius *in 3. d. 6. p. 3. quæst. 1. art. 2.* Ferrara *2. contra gentes cap. 52.* Caiet. *de ente, & essentia cap. 5. q. 10. & 1. p. q. 3. art. 4.* vbi etiam Bañez, Zumel, Nauarrette, Nazarius, Gonzalez, Ioannes à S. Thom. N. Andreas à Cruce, & alij expositores, Ledesma de perfectione diuina *quæst. 4. art. 2. concl. 4.* Cabrera *3. p. q. 2. art. 2. disp. 2. §. 5.* Flandria *4. Metaph. q. 3. art. 4.* Soncinas *ibidem q. 12.* Iauelus de transcendentalibus *cap. 4.* Ortiz *in Physica tract. 2. conferent. 2.* N. Philippus *3. p. summæ philosophicæ quæst. 19. art. 3.* Blasius à Conceptione *disp. 6. Metaph. qu. 1.* & alij Thomistæ. Quibus etiam suffragantur B. Albertus apud Caiet. *loc. cit. de ente, & essentia,* Molina *1. p. q. 3. disp. 2.* Conimbric. *1. Physic. cap. 3. q. 3. art. 1.* Rubio *ibidem tract. de materia q. 2.* & alij plures.

Probatur primò ratione desumpta ex D. Th. *1. p. q. 3. art. 4.* quæ potest ad hanc formam reduci: nam existentia creata recipitur realiter in essentia: ergo differt realiter ab illa. Consequentia est manifesta. Antecedens verò probatur: quoniam si existentia non reciperetur realiter in essentia, esset infinita, & illimitata: consequens est absurdum: ergo existentia recipitur realiter in essentia. Sequela ostenditur: nam actus non limitatur, & finitur nisi per potentiam: eò quod vnumquodque limitatur per suum oppositum: sed existentia est quidam actus: ergo si non recipitur in essentia (quæ sola potest ad ipsam comparari vt potentia) erit infinita, & illimitata. Et hac de causa docet frequenter D. Th. quod si albedo separaretur à subjecto, & ab ordine ad subjectum, esset infinita in ratione albedinis: quia videlicet nihil haberet, per quod eius species determinaretur, aut valeret in linea albedinis limitari. Ob quam etiam rationem quilibet Angelus est de facto aliquo modo infinitus in sua specie, & habet illam in tota sua plenitudine: quia nimirum prædicta species non dicit habitudinem ad aliquam potentiam receptiuam, per quam diuidatur, & limitetur: vnde conseruat in se illimitatam perfectionem sibi propriam.

18 Pluribus viis conantur Aduersarij robur huius argumenti diluere. Respondent primò nullum esse inconueniens, quod existentia v. g. hominis dicatur quodammodo infinita, hoc est, nõ limitata per aliquod subjectum; sed habens totam perfectionẽ suę speciei. Si enim non repugnat, quod Angelus habeat de facto speciẽ simili modo infinitam, vt cõmuniter docent Thomistæ: nihil oberit, quod existentia hominis, aut alterius cuiuscumque essentiæ dicatur esse prædita ratione infinita.

Sed

Sed ij non penetrant vim argumenti, quod proinde sic instaurandum est: nam si existentia creata non reciperetur realiter in essentia, esset infinita simpliciter in linea entis: consequens est absurdū & implicatorium: ergo &c. Sequela suadetur: quia existentia non est actus huius, aut alterius lineæ particularis; sed est actus vniuersalissimus totius entis: atqui actus nō limitatur, nec exuit vniuersalitatem: quam ex se habet, nisi per potentiam in qua realiter recipitur: ergo existentia creata, si non reciperetur realiter in essentia, esset infinita simpliciter in linea entis. Major constat: quia sicut essentia creata vniuersalissimè accepta est potentia ad *esse* tanquam ad actum sibi proprium: ita *esse*, siue existentia creata est actus vniuersalissimus respiciens vt potentiam sibi propriam vniuersalissimam rationem entis. Vnde licet *esse* actuet omnes rationes particulares; neutrius tamen vt particularis est actus proprius: sed omnes respicit, quatenus sunt *ens*, & in hac ratione conueniunt. Et ideo *esse* non habet ex se, quod sit esse hominis, vel esse equi: sed has determinationes sortitur, quia recipitur in essentia hominis, & equi, & aliarum creaturarum. Ex quo liquet manifesta differentia inter *esse*, & essentiam vniuscuiusque Angeli: hæc quippe solum est actus in determinata specie: quamobrem ex eo, quod intra illam non limitetur, solum habet infinitatem secundum quid, & cum addito. At existentia est actus vniuersalissimus, & proprius lineæ generalissimæ entis: quapropter si non limitaretur per aliquam potentiam receptiuam, esset actus infinitus simpliciter in dicta linea, & vniuersalitatem sibi propriam retineret.

Nec refert, si dicas non esse necessarium, vt actus limitetur per potentiam, quod in ea realiter recipiatur: vt constat in conceptu *rationalis*, qui limitatur per gradum animalis tanquam actus per potentiam, licet in eo realiter non recipiatur: vnde etiam poterit limitari existentia per essentiam, quamvis taliter non recipiatur in illa. ¶ Non, inquam hoc refert: tum quia sicut *rationale* est actus metaphysicus, & metaphysicè limitatus; ita vnitur potentiæ metaphysicæ, nempe gradui generico animalis, & per vnionem metaphysicam, hoc est per identitatem retinentem distinctionem virtualem inter extrema: ergo vt *esse* hominis, quod est actus physicus, physicè limitetur, debet recipi physicè, & in potentia physica, vt paritatis ratio conuincit: sed non habet aliam potentiam, nisi essentiam: ergo, vt limitetur physicè debet recipi realiter in essentia. Tum etiam, & præcipue, quia *rationale* non limitatur nisi logicè, & ex nostro modo concipiendi per genus: realiter enim limitatur ex eo, quod consequitur formam physicè limitatam, nempe animam: si enim forma non esset physicè limitata ob determinationem ad peculiarem potentiam, & subiectum; eius propria differentia; & quidditas esset etiam logicè infinita; saltē

in propria ſpecie : atqui exiſtentia eſt actus phyſicus, cuius non poteſt deſignari aliud determinatiuum, niſi eſſentia : ergo ſi non recipitur realiter in eſſentia, erit phyſicè infinita. Tum præterea, quia conceptus logici, & metaphyſici fundantur in eſſe phyſico, & illi debent proportionari : ergo prius debemus deſignare principium phyſicè limitans actum eſſendi, quam deſignemus principium, ex quo metaphyſicè, aut logicè limitatur : & ſi phyſicè non limitatur, nec limitabitur metaphyſicè : ſed non eſt aliud principium limitans phyſicè actum, niſi potentia : ergo ſi exiſtentia non recipitur phyſicè in potentia ſibi correſpondente, nempe in eſſentia; erit tam phyſicè, quam metaphyſicè infinita. Ob quam rationem *eſſe* Dei, quod phyſicè non recipitur in eſſentia, nequit limitari metaphyſicè ; ſed excludendo primam limitationem, excludit etiam ſecundam, & manet illimitatum in omni ordine, habens plenitudinem eſſendi iuxta illud Exod. 3. *Ego ſum, qui ſum.*

19 *Secundo* reſpondent alij non requiri ad limitationem actus, quod recipiatur realiter in alio ; ſed ſufficere : quod recipiatur ab alio: nam hoc ipſo erit actus participatus, ac ſubinde finitus. Quarè cùm exiſtentia creaturarum recipiatur per participationem à Deo tanquam à primo principio agente ; ex hoc ipſo euadet finita, licet non recipiatur realiter in aliqua potentia.

Hanc tamen euaſionem, qua vtuntur Durandus, & Suarius, haud arduum erit præcludere. Nam ſicut propria ratio ſpecifica cuiuſcumque rei non regulatur primario per reſpectum ad cauſas extrinſecas, qualis eſt efficiens ; ſed per reſpectum ad principia intrinſeca, ex quibus conſtituitur : ita limitatio creaturarum non ex habitudine ad Deum primam cauſam efficientem ; ſed ex proprijs, & intrinſecis earum principiis venanda eſt : ergo prius debemus deſignare rationem, cur exiſtentia creaturarum ſit finita in ſe ipſa, quam dicamus non produci à Deo exiſtentiam infinitam. *Deinde* principium infinitum non poteſt eſſe prima ratio limitandi effectum ; ſed ex parte ipſius effectus deſignanda eſt aliqua ratio propriæ limitationis : qua de cauſa licet Verbum diuinum producatur à Patre, non eſt finitum : quia videlicet Pater eſt de ſe principium infinitum ; & aliàs Verbo nihil conuenit, per quod limitet illud, quod à Patre habet : ergo licet *eſſe* creaturarum communicetur à Deo ; ſi tamen ex parte ipſarum non datur aliquid limitans prædictum eſſe, euadet ſimpliciter infinitum. *Præterea* Deus producit omnia iuxta eorum exigentias : ergo ſi *eſſe* creaturarum non petit ex parte illarum eſſe finitum, Deus non producet illud finitum : ergo ratio, quare eſſe creatum finitum ſit, non eſt, quia producitur à Deo ; ſed aliud principium huius limitationis ex parte ipſarum creaturarum deſignandum eſt : quod vtique non eſt aliud, niſi quia habent

habent *esse* receptum realiter in essentia.

2o Occurrit tertio idem Suarez dicendo, quod ad limitationem, cùm essentię, cùm existentiæ sufficit vtrãque recipi in suppositо realiter à se distincto. Vnde cùm in creatis suppositum realiter differat à natura, vt *dub. præced.* ostendimus; jam potest designari propria ratio limitandi *esse* creatum, quamvis hoc non recipiatur realiter in essentia.

Cæterum neque hæc responsio rationem D. Thom. labefactat: *primo* quia intimior est substantijs subsistentia, quam existentia: & ideo istæ propositiones, *Petrus est suppositum*, *Joannes est substantia subsistens* sunt æternæ veritatis: istæ autem, *Petrus est existens*; *Ioannes est substantia existens* non fuerunt veræ ab æterno: ergo si natura creata nequit sibi identificare subsistentiam, minus poterit existentiam. *Secundo*, quia substantia respicit, & recipit existentiam mediante subsistentia: hac enim completur, & fit susceptiuum *quod*, vt ostendemus *quæstion. sequ.* ergo si substantia differt realiter à subsistentia, etiam distinguetur ab existentia. *Tertio*, quia ex hac responsione jam habetur existentiam distingui realiter ab eo, quod est à parte rei, & denominatur existens; siquidem concedit distingui realiter à suppositо existente. Aduersarij autem id præcipuè intendunt, quod existentia non differat à realitate, quæ est extra causas: & ideo dicunt materiam existere per suam entitatem, & formam per suam entitatem, & sic de aliis: causantur enim se non posse intelligere rem extra nihil, & quod per semetipsum non sit existens. Distinctio ergo realis inter existentiam, & suppositum, quam concedit Suarez, & eius opinionem deserit, & argumenta illius eneruat, & lucem subministrat nobis, vt essentias distinguamus ab existentijs. *Quarto* ad hominem, quia prædictus Auctor docet subsistentiam esse differentiam, seu modum existentiæ: eò quod *subsistere*, inquit, nil aliud est, quam existere per se, vt *quæst. seq.* videbimus: ergo si essentia potest sibi identificare existentiam, poterit etiam subsistentiam identificare: nam identificans sibi aliquam rationem identificat etiam differentias, & modos proprios illius. *Quinto*, & vltimo (vt euasioni directè occurramus) licet ad existentiam recipiendam concurrant essentia, & subsistentia, tamen istæ inter se ita comparantur, vt essentia sit potentia ad esse, subsistentia vero solum sit modus, & complementum dictæ potentiæ: atqui limitatio actus sumitur ex potentia, quam respicit, & non ex modo illius: ergo si existentia non recipitur realiter in essentia, manebit simpliciter infinita. Imo vero si identificatur cum essentia, si identificabitur etiam cum subsistentia: quemadmodum in diuinis quia *esse* est realiter essentia, est etiam realiter suum subsistere.

§. II.

Expenditur aliud fundamentum veræ ſententiæ.

21 SEcundo probatur noſtra concluſio alia ratione deſumpta ex D.Th.*quodl.2.a.4.ad* 1. quæ poteſt formari in hunc modum: quoniam eſſentia, & exiſtentia in creatis non habent vllum principium identitatis: ergo non ſunt idem, ſed diſtinguuntur realiter. Probatur antecedens: quoniam duo conceptus nequeunt identificari inter ſe, niſi vel vnus ſit de eſſentia alterius, vel vterque concurrat eſſentialiter ad vnicam eſſentiam alicuius tertij, vel vnus, & alter ab eadem indiuiſibili forma proueniant: atqui eſſentia, & exiſtentia ita comparantur inter ſe, vt vna non ſit de conceptu alterius, neque vtraque pertineat ad eſſentialem conſtitutionem alicuius tertij, nec denique proueniant ab eadem indiuiſibili forma: ergo carent omni principio identitatis. Major probatur ſimul, & explicatur: nam ideo animal eſt idem realiter cum homine, quia eſt de eſſentia illius: & ideo rationale eſt idem realiter cum animali in homine, quia licet rationale non ſit de eſſentia animalis, tamen vterque conceptus nempe animal, & rationale eſt de eſſentia hominis, & in eo identificantur: ac denique ideo differentia indiuidualis eſt idem realiter cum ſpecie, quia licet non ſit de eius eſſentia, tamen vtraque ratio, videlicet vnitas ſpecifica, & numerica ab eadem indiuiſibili forma, vtputa ab anima rationali, proximè oriuntur, & ſunt idem realiter cum illa. Neque eſt excogitabile aliud principium identitatis phyſicæ: vel deſignent illud Aduerſarij. Minor autem oſtenditur: nam in primis exiſtentia non eſt eſſentia eſſentiæ, vt liquet ex terminis; ſed manet adæquatè extra illam. Deindè eſſentia, & exiſtentia non ſunt de eſſentia alicuius tertij: quia nihil eſt in creatis, cui exiſtentia eſſentialiter conueniat. Denique non oriuntur proxime ab eadem forma ſeu radice: quia prædicata eſſentialia conueniunt rebus ex principijs intrinſecis; exiſtentia verò conuenit rebus purè ab extrinſeco, videlicet ex actione Dei, qui pro libito ſuo communicat eſſe rebus: ergo eſſentia, & exiſtentia carent omni principio identitatis.

Confirmatur primo ex D. Th. 2. *contra Gentes c.*52.*ratione* 5. quoniam id, quod conuenit alicui ab extrinſeco, & per accidens, debet realiter diſtingui ab eo, quod conuenit illi ab intrinſeco, & per ſe: hæc quippe diuerſitas ſufficiens eſt ad inducendam diſtinctionem realem: ſed prædicata eſſentialia v. g. hominis conueniunt ei ab intrinſeco, & per ſe; exiſtentia vero conuenit illi ab extrinſeco, & per accidens: ergo exiſtentia hominis differt realiter ab eius prædicatis eſſentialibus; proindéque a b eius eſſentia.

Confirmatur ſecũdo: quia id, quod identificatur cum aliquo, habet neceſſariam connexionẽ cum eo: identitas quippè maxima cõnexio eſt: ſed exiſtentia non habet neceſſariã connexionem cum aliqua entitate creata ergo exiſtentia cũ nulla entitate creata identificatur realiter. Minor liquet

nam

nam existétia prædicatur contingenter de omni entitate creata: & ideo omnes eæ prædicationes: *Petrus est existens, substantia est existens, ens est existens* sunt accidentales, & quinti prædicabilis: oppositum autem contingeret, si existentia haberet necessariam connexionem cum ente creato: ergo existentia cum nulla entitate creata habet necessariã connexionẽ.

22 Nec refert, si huic rationi, & confirmationibus respondeas essentiam rei posse bifariam considerari, vno modo intra suas causas, quo pacto distinguitur realiter ab existentia tanquam non ens ab ente, nec vllam habet connexionem cum illa: altero modo extra suas, qua ratione est idem realiter cum existentia, neque ista de illa accidentaliter prædicatur, sed necessariò, & per se: nam sicut essentia extra causas est aliquid essentialiter, ita est essentialiter existens; cum idem sit esse existens, ac esse aliquid, vel non esse nihil.

Hoc inquam non refert, sed potest efficaciter refelli: quoniam hæc propositio v. g. *Petrus est existens*, est vera, & accidentalis, vt omnes Logici, & Metaphysici concedunt: sed subiectum huius propositionis non est Petrus vt manens intra suas causas; alias prædicatio esset falsa, cum res intra causas non sit existens: ergo est aliquid positum extra causas: atqui non est ipse Petrus reduplicatiuè vt existens; alias prædicatio esset necessaria, & identica: ergo est Petrus specificatiuè acceptus, siue res, quæ substat existentiæ, & denominatur existens. Existentia ergo prædicatur accidentaliter, & contingenter de rebus positis extra causas, ac proinde debet distingui realiter ab illis, non quidem negatiuè, tanquam ab ente non existente, vel manente intra causas, sed velut ab ente existente, & posito à parte rei. Vnde cum dicitur existentiam prædicari essentialiter de re existente; non est ita intelligendum, quod prædicetur essentialiter de re, quæ existit specificatiuè accepta; sed facta reduplicatione supra statum essendi extra causas, qui est effectus formalis existentiæ. Nec idem prorsus est esse existens, reduplicando existentiam, ac esse aliquid, vel non esse purum nihil: quia inter nihil, & existentiam datur medium, nempe entitas rei, quæ subest existentiæ, & denominatur existens.

Dices: hæc prædicatio, *vas est aureum*, est accidentalis: & tamen prædicatum non distinguitur realiter à subiecto: ergo ex eo, quod hæc prædicatio, *Essentia est existens* sit accidentalis, non recte colligitur distinctio realis inter essentiam, & existentiam.

Respondetur primò nos non inde colligere diuersitatem realem inter essentiam, & existentiam, quia hæc prædicatur vtcumque accidentaliter de illa; sed quia ita prædicatur accidentaliter, vt nec sit de conceptu existentiæ, nec de essentia alterius tertij ex vtraque constituti, nec proueniant ab eadem indiuisibili forma. Quæ autem ita se habent, debent realiter distingui: quia carent omni principio identitatis, vt supra ponderauimus. ¶ Secundo respondetur negando minorem, quia vas aureum realiter distinguitur ab auro; cum supra illud addat figuram, ratione

cuius illud prædicatum sit accidentale subiecto. Sicut enim hæc est accidentalis, *Aurum est vas*, quia accidit auro habere figuram vasis: ita hæc est accidentalis, *Vas est aurum*, quia figuræ vasis accidit habere aurum pro subiecto.

§. III.

Obiiciæ aliæ difficultates extricantur.

23 VT breuitati consulamus, & quæstiones alias vtiles non relinquamus intactas, curabimus eas ex dictis breuiter determinare. Primo ergo inquiri potest, an existentia sit entitatiuè accidens? Respondemus, quod licet existentia sit accidens prædicabile respectu cuiuscumque naturæ, vt constat ex supra dictis; nihilominus existentia substantiæ (de qua præcipue loquimur) non est accidens prædicamentale, sed aliquid substantiale. Hæc resolutio est contra Molinam supracitatum asserentem existentiã substantiæ non distingui realiter ab eius duratione, quæ est accidens, vt vidimus in *lib. Physicorum.* Sed eam docent D. Th. 4. *Metaph. lect.* 3. his verbis: *Esse rei quamvis sit aliud ab eius essentia, non tamen est intelligendum, quod est aliquid superadditum ad modum accidentis.* Quod repetit aliis locis. Vnde sic docent communiter Thomistæ. Fundamentum est: quoniam actus adæquatus, & potentia proxima illi correspondens debent esse eiusdem ordinis: qua ratione quia in creatis actus operandi est entitatiuè accidens, potentia immediatè operatiua nequit esse substantia, vt vidimus *in lib. Physic. disp.* 10. *q.* 2. sed existentia substantiæ comparatur, ad eius essentiam, tanquam actus adæquatus ad potentiam proximam: ergo debet esse eiusdem ordinis: & consequenter existentia substantiæ non poterit esse accidens entitatiue, nec ad prædicamenta accidentium pertinere. ¶ Confirmatur: quia *esse* entitatiue accidentale est *esse* secundum quid: sed substantia habet *esse*, siue existere simpliciter: ergo non existit per existentiam entitatiuè accidentalem, sed per *esse* de genere substantiæ. Si autem D. Thom. aut alij graues Auctores existentiam substantiæ appellant accidens; loquuntur de accidenti prædicabili: quia omnis existentia creata est extra essentiam rei. Nec est aduersus hanc doctrinam obiectio alicuius momenti, cui opus sit satisfacere.

24 Secundo inquiri solet, an hoc substantiale, quod importat existentia, sit modus, vel entitas, aut realitas? Respondetur existentiam esse rem ab essentia realiter distinctam. Sic docet D. Thom. *opusc.* 48. *cap.* 2. vbi ait: *existentia, & essentia differunt realiter, vt duæ diuersæ res.* Idemque aperte significat *quodlib.* 2. *art.* 3. *& lib.* 2. *contra gent. cap.* 52. vbi fine vllo addito docet existentiam, & essentiam distingui. Vnde sic docent Bañez 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *dub.* 2. referens Capreol. Caiet. Ferrar. Soncinat. & alios, Ioannes à S. Thom. ibidem *disp.* 4. *art.* 3. N. Philip. loco supra cit. & alij plures. Probatur ratione: quia existentia est ratio formalis, & quæ-

cumque.

cumque realitas creata sit aliquid: in tantum enim dicitur aliquid ens reale, in quantum dicit ordinem ad existentiam: sed modus nequit esse ratio formalis omnis realitatis; alias excederetur ab effectu: ergo existentia non est modus, sed realitas. ¶ Confirmatur: quia *esse*, vt inquit D. Thom. *quæst. 7. de potentia art. 2. ad 9.* est actualitas omnium actuum, & perfectio omnium perfectionum: sed modus est imperfectissimum quid in genere entis; cum sit minimæ entitatis: ergo existentia non est modus. Vnde distinctio inter essentiam & existentiam est simpliciter realis, seu rei à re.

Sed obijcies: subsistentia est modus substantialis, vt supra *num.* 11. statuimus: ergo idem de existentia dicendum est: id quippe conuincere videtur paritatis ratio inter vtramque: cum vna, & altera sit terminus substantiæ, & essentiæ. ¶ Respondetur negando consequentiam. Tum quia existentia est longè perfectior, quam subsistentia: vnde licet hæc sit modus; illa debet realitatis rationem habere. Tum etiam quia effectus formalis subsistentiæ est solum ita complere, & modificare substantiam, vt eam reddat incommunicabilem: ad quod non requiritur, quod subsistentia sit realitas, sed sufficit esse modum. Effectus autem proprius existentiæ est reddere rem extra causas, illamque formaliter extrahere ex nihilo, & facere, quod sit exercitè ens: qui effectus est adeo nobilis, vt postulet prouenire non à modo, sed à re. Tum præterea, quia essentiæ substantiæ intimior est subsistentia, quam existentia; cum illa conueniat rebus in actu signato; & per eam reddantur proxime aptæ ad recipiendam existentiam; hæc verò sit pure ab extrinseco ex agentis influxu: vnde licet substantia valeat sibi annectere subsistentiam, vt modum proprium; non tamen existentiam. Per quæ sufficienter redditur disparitatis ratio inter vtramque, quam intendebat obiectio.

25 Tertio inquires, quænam sit perfectior essentia, vel existentia? Respondetur existentiam absolutè, & attentis omnibus esse perfectiorem essentia actuali, quæ illi subijcitur. Hanc resolutionem docet, & probat D. Thom. *q. 7. de potentia art. 2. ad 9.* his verbis: *Hoc, quod dico esse est inter omnia perfectissimum. Quod ex hoc patet: quia actus est semper perfectior potentia: quælibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc, quod per esse ponitur: nam humanitas, vel igneitas potest considerari, vt in potentia materiæ existens, vel in virtute agentis, vel etiam in intellectu: sed per hoc, quod habet esse efficitur actu existens. Vnde patet, quod hoc, quod dico esse, est actualitas omnium actuum, & propter hoc est perfectio omnium perfectionum.* Idem docet *1. p. q. 4. art. 2. & quæst. 8. art. 1.* & alibi sæpe. Quã sequuntur Bañez *1. p. q. 4. dub. 3.* Ioannes à S. Thom. ibidem *disp. 4. art. 4.* Nauarrete *controuers. 14. §. 7.* Ledesma *de perfectione diuina, q. 12.* N. Blasius à Conceptione *disp. 6. Metaph. quæst. 41.* & alij.

Ratio est: quoniam in quocumque ordine, actus adæquatus est simpliciter perfectior, quam potentia à

qua

qua per se primo respicitur: nam perfectio sumitur ab actualitate: sed in ordine entis essentia se habet vt potentia per se primo respiciens, existentiam tanquam actum adæquatum: ergo existentia est simpliciter, & attentis omnibus, perfectior, quam existentia. Diximus in maiori *actum adæquatum* esse perfectiorem potentia, à qua *respicitur per se primo*, vt tacitè præoccuparemus aliquas euasiones, & instantias: nam licet accidens comparetur vt actus ad substantiam; hæc tamen non respicit per se primo accidens, sed secundariò, & vt actum extranei ordinis: & licet aliqui actus inadæquati non sint perfectiores potentia; actus verò adæquate actuans potentiam debet eam simpliciter excedere in perfectione. Nec in oppositum poterit aliquod exemplum adduci.

Confirmatur primo: nam ideo forma substantialis est perfectior simpliciter, quam materia; quia hæc comparatur ad illam vt potentia ad actum adæquatum, & primarium: sed eodem modo essentia comparatur ad existentiam: ergo existentia est perfectior simpliciter, quam essentia. ¶ Confirmatur secundo: quia actualitas vniuersalis, & in toto ordine entis perfectior simpliciter est, quam actuatio in determinato genere, vel specie: sed existentia est actualitas vniuersalissima, & respectu totius entis, & omnium formalitatum; essentia verò solum importat actualitatem in determinato genere, vel specie, in quibus ipsa quidditas constituitur: ergo existentia excedit simpliciter essentiæ perfectionem. ¶ Obserua tamen hæc intelligenda esse de existentia sub proprio conceptu existentiæ, & quatenus est actus entis; non vero quatenus est *esse* tale, vt puta humanum, vel equinum: quia sub expressione huius limitationis non affert nisi specificationem, aut determinationem, quam habet à potentia, quam actuat: secundum quam rationem euidens est non excedere essentiam, sed esse effectum illius.

26. Sed obijcies *primo*: nam vna res non dicitur perfectior alia ratione existentiæ, sed ratione essentiæ, vt cum comparamus hominem, & lapidem: ergo perfectio rei sumitur ab essentia: ergo hæc est perfectior, quam existentia. *Secundò*: quia illud est perfectius, per quod Deo magis assimilamur: sed magis assimilamur illi per essentiam, quam per existentiam; siquidem ratio imaginis Dei non conuenit omnibus existentibus, sed soli naturæ intellectiuæ: ergo essentia est perfectior, quam existentia. *Tertiò*: quoniam illud, quod conuenit necessariò, perfectius est eo, quod conuenit contingenter: atqui essentia conuenit necessariò? existentia vero contingenter, vt constat ex dictis: ergo est.

Ad primam obiectionem respondemus comparationem rerum fieri per id, quod est vnicuique proprium: vnde cum quælibet res vendicet sibi peculiarem essentiam; existentia vero sit actus vniuersalis, & omnibus rebus communis, & non habeat determinationem nisi ab essentiis: propterea excessus rerum in perfectione non attenditur penes existentiam: sed

penes

penes prædicata essentialia. Ex hoc autem minime infertur maior perfectio essentiæ, sed potius maior determinatio, & actualitas magis contracta. ¶ Ad secundam respondetur, quod vt aliquid sit imago Dei debet esse existens modo proprio ipsius Dei, hoc est, cum vita intellectiua: quod quia non conuenit omnibus existentibus; propterea non dicuntur esse imagines illius. Nec inde infertur, quod gradus essentialis intellectiui sit perfectior, quam existentia: quia prædictus gradus non fundat rationem imaginis, nisi quatenus concernit existentiam, saltem in actu signato: nam essentia Dei non est intelligere vtcumque; sed intelligere, quod est suum esse, iuxta illud. *Ego sum qui sum.* ¶ Ad tertiam neganda est maior vniuersaliter intellecta: aliqua enim conueniunt accidentaliter, saltem prædicabiliter, quæ excedunt in perfectione illa, quæ prædicantur per se: vt videre est in vnione hypostatica comparata ad humanitatem Christi Domini, & in visione beatifica comparata ad intellectum. Vnde ex vi huius non colligitur, quod existentia sit minus perfecta, quam essentia; sed magis infertur oppositum: nam *esse* est adeò magna perfectio, vt nulli creaturæ conueniat per se, & necessariò, sed contingenter, nimirum ex influxu primi agentis, qui est ipsum *esse* per se.

§. IV.

Occurritur argumentis opinionis aduersæ.

27 COntrariam nobis sententiam tuentur Scotus *in 3. d. 6. q. 1.* Durand. *in 1. dist. 8. q. 2.* Gabriel, & alij Nominales: quibus subscribunt Valentia *1. p. q. 3. punct. 4.* Suarez *disp. 31. Metaph. sect. 4.* Vazq. *3. p. disp. 72. cap. vlt.* & alij Moderni eiusdem familiæ. Probatur primo ex D. Thom. *1. p. q. 50. art. 5. in corpore*, vbi docet *esse* ita comparari ad formam, sicut rotunditas ad circulum: sed rotunditas non distinguitur realiter à circulo: ergo neque existentia à forma, vel essentia.

Respondetur negando consequentiam, quam non suadet testimonium D. Thom. nam S. Doct. non adduxit illam comparationem, vt explicaret distinctionem inter formam, & existentiam; sed vt ostenderet formam esse inseparabilem à suo *esse*, sicut circulus à rotunditate. Licet in hoc etiam sit sua disparitas: quia circulus per nullam potentiam valet separari à rotunditate: forma vero etsi naturaliter nequeat separari à proprio esse (quod tantum intendebat D. Thom.) potest tamen supernaturaliter denudari ab illo, si existentia diuina suppleat munus existentiæ creatæ, vt in mysterio Incarnationis contigisse supponimus.

28 Secundo arguitur: quia existentia est id, quo res formaliter constituitur extra causas: sed quælibet res per suam entitatem extra

causas formaliter constituitur : ergo existentia nil aliud est, quam entitas, seu essentia rei positæ extra causas. Suadetur minor : nam per id formaliter est aliquid extra causas, per quod est extra nihil : sed quælibet res per suam entitatem est extra nihil : cum ratione illius differat ab eo: ergo per suam entitatem est formaliter extra causas. ¶ Confirmatur primo : quia per id formaliter res est existens, per quod terminat actionem agentis : implicat enim terminare actionem, nisi quod est existens : sed quælibet res per suam entitatem, & ante aliud sibi superadditum terminat actionem agentis: ergo per suam entitatem est formaliter existens. ¶ Confirmatur secundo : quia vt res dicatur producta in fieri, sufficit, quod per suam entitatem dependeat in fieri ab influxu agentis : ergo vt dicatur producta in facto esse, sufficit, quod per suam entitatem dependeat in facto esse ab agente : sed rem esse existentem est esse productam in facto esse : ergo existentia est formaliter entitas rei, vt dependens exercitè, & in facto esse ab agente.

Ad argumentum respondetur existentiam esse id, quo aliquid constituitur extra causas non vtcumquè ; sed formaliter, perfectè, & cum vltima actualitate : essentia autem ratione sui solum ponitur extra causas realiter, & subiectiuè, & tanquam recipiens *esse*: vnde non sequitur, quod essentia sit existentia. Et cum dicitur, quod per illud res constituitur extra causas, per quod constituitur extra nihil ; eodem modo respondendum est: nam res per realitatem suæ essentiæ solum fit extra nihil realiter, & subiectiuè; vltimatè autem, & formaliter habet esse extra nihil per actualitatem existentiæ sibi superadditam. Quod magis perspicuum fiet obseruando, quod nihil dupliciter dicitur : vno modo obiectiuè; quando videlicet aliquid obiectiuè, & secundum se consideratum nullam entitatem importat, sed solam carentiam, vti cæcitas se habet: alio modo quoad statum, cum nimirum aliquid obiectiuè, & secundum se dicit entitatem, eam tamen non habet exercitè in se ; sed continetur in causis, vti se habet homo, antequam producatur. Quælibet ergo essentia rei positiue est per semetipsam priori modo extra nihil : quia eius conceptus obiectiuus non est conceptus carentiæ, sed entis. Posteriori autem modo non est per se solam extra nihil, nec destruit statum continentiæ in causis ; sed ad id indiget actualitate existentiæ sibi realiter superadditæ : hæc quippe est, quæ nihilum formaliter & completè destruit : essentia autem actualis solum illud destruit realiter, quatenus subijcitur existentiæ, & dependenter ab illa egreditur à suis causis. Sicut materia prima pro priori ad formam substantialem solum est extra nihil inchoatiuè, & realiter : formaliter autem, & completè non fit extra nihil, nisi dependenter à forma, & quatenus actuatur per illam. Videantur dicta *in lib. Physic. disp. 3. q. 4.*

Ad primam confirmationem respondetur eodem modo: nam cum *esse* sit finis, & vltimus terminus actionis; essentia, vt præintelligitur ad *esse*, solum terminat actionem inchoatiuè,

&

& realiter, quatenus per actionem productiuam fit subiectum exercitum existentiæ. Vnde non infertur, quod essentia per solam suam entitatem sit simpliciter existens; sed tantum, quod incipiat produci, & quod existentiam recipiat. Quod etiam potest declarari exemplo supra adducto materiæ primæ.

Ad secundam respondemus repugnare, quod essentia adhuc in fieri dicatur produci, nisi etiam in fieri connotet existentiam habitam pro eodem instanti reali. At in facto esse, non solum eam connotat, sed etiam illam importat in recto tanquam actum, à quo formaliter, & complete denominatur existens. Vnde quamvis rem produci in fieri importet in recto solam entitatem essentiæ; illam tamen importat vt tendentem ad vltimam actualitatem, quam actio vt jam perfecta communicat. Et ideo in facto esse dicit non solum propriam realitatem; sed etiam realitatem existentiæ, à qua denominatur existens formaliter, & perfectè. Sicut etiam repugnat intelligere materiam vt productam in facto esse, nisi eum intelligamus sub forma; licet hæc ab illa realiter distinguatur.

29 Tertio arguitur, & impugnatur doctrina nuper tradita: quia existentia nequit realiter recipi in essentia: ergo vel existentia non datur, vel non differt realiter ab essentia. Consequentia patet. Antecedens vero suadetur: nam vel existentia recipitur in essentia existente, vel in essentia non existente? neutrum dici potest: ergo &c. Probatur minor quoad primam partem: quoniam si existentia recipitur in essentia existente: ergo essentia non habet existere per aliquid sibi realiter superadditum, sed per propriam entitatem actualem: subiectum quippe non habet à forma id, secundum quod præsupponitur ad illam. Secunda etiam pars ostenditur: tum quia id, quod non est existens, est actu nihil: ergo si existentia reciperetur in essentia non existente, reciperetur in nihilo: quod repugnat. Tum etiam, quia essentia, si semel differt ab existentia, debet esse causa illius: sed omnis causa præsupponitur ad effectum, & pro illo priori debet existere realiter; alias non valeret realiter influere: ergo existentia nequit recipi in essentia non existente.

Huic argumento, quod magni faciunt Aduersarij, facile, respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicendum est existentiam recipi in essentia non vt est intra suas causas, nec quatenus reduplicatiuè existit, sed in eius entitate, quæ alias specificatiuè existit realiter in illo instanti per ipsam existentiam: pro illo autem priori causalitatis, in quo existentiam præcedit, non explicat munus existendi perfectè; vel id, quod habet ab existentia; sed solum munus se subijciendi existentiæ in genere causæ materialis. Nec hinc sequitur, quod essentia pro illo priori sit nihil: nam licet pro illo non explicet omnibus modis esse aliquid; nihilominus jam exprimit propriam realitatem vt subiectam existentiæ, & eam recipientem: quod satis est, ne purum nihil dicatur: maxime cum in illo instanti sit realiter existens. Porrò essentia non causat

existentiam in genere causæ efficientis, quæ petit in proprio genere præsupponi existens: sed solum in genere causæ materialis, quæ non influit vt existens: sed vt explicat capacitatem recipiendi vlteriorem actum. Vnde non requiritur, quod præsupponatur existens ante id, quod recipit: sed fieri potest vt per id, quod recipit, fiat existens. Quæ omnia illustrari possunt exemplo materiæ primæ: si enim inquiratur, an forma substantialis recipiatur in materia informata, vel in materia non informata? Respondendum ab omnibus est recipi in materia informata realiter in illo instanti reali; in priori autem suæ causalitatis non informata, sed capaci informationis, & illi subiecta. Et similiter si inquiratur an forma recipiatur in materia existenti, vel in materia non existenti? Respondetur recipi in materia realiter existenti in illo instanti, pro priori autem suæ causalitatis non existenti, sed tendenti ad existentiam, quam habet mediante forma: quod est existere realiter, & inchoatiuè. Idem ergo ad argumentum proportionabiliter respondemus.

30 Quarto arguitur: nam si essentia, & existentia realiter distinguerentur, possent ab inuicem realiter separari, saltem per diuinam potentiam: vbi enim aliqua sunt penitus inseparabilia, nullum signum præstant, vt prudenter iudicemus distingui realiter inter se: atque essentia & existentia sunt realiter inseparabiles, etiam per respectum ad diuinam potentiam: neque enim potest dari realiter essentia absque existentia, neque è conuerso: ergo non distinguuntur realiter. ¶ Confirmatur, & declaratur: quia remota existentia, nihil entitatis manet in essentia; sed solum veritas obiectiua, vel non repugnantia, vt producatur: ergo essentia, vt verè est aliquid, non differt realiter ab existentia, sed coincidit cum illa.

Respondetur argumento negando maiorem: plura enim realiter distinguuntur, quæ nequeunt realiter separari: nam separatio supra distinctionem extremorum addit mutuam eorum independentiam: multa autem differunt, quæ mutuò dependent, & nequeunt proinde separata consistere. Sic compositum substantiale, & materia realiter distinguuntur: & tamen nequit dari compositum absque materia, & materia absque composito. Quantitas etiam, & figura differunt realiter: quæ tamen nequeunt separata conseruari. Vnde falsum est, quod secluſa separabilitate, non maneat signum distinctionis: nam oppositum satis apparet tum exemplis relatis, tum ratione præsenti materiæ. Quia cum adæquata ratio existentiæ sit constituere complete & in facto esse rem extra causas, implicat dari existentiam absque essentia, & essentiam sine existentia; quamvis inter se realiter distinguantur. Adde posse essentiam creatam absque existentia creata existere, si terminetur per existentiam diuinam: vt in mysterio Incarnationis contingit: quod satis conuincit distinctionem realem inter vtramque.

Ad

Ad confirmationem reſpondemus dupliciter poſſe remoueri exiſtentiam ab eſſentia : vno modo remotione ſeparationis, ita quod eſſentia priuetur omni exiſtentia : altero modo remotione diſtinctionis, ita vt eſſentia concipiatur diſtincta ab exiſtentia. Eſſentiam ergo priori modo remotam ab exiſtentia fatemur nihil eſſe in ſe ; ſed tantum manere obiectiuè, & in ſtatu poſſibilitatis. At ſi remoueatur poſteriori modo ab exiſtentia, adhuc eſt aliquid reale ſubiectiuè, & exercitè : quia licet non ſit formaliter ipſum *eſſe* ; illi tamen ſubijcitur, ipſumque recipit in ſe. Hoc enim eſt proprium eſſentiæ creatæ : quippe quæ non dicitur exiſtere, quia ſit ipſum *eſſe* ; ſed quia recipit eſſe à Deo, cui ſoli competit *eſſe* per eſſentiam, ſine diſtinctione ab illa. Quæ etiam poſſunt explicari exemplo materiæ primæ ſæpè repetito : hæc quippe, ſi ab ea omnis forma per veram ſeparationem remoueretur, nihil eſſet, niſi tantum obiectiuè, ob eſſentialem dependentiam ab ea. Suppoſita vero forma, licet remoueatur à materia remotione diſtinctionis ; adhuc materia eſt aliqua vera realitas diſtincta à forma. Idem igitur in noſtro caſu proportionabiliter dicendum eſt.

31 Vltimo arguitur : nam ex eo, quod exiſtentia diſtinguatur realiter ab eſſentia, plura inconuenientia ſequuntur : ergo negare oportet prædictam diſtinctionem. Antecedens ſuadetur : nam in primis ſequitur, quod exiſtentia ſit actus purus : ſiquidem ex vna parte eſt actus ; & ex alia ponitur diſtinctus ab omni potentialitate eſſentiæ creatæ. Sequitur deinde, quod ſit accidens prædicamentale : nã aduenit enti completo, & conſtituto in actu per formam ſubſtantialem. Sequitur præterea, quod exiſtentia indigeat alia exiſtentia, vt ipſa exiſtat : nam exiſtentiæ creatæ contingenter conuenit exiſtere : qua ratione probauimus eſſentiam exiſtere per aliquid à ſe diſtinctum. Tandem ſequitur dari relationem realem inter eſſentiam, & exiſtentiam, & vtramque immediatè afficere ; cùm diſtinctio ordinem, & relationem importet : hoc autem eſt impoſſibile : nam eſſentia nequit ſubſtare relationi, aut illi communicare eſſe, niſi mediante exiſtentia.

Reſpondemus negando antecedens. Et ad primam illius probationem negamus ſequelam : quia exiſtentia, licet ſit actus ab eſſentia creaturæ diuerſus ; nihilominus recipitur in eadem eſſentia. Omnis autem actus receptus ex hoc ipſo limitatur, & contrahit nonnullam potentialitatem : quocirca exiſtentia creata neque eſt actus purus, neque infinitus. Oppoſitum vero contingeret, ſi non differret realiter ab eſſentia, vt Aduerſarij aſtruunt : tunc quippe ſicut eſſet actus irreceptus, eſſet etiam actus purus, & infinitus.

Ad ſecundam etiam eſt neganda ſequela : nam vt ſupra *num.* 23. vidimus, exiſtentia, & eſſentia ſe habent vt actus, & potentia intra eundem ordinem : & propterea exiſtentia ſubſtantiæ eſt entitatiuè ſubſtantialis, & exiſtentia accidentis

est entitatiue accidentalis. Vnde illud axioma, *Quod aduenit enti in actu* &c. nequit, propriè loquendo adaptari existentiæ: nam est vltimus actus lineæ substantiæ, & ante ipsam omnia intelliguntur in potentia. Quod autem supponat formam, per quam ens est essentialiter in actu, parum refert: nam forma solum est actus pertinens ad lineam essentiæ, sed non complet vltimatè totam lineam substantiæ. Vnde solùm euincitur, quod ea, quæ supponunt formam, sint extra essentiam, & se habeant vt accidentia prædicabilia; minime vero, quod sint adæquatè extra genus substantiæ, tanquam vera accidentia prædicamentalia. Quod explicari potest exemplo subsistentiæ, quæ supponit formam: & nihilominus plures ex Aduersarijs docent esse entitatiuè quid substantiale.

Ad tertiam negamus sequelam: nam existentia est essentialiter existens vt *quo*: quia eius quidditas essentialiter consistit in eo, quod sit ratio existendi, seu ponendi alia extra causas. Vnde sicut relatio non indiget alia relatione, vt referatur, quia est essentialiter ratio referendi: ita existentia non indiget alia existentia, vt existat, quia est essentialiter ratio existendi. Dicitur tamen existentia existere contingenter vt *quod*: quia existit simul cum toto: & huic contingenter conuenit *esse*.

Ad quartam potest concedi sequela: quia non est inconueniens, quod essentia, & existentia realiter ad inuicem referantur sicut abinuicem distinguuntur. Huiusmodi verò relatio non recipitur neque in essentia sola, neque in existentia sola; sed in essentia existente, siue in concreto substantiali, quod ex vtraque coalescit. Sicut probabile est dari relationem prædicamentalem inter materiam, & formam, quin prædicta relatio recipiatur in sola materia, vel in sola forma; sed in composito ex vtraque constituto. Vnde non sequitur, quod essentia communicet esse accidenti, vel illi subsistet ante existentiam; sed quod mediante existentia præstet ea munera. Sicut materia mediante forma substat relationi, per quam refertur.

QVÆSTIO III.

An subsistentia, & existentia realiter distinguantur, & qualiter comparentur inter se?

HActenus considerauimus existentiam, & subsistentiam per respectum ad essentiam: supereſt, vt eas inter se conferamus. Circa quod duo præcipuè discutienda occurrunt. Primum an distinguantur realiter? Secundum, quænam illarum sit prior? Vtramque autem difficultatem sub eodem titulo conjungimus, quia connexæ sunt, & vnius decisio viam parabit ad alteram. Nomine autem existentiæ solam substantiæ existentiam significa-

mus

mus : esse quippe accidentium à subsistentia distingui euidentius est, vt in dubium possit reuocari.

§. I.

Decisio primæ difficultatis ex Angelico Doctore.

32 Dicendum est subsistentiam realiter distingui ab existentia. Sic docet D. Thom. locis statim referendis : quem sequuntur Caietanus 3. *p. quæst.* 4. *art.* 2. Ferrara 2. *contra Gentes cap.* 43. Bañez 1. *p. quæst.* 3 *art.* 3. *dub.* 1. Ioann. à S Th. *ibid. disput.* 4. *art.* 3. *in principio*, Nauarrete *tom.* 1. *controuers.* 19. Nazarius 1. *p. quæst.* 50. *art.* 2. *controuers.* 3. Aluarez *de Incarnat. disp.* 23. Cabrer. 3. *parte quæstion.* 4. *art.* 2. *disp.* 3. §. 4. Labat *de Trinit. disput.* 3. *dub.* 1. §. 3. N. Philippus 3. *p. summæ Philosoph. quæst.* 20. *art.* 1. & communiter Thomistæ. Quibus etiam suffragantur omnes fere Auctores, qui dicunt existentiam non distingui realiter ab essentia ; à qua tamen fatentur subsistentiam realiter differre.

Et quia nonnulli Thomistæ oppositam sententiam tuentur : oportet ostendere, quam longè in hac parte dissideant à mente nostri Doctoris : quod perspicuum fiet sequentia testimonia legenti. Nam 3. *p. quæst.* 17. *art.* 2. *ad* 1. inquit : *Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse ; sed sicut qua aliquid est ; personam autem, seu hypostasim consequitur, sicut habentem esse.* Sed id, quod consequitur ad aliud, differt realiter ab eo : qua ratione ex mente D. D. Thom. *esse* differt realiter à natura : ergo etiam *esse* differt realiter à supposito quatenus tali : quod non contingeret, si existentia esset realiter subsistentia. *Præterea* 1. *p. quæst.* 50. *art.* 2. *ad* 3. docet, quod existentia facit compositionem non solùm cum essentia, sed etiam cum supposito : si autem esset idem realiter cum subsistentia, non posset facere compositionem cum supposito, sed potius illud formaliter constitueret : ergo. *Deinde quodl.* 2. *qu.* 2. *art.* 4. docet, quod *esse* non est de ratione suppositi : at subsistentia pertinet ad illius rationem, imò illam formaliter constituit : ergo secundum D. Thom. existentia subsistentiæ, & subsistentia non sunt realiter idem. *Tandem* S. Doctor. tanquam diuersas quæstiones tractat, an in creatis sit idem essentia, & existentia ; & an essentia, & suppositum sint idem, vt videre est *quodlib.* 2. *art.* 3. & 4. & *in* 2. *dist.* 3. *quæst. art.* 1. & 2. Quod superfluum foret, si existentia, & subsistentia non distinguerentur realiter : tunc quippe, semel ostensa diuersitate inter essentiam, & existentiam, relinquebatur demonstrata differentia inter essentiam, & suppositum. Quæ omnia simul sumpta adeò persuadent D. Thom. stare pro nostra assertione ; vt oppositum secundum eius mentem asserere, sit manifesta violentia, cui satisfacere non oportet.

33 Secundò probatur conclusio ratione desumpta ex D. Thom. *loco citato ex* 3. *parte*, quæ sic formatur : nam actus distinguitur realiter à suo

suo susceptiuo reali : sed suppositum est susceptiuum reale *quod* existentiæ : ergo existentia distinguitur realiter à supposito : ergo etiam differt realiter à subsistentia. Hæc secunda consequentia legitimè infertur ex prima : nam suppositum constituitur formaliter per subsistentiam : vnde si existentia differt realiter à supposito, & in eo recipitur ; necessum est, quod supponat realiter subsistentiam, & ab illa proinde realiter distinguatur. Minor autem ostenditur : quia illud suscipit vt *quod* existentiam, quod fit vt *quod*, & operatur, vt *quod* : nam fieri ordinatur ad esse, & esse ad operari : atqui fieri vt *quod*, & operari vt *quod* est proprium suppositi, vt communiter docent Theologi, & Philosophi : ergo suppositum suscipit realiter vt *quod* existentiam.

34. Tertio probatur eadem assertio alia ratione desumpta ex D. Th. *quodlib. citato* : quoniam id, quod est de intrinseca ratione suppositi, distinguitur realiter ab eo, quod accidit supposito, & est adæquatè extra propriam rationem illius : sed subsistentia est de intrinseca ratione suppositi ; existentia vero accidit illi, estque adæquatè extra eius rationem : ergo existentia, & subsistentia realiter distinguuntur. Major, & consequentia constant. Minor autem quoad primam partem est satis manifesta : tum quia subsistentia constituit formaliter suppositum : tum quia in definitione suppositi ponitur subsistentia in recto : tum quia de supposito essentialiter prædicatur, & ideo hæc est æternæ veritatis : *Suppositum est substantia subsistens incommunicabiliter.* Quæ omnia euidenter euincunt subsistentiam pertinere ad intrinsecam rationem, seu constitutionem suppositi. Secunda etiam eiusdem minoris pars ostenditur : quoniam existentia non conuenit necessariò, & essentialiter supposito ; alias hæc propositio : *Suppositum existit* : foret æternæ veritatis : quod est absurdum : ergo existentia conuenit supposito accidentaliter, estque adæquatè extra rationem illius.

Confirmatur primo : quia suppositum est idem, ac prima substantia directe ponibilis in prædicamento : sed prædicta substantia non constituitur realiter per existentiam : eò quod omnia, quæ in prædicamentis collocantur ab existentia præscindunt ; & concernunt præcisè prædicata necessaria : ergo suppositum non constituitur formaliter realiter per existentiam : atqui per subsistentiam realiter, & formaliter constituitur : existentia igitur, & subsistentia non sunt realiter idem.

Confirmatur secundo, & explicatur ampliùs *ex dictis quæst. præced. §. 2.* quoniam existentia, & subsistentia carent omni principio identitatis : ergo non sunt realiter idem. Probatur antecedens : nam in primis existentia non est de conceptu subsistentiæ : aliàs de quocumque prædicatur subsistentia, prædicaretur etiam existentia : & consequenter sicut hæc prædicatio est ab æterno vera : *Homo est subsistens* ; ita etiam hæc esset vera ab æterno : *Homo est existens*, quod nemo concedet. Rursus existentia non est,

de

de conceptu alicuius tertij, in quo identificetur cum subsistentia: non enim aliud tertium excogitari potest, nisi suppositum; de cuius tamen conceptu non est existere, vt nuper vidimus. Tandem existentia, & subsistentia non ducunt ortum ab eadem forma; sed à principiis longè diuersis: nam subsistentia oritur à substantia completa, tanquam modus illi intraneus; existentia verò est purè ab extrinseco, & accidentalis. Hæc autem poterant esse principia identitatis inter vtramque: ergo existentia, & subsistentia carent omni principio identitatis. Alias rationes Theologicas desumptas ex mysterijs Trinitatis, & Incarnationis possemus formare in fauorem nostræ assertionis: quas tamen consultò omittimus, quia rationes allatæ illam satis apud Philosophos euincunt. Videantur Auctores supra relati, & præcipuè Labat §. 4. & 5. vbi duo argumenta Theologica neruosè vrget.

§. II.

Resoluitur posterior difficultas.

35 DIcendum est secundo subsistentiam esse priorem existentia, & prius conuenire naturæ. Sic docet D. Thom. omnibus locis, in quibus statuit proprium susceptiuum existentiæ non esse solam naturam, sed suppositum ex natura, & subsistentia constitutum. Hoc tradit 3. *p. qu.* 17. *art.* 2. cuius verba supra dedimus, & *quodlib.* 9. *art.* 3. & *in* 3. *ad Anibald. dist.* 6. *qu. vnic. art.* 2. vbi ait: *Esse est actus suppositi, vt quod est; forma verò, vt quo est.* Et addit: *Quod propriè nec partes, nec accidentia habent esse; sed tantum suppositum completum.* Cùm ergo suppositum constituatur per subsistentiam; planè sequitur, quod sicut suppositum præcedit *esse*, ita subsistentia debeat anteire existentiam. Vnde sic docent Caietanus Bañez, Nauarr. 1. *p. q.* 3. Ioann. à S. Th. *ib. disp.* 4. *art.* 2. Nazarius *qu.* 50. *art.* 2. Labat vbi *supra* §. 7. Cabrera 3. *p. q.* 2. *art.* 11. *disp.* 2. §. 5. & *qu.* 4. *art.* 2. *disp.* 3. §. 5. N. Philippus vbi *supra art.* 2. & communiter Thomistæ.

Ratio fundamentalis continetur in verbis D. Thom. nuper relatis, & potest sic formari: quoniam id, quod pertinet ad susceptiuum *quod* existentiæ, nequit non præcedere ipsam existentiam: eò quod susceptiuum alicuius actus, & omnia, quæ ad illius constitutionem spectant, præsupponuntur ad actum: sed subsistentia pertinet ad susceptiuum *quod* existentiæ, illudque constituit: ergo præsupponitur ad existentiam. Suadetur minor: nam susceptiuum *quod* existentiæ est suppositum: subsistentia autem pertinet ad rationem suppositi, illudque constituit, vt satis constat *ex dictis §. præced. ergo &c.*

Confirmatur: quia existentia non recipitur tanquam in susceptiuo *quod* adæquato in sola natura: ergo recipitur in supposito, siue in natura terminata, & completa per subsistentiam: ergo subsistentia præcedit realiter existentiam. Vtraque consequentia est satis

manifesta. Antecedens vero probatur : nam existentia in eo, velut in supposito quod, recipitur, quod fit vt *quod* ; siquidem, idem est fieri, ac recipere existentiam : sed natura sola non fit, vt *quod* : ergo existentia non recipitur in natura velut in susceptiuo *quod*, & adæquato. Minor liquet : quoniam illud fit vt *quod*, quod simpliciter fit, & generatur : sed sola natura non dicitur simpliciter fieri, aut generari, vt patet tam in diuinis, quam in creatis : non enim dicimus in diuinis naturam generari, vel produci, sed Filium : nec dicimus humanitatem fieri, vel esse filiam, sed suppositum : ergo natura sola non fit vt *quod*.

Ad hæc existentia supponit totum id, quod directè ponitur in prædicamento : eò quod omnia directè in prædicamento collocabilia abstrahunt ab existentia, illamque præcedunt : constat autem naturam terminatam subsistentia directè constitui in prædicamento substantiæ ; siquidem suppositum, quod essentialiter importat tam naturam, quam subsistentiam, directe collocatur in illo : ergo subsistentia præcedit realiter existentiam.

36 Secundo probatur eadem conclusio ratione desumpta ex dictis §. *præced.* quoniam illud conuenit prius naturæ, quod est ipsi intimius, & magis ab intrinseco, & necessario competit ipsi, vt ex terminis constare videtur : sed subsistentia est natura intimior, quam existẽtia, & conuenit ei magis ab intrinseco, & necessario, quam illa : ergo subsistentia prius conuenit naturæ, quam existentia, & consequenter præcedit ipsam. Probatur minor tum quia subsistentia fundatur in ipsa natura totali ; hæc quippe petit habere talem modum, quo sistat in se ipsa, & non habeatur ab alio : existentia verò conuenit purè ab extrinseco ex influxu causæ efficientis : ergo intimior est naturæ subsistentia, quam existentia. Tum etiam quia prius cum fundamento in re intelligimus subsistentiam conuenire naturæ, quam existentiam ; siquidem cum fundamento concipimus naturam, antequam existat, constitui in prædicamento ; in quo tamen non constituitur nisi terminata per subsistentiam : ergo hæc est intimior, quam illa. Tum denique, quia in ratione suppositi solùm importantur ea, quæ pertinent ad naturam completam, & sunt illi intrinseca : sed ad rationem suppositi essentialiter pertinet subsistentia, non verò existentia, vt satis constat ex dictis *n.* 34. intimior ergo est respectu naturæ subsistentia, quam existentia.

37 Sed objcies : nam prius, & intimius est, quod conuenit ratione primi conceptus, quam quod conuenit ratione conceptus subsequentis : sed existentia conuenit naturæ ratione primi conceptus ; subsistentia vero ratione conceptus subsequentis : ergo existentia est prior, atque intimior, quam subsistentia. Probatur minor : quia existere conuenit naturæ ratione gradus entis ; omne quippe ens respicit existentiam : subsistere autem competit naturæ ex conceptu substantiæ ; sola enim substantia valet subsistere : constat

stat autem conceptum entis esse priorem conceptu substantiæ: ergo existentia conuenit naturæ ratione primi conceptus; subsistentia vero ratione conceptus subsequentis. Quod satis aperte significat D. Th. 1.*p.q.*8.*a.*1. his verbis: *Esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest; cùm sit formale respectu omnium, quæ in re sunt.*

Respondetur existentiam non conuenire enti, nisi sit completum per subsistentiam: & ideo ens non prius respicit existentiam, quam per subsistentiam compleatur, & terminetur. Vnde non rectè comparantur subsistentia, & existentia eidem, vel diuersis gradibus, quasi communi vtriusque susceptiuo: quia existentia nullum gradum actuat, nisi completum per subsistentiam: quocircà debet eam supponere ex parte sui susceptiui. Nec ratio obiectioni inserta suadet oppositum: nam sicut conceptus entis non est aliquid vniuocum, vel præscindens à substãtia, & accidenti; sed importat immediate ipsa inferiora, vt proportionabiliter se habentia inter se: ita non respicit existentiam in communi abstrahentem ab existentiis substantiæ, & accidentis; sed quatenus imbibitum in substantia respicit existentiam propriam substantiæ, & vt inclusum in accidenti respicit existentiam propriam accidentis. Quare cùm existentia substãtiæ non habeat aliud susceptiuum *quod*, nisi suppositum, aut naturam terminatam per subsistentiam; debet subsistentiam supponere, ac proinde nequit esse intimior, quam illa. Per quod patet ad verba D. Th. nam in eis non fit comparatio inter esse, & subsistentiam; sed inter *esse*; & ea, quæ simul cum illo reperiuntur in eodem supposito, vt satis liquet ex ipsis verbis. Vnde subsistentia non se habet vt extremum comparationis, sed vt complens susceptiuum *quod* extremorum, quæ comparantur, & in substantia subsistente reperiuntur.

38 Vltimo, & satis vrgenter probatur conclusio alio fundamento desumpto ex D. Th. locis statim referendis: quoniam existentia in quocũque ordine est vltima, & perfectissima actualitas talis ordinis: ergo existentia substantiæ non præsupponitur ad subsistentiam, sed eam supponit. Patet consequentia: quia si existentia præcederet subsistentiam; jam hæc esset vltima actualitas in linea substantiæ; & quæ tàm naturam, quàm illius existentiam vltimo compleret, ac determinaret: & consequenter existentia non haberet rationem vltimæ actualitatis in tali linea. Antecedens est expressum D. Th 1.*p.q.*3.*a.*4. vbi ait: *Esse est actualitas omnis formæ.* Et *q.*4.*a.*1. *ad* 3 inquit: *Ipsum esse est perfectissimum omnium: comparatur enim ad omnia, vt actus.* Et *q.*7. *de potent. a.*2 *ad* 9. dicit: *Hoc, quod dico esse, est actualitas omnium actuum: & propter hoc perfectio omnium perfectionum.* Et *qu. vnic. de Anima art.*6. *ad* 2. hæc habet: *Ipsum esse est actus vltimus, qui participabilis est ab omnibus; ipsum autem nihil participat.* Idemque constat ex communi modo concipiendi.

Confirmatur: quia existere est sistere extra omnes causas, causalitates, & dependentiæ modos, sal-

tem proprij generis : sed substantia creata dependet à modo subsistentiæ, vt constat ex dictis, & non negatur ab Aduersarijs : ergo non existit, antequam habeat subsistentiam : & consequenter subsistentia præcedet existentiam. Eo vel maximè, quod sicut natura non fit vt *quod*, & per se ; sed ad productionem suppositi ; ita non existit vt *quod*, & per se, sed vt *quo*, & in supposito : atqui suppositum constituitur intrinsecè per subsistentiam & ita constitutum recipit existentiam : ergo impossibile est, quod natura sit existens antequam habeat modum subsistentiæ. Si enim natura non existit ante suppositum, nec istud datur ante subsistentiam ; non potest natura existere priusquam per subsistentiam compleatur. Quod forte in causa fuit, vt hic modus dicatur *subsistentia*, quasi *sub existentia* : nam complet naturam, vt existentiæ subsit.

§. III.

Diluuntur argumenta contra primam conclusionem.

39 OPpositam primæ assertioni sententiam defendit Biescas 1.*p.q.*3. *art.*4 *dub.*11. Et pro eadem referuntur Capreol. *in* 3.*d.*5.*q.* 3.*art.*3. Palud. *dub.*1.*q.*1.*a.*3. Ægidius *de Anima, text.* 9. Zumel 1. *p. q.*3.*a.*3. Quibus etiam consentiunt nonnulli ex recētioribus Thomistis.

Probatur auctoritate D. Th. *primo*, nam 1.*p.q.*29. *art.*2. *& qu.*21. *de veritate*, *art.* 1. pro eodem vsurpat existentiam, & subsistentiam : ergo vel loquitur impropriè, quod non est dicendum ; vel sunt realiter idem. *Secundo*, nam 3.*p.q.*19.*a.*1. & in alijs locis docet existentiam pertinere ad constitutionem suppositi : quod falsum esset, si à subsistentia distingueretur realiter. *Tertio*, quia 1.*p. q.* 29.*a.* 3. & alibi sæpè docet personam dicere id, quod est perfectissimum in natura : si autem existentia non esset subsistentia, vel ratio constitutiua suppositi, prædicta doctrina foret falsitati obnoxia ; siquidem adhuc deficeret personæ actus existentiæ, qui importat satis magnam perfectionem. *Quarto* quoniam *opusc.*42.*tr.*2.*c.*2. duplicem tantum compositionem admittit, physicam videlicet, ex materia, & forma ; & metaphysicam ex esse, & essentia : si vero subsistentia distingueretur realiter ab *esse*, daretur duplex compositio metaphysica, vna ex essentia, & subsistentia ; & alia ex supposito, & existentia : ergo &c. *Quinto*, nā 1 *p.q.*3.*a.*4. probat, quod in Deo non distinguitur suppositum à natura, quia esse in Deo non differt à natura : quæ ratio nihil conuinceret, si existentia differret à subsistentia, per quam suppositum constituitur : *Vltimo*, quoniam 3.*p.q.*17. *art.* 2. colligit in Christo Domino non esse nisi vnicum *esse*, quia in eo non est nisi vnicū suppositū : quæ consecutio nulla foret, si subsistentia, qua suppositū constituitur, non esset idem realiter, ac esse, vel existentia.

Hæc tamen non obligant, vt recedemus à vera S. Doctoris sententia, quā locis *n.* 32. relatis satis perspicue edocemur : sed possunt facile exponi. Ad primum ergo respondemus subsisten

subsistentiam posse dupliciter accipi: primo strictissimè, & sic sumpta consistit in modo complente naturã in se ipsa, & reddente eam proximè capacem existendi, vt constat ex dictis *dub.* 1. Et de subsistentia hoc modo accepta loquimur in præsenti, & loquitur S. Doctor in locis pro nostra sententia relatis. Secundo accipitur communiter, & sic importat modum essendi per se oppositum inhærentiæ. Et subsistentia sic sumpta coincidit realiter cũ existentia substantiæ. Qui modus loquendi non est omnino improprius, nec infrequens; & illi se accommodauit D. Th. locis relatis in obiectione: parum enim sua referebat exponere ibidem distinctionẽ rigorosam inter subsistentiam, & existentiã.

Ad secundum respondetur, quod suppositum potest dupliciter sumi: vno modo metaphysice; quo pacto solum importat ea, quæ dicit in suo conceptu obiectiuo, & sine quibus apprehendi non potest: & hac ratione constituitur per solam subsistentiam, & excludit actum existendi, vt sibi accidentalem, & extrinsecum. Secundo sumitur physice: quo pacto dicit omnia, quæ pertinent ad substantialem integritatem illius: inter quæ existentia meritò computatur: vnde potest, & debet sub hac consideratione aliquomodo per illam cõstitui. Cum ergo D. Th. docet existentiam pertinere ad rationem suppositi, loquitur de suppositio physicè accepto: vnde non negat, quod existentia differat realiter à subsistentia per quam suppositum metaphysicè constituitur.

Ad tertiam respondemus ideo personam dici perfectissimum, quod est in natura, quia existit, & subsistit vt *quod*, non vero quia de eius conceptu metaphysico sit existere. Adde personam posse etiam dici perfectissimum, quod est in natura, quia si comparetur ad alia suppositа, omnia in perfectione excedit: nam est suppositum non cuiusuis naturæ, sed rationalis. ¶ Ad quartam dicendum est dari reuera in substantiis materialibus triplicem illam compositionem: communiter tamen non recensetur compositio metaphysica ex essentia, & subsistentia: quia in ordine metaphysico non est vltima; sed vialis, & ordinata ad compositionem ex supposito, & existentia. ¶ Ad quintum dicimus optimum esse illum modum arguendi: quia vbi esse non distinguitur à natura; inintelligibile est, quid possit suppositum naturæ superaddere: intimior enim est subsistentia, quã existentia: vnde natura, quæ sibi identificat *esse*, potiori iure identificabit subsistentiam, & suppositum. ¶ Ad vltimum respondemus illam consequentiam etiam esse legitimam: quia licet existentia distinguatur realiter à subsistẽtia; nihilominus est actus proprius suppositi, & subsistẽtiæ cõmensuratus: quocirca vbi non est nisi vnica subsistentia, & vnicum suppositũ nequit multiplex existentia reperiri.

40 Secundo arguitur ratione: quia subsistentia, & existentia substantiæ habent eosdem effectus, aut quasi effectus formales: ergo nõ distinguuntur realiter. Suadetur antecedẽs: tum quia effectus existentiæ subsistãtiæ est existere per se: sed subsistere, quod est effectus proprius subsistentiæ, idem dicit, ac existere per se: ergo habent eosdem effectus. Tum etiam, quia effectus proprius existentiæ

importat vltimam actualitatem intra genus ſubſtantiæ: ſed hanc vltimam actualitatem præſtat ſubſiſtentia; ſiquidem reddit naturam incommunicabilem: quod non contingeret, ſi ſupereſſet vltimior actualitas, cui poſſet natura vniri, ac communicari: ergo exiſtentia, & ſubſiſtentia, eiſdem effectibus gaudent. Tum denique, quia ſubſiſtens idem valet, ac ſubſtantialiter exiſtens: ſed ſubſiſtens eſt tale per ſubſiſtentiam; & exiſtens ſubſtantialiter eſt tale per exiſtentiam ſubſtantiæ: ergo idem effectus communicatur per ſubſiſtentiam, ac per exiſtentiam ſubſtantiæ.

Reſpondetur negando antecedens: nam ſubſiſtentia, & exiſtentia ſubſtantiæ habent effectus longe diuerſos, & prædicata ſatis oppoſita, vt conſtat ex his, quæ §. 1. diximus. Ad primam autem illius probationem reſpondemus effectum proprium exiſtentiæ eſſe exiſtere per ſe, hoc eſt conſtituere actu, & formaliter ſubſtantiam extra ſuas cauſas. Effectus vero ſubſiſtentiæ non eſt exiſtere, ſed eſt ita complere ſubſtantiam, vt eam reddat alteri incommunicabilem tanquam habenti *quod*, & conferre naturæ vltimam completionem, vt fiat proximè capax exiſtentiæ. Vnde ſicut hæc proxima habilitas realiter diſtinguitur ab exiſtentia, & eſt prior, quam illa; ita effectus proprius ſubſiſtentiæ differt realiter ab effectu exiſtentiæ, & ipſum realiter antecedit. Quod ſatis euincit diſtinctionem realem inter vtramque.

Ad ſecundam reſpondetur exiſtentiam tribuere actualitatem ſimpliciter, & omnibus modis vltimam intra genus ſubſtantiæ: poſtquam nihil ſubſtantiale poteſt aduenire. Subſiſtentia vero non complet naturam vltimo ſimpliciter; ſed cum addito, nempe ab intrinſeco, & vt habilitans ad vltimam actualitatem prouenientem ab extrinſeco, videlicet ad exiſtentiam. Sicut punctum vltimo complet lineam intrinſece, & vt quid ad eius rationem ſpectans: poſt quod tamen ſupereſt exiſtentia lineæ, quæ tam ab ea, quam à puncto realiter differt. Vnde licet ſubſiſtentia reddat naturam alteri incommunicabilem, hoc eſt, non vnibilem alteri tanquam toti habenti ipſam; nihilominus non reddit eam incommunicabilem vltimæ actualitati, per quam extra ſuas cauſas conſtituitur; ſed potius eam complet, vt hunc effectum ſuſcipiat.

Ad tertiam conſtat ex dictis, quod ſubſiſtens, quatenus eſt effectus proprius ſubſiſtentiæ non eſt idem, ac exiſtens actu, & exercitè per ſe; ſed ſignificat id, quod eſt proximè aptum ad exiſtendum. Vnde ſatis differt ab effectu proprio exiſtentiæ, qui non eſt reddere aptum ad exiſtendum; ſed ponere actu rem extra cauſas. Quod magis perſpicuum fiet, ſi animaduertatur, quod ſicut ens poteſt ſumi dupliciter, videlicet nominaliter & participialiter: & priori modo ſignificat rem, quæ abſtrahit ab exiſtentia; poſteriori autem modo importat eam ſub exercitio exiſtendi. Ita etiam ſubſiſtens poteſt bifariam accipi, primo nominaliter: & idem valet ac res, quæ poteſt exiſtere per

ſe;

se ; abstrahit tamen ab existentia. Secundo participialiter : & idem valet ac res actu per se existens, dicensque expresse, & formaliter existentiam. Priori modo est effectus proprius subsistentiæ : posteriori vero existentiæ. Vnde non sequitur, quod ipsæ sint idem inter se : sed magis, quod distinguantur. Alia argumenta possent formari contra distinctionem subsistentiæ, & existentiæ desumpta ex eo, quod subsistentia nequit mediare inter naturam, & *esse* ad quæ tamen congruentius occurremus §. *sequenti.*

§. IV.

Fundamenta aduersus secundam assertionem conuelluntur.

41 OPinionem secundæ conclusioni contrariam amplectuntur Suarez *disp.* 34. *Metaph. sect.* 4. *&* 3. *p. q.* 2. *disp.* 8. *sect.* 4. Vazq. 1. *p. disp.* 126. *cap.* 2. *&* 3. & alij Moderni. Probatur primo : quia inter essentiam, & existentiam datur immediata proportio : ergo essentia recipit immediatè existentiam, absque subsistentiæ interuentu. Consequentia constat : quia illa proportio consistit in habitudine subiecti ad proprium actum : ergo si essentia proportionatur immediatè subsistentiæ, poterit illam immediate recipere. Antecedens vero probatur : quia essentia definitur per habitudinem ad *esse* : sed quælibet potentia definitur per actum, quem immediatè respicit, & cui est proportionata : ergo inter essentiam, & existentiam datur immediatè proportio.

Confirmatur primo : nam ita se habet subsistentia ad substantiam, sicut inhærentia actualis ad accidens : sed in accidentibus essentia non respicit existentiam mediante inhærentia, sed immediate : prius enim est, quod accidens existat, quam quod inhæreat : & sic videmus accidentia eucharistica existere, & non inhærere : ergo substantia respicit immediatè existentiam, & non media subsistentia. ¶ Confirmatur secundo, quia in Deo prius est existere, quam subsistere : ergo etiam in creaturis. ¶ Confirmatur tertio : quia modus supponit rem, cuius est modus : sed subsistere est particularis modus existendi ; cum sit idem, ac existere per se : ergo subsistentia præsupponit existentiam.

Respondetur ad argumentum inter essentiam, vt existentiam dari proportionem immediatam non quidem tanquam inter actum, & subiectum *quod*, sed velut inter actum, & subiectum *quo* : nam essentia solum habet rationem susceptiui *quo* existentiæ : ratio verò susceptiui *quod* est propria suppositi, quod per essentiam, & subsistentiam constituitur. Ad probationem verò in contrarium respondemus sufficere, quod essentia sit subiectum *quo* existentiæ, vt queat per habitudinem ad ipsum definiri : sicut potentiæ animæ definiuntur per ordinem ad suos actus, quos tamen non recipiunt vt *quod*, sed tantum vt *quo*.

Ad primam confirmationem respondemus, omissa maiori, negando minorem : quia cum existere sit esse extra omnes causas, causalitates, & dependentiæ modos, & accidens ex

natura

natura sua dependeat à subiecto, cui inhæret; non prius naturaliter existit, quam eidem subiecto insit: & ideo prior naturaliter est inhærentia, quã existentia accidentis. Nec oppositum suadet inducta probatio: quia licet, naturaliter loquendo, nequeat posterius conseruari ablato priori, à quo naturaliter dependet; potest tamen diuinitus, si illud prius non se habeat essentialiter, sed tantum connaturaliter, vt in præsenti contingit. An autem hinc colligatur posse diuinitus substantiam existere sine subsistentia, sicut accidẽs absque inhærentia; alia quæstio est, cuius resolutio parum refert ad præsentis dubij decisionem. Videatur N. Philippus *loc. supra cit. a.* 3, & Ioan. à S. Th. 1. *p. q.* 3. *disp.* 4. *art.* 2. *circa medium.*

Ad secundam respondetur primo cum Cabrera negando antecedens: quia licet in Deo subsistentiæ relatiuæ supponant existentiam; subsistentia tamen absoluta ad existentiam supponitur. Vnde potius roboratur nostra conclusio. Secundo respondetur omisso antecedenti, negando consequentiam: & ratio disparitatis est satis manifesta: nam in Deo existentia est prædicatum essentiale: quocirca potest, quantum est ex vi huius, subsistentiam anteire. In creatis autem existentia est prædicatum omninò accidentale, nec prius conueniens substantiæ, quam hæc constituatur extra omnes causas, & dependentiæ modos: inter quos computatur subsistentia: vnde nequit illam antecedere. ¶ Ad tertiam constat ex supra dictis subsistentiam non esse modum existentiæ, aut determinationem illius, sed aliquid complens naturam, vt existat per se: quamobrem subsistere, in rigore loquendo non est per se existere; sed est esse aptum, & completum ad existendum per se.

42 Secundo arguitur: quia subsistentia est terminus vltimus naturæ; cum eam reddat vltimò completam, & incõmunicabilem: ergo post subsistantiam non aduenit vlterior actualitas substantialis: ergo vel dicendum est existentiam substantiæ non esse substantialem, quod est absurdum; vel non aduenire post subsistentiam. ¶ Confirmatur: quia si subsistentia præcedit existentiam, posset suppositum creatum assumi à persona diuina: consequens est absurdum, & contra cõmunem Thomistarum sententiã: ergo &c. Sequela ostenditur: nam ideo natura creata potest assumi à diuina persona, quia potest priuari propria subsistentia, & terminari per subsistentiam diuinam: sed si suppositum constitueretur per subsistentiam, quæ antecederet existentiam, posset priuari prædicta existentia, & terminari per existentiam diuinam: ergo posset suppositum à persona diuina assumi.

Respondetur argumento, quod, sicut constat ex dictis *num.* 40. subsistẽtia nõ est vltimus terminus totius lineæ substantialis, sed tantũ naturæ, vt completæ in ratione principij, & susceptiui *quod*. Vnde ita abest, vt excludat vltimiorem actualitatem existentiæ; quod potius aptet, & compleat naturam, vt possit existentiam recipere. ¶ Ad confirmationem negamus sequelam: quia existentia est actus proprius suppositi, & eiusdem ordinis cum illo: quapropter sicut implicat, quod suppositum diuinum

existat

existat per existentiam creatam; ita implicat, quod suppositum creatum existat per existentiam diuinam. Vnde licet natura creata carens subsistentia propria valeat assumi ad diuinam subsistentiam, & consequenter ad existentiam; nequit tamen fieri, vt retenta subsistentia propria, terminetur per existentiam diuinam. Sed hoc amplius expendere spectat ad Theologos 3. *p. q.* 4. *art.* 2. Videantur quæ dicemus *num.* 48.

43 Vltimò arguitur: quia ex essentia, & subsistentia fit compositio realis vt suprà diximus *num.* 39. sed hæc nequit saluari, nisi essentia existat ante subsistentiam: ergo existentia est prior, quam subsistentia. Probatur minor: quia omnis compositio realis fit inter extrema existentia, & actualia: ergo non est intelligibile, quod essentia, & subsistentia componant realiter, nisi prius essentia existat. ¶ Confirmatur: quia Verbum diuinum assumpsit humanitatem existentem: sed eam assumpsit ad subsistentiam: ergo natura existens præcedit subsistentiam, quod fieri non posset, si subsistentia esset prior, quam existentia. Probatur major: nam quod assumitur præsupponitur productum ante assumptionem: sed quod est productum est existens; cùm fieri, & produci ordinentur ad esse: ergo Verbum diuinum assumpsit humanitatem existentem pro priori ad assumptionem, atque ideò ante subsistentiam.

Respondetur argumento negando minorem: quia licet ad compositionem realem sit necessarium, quod extrema illius existant in instanti reali compositionis; non tamen desideratur, quod existant perfectè pro priori ad ipsam compositionem: præsertim cùm in existendo dependent à composito, quod ex vtroque resultat. Vnde materia, & forma componunt realiter totum substantiale: & nihilominus pro illo priori non intelliguntur existere; sed tantum exprimunt realitatem essentiæ cum ordine practico ad existentiam. Quare cùm essentia & subsistentia dependeant à supposito; nequeunt pro illo priori, in quo præintelliguntur illud constituere, habere existentiam: sed solum afferunt proprias entitates cum ordine ad existentiam totius: quæ sufficiunt ad realem compositionem.

Ad confirmationem respondemus, Verbum diuinum assumpsisse humanitatem existentem realiter pro toto instanti assumptionis; non quidem existentia creata, sed existentia ipsius Verbi. Pro illo autem priori, in quo præintelligitur assumptioni, nec est purum nihil, nec actu existens; sed importat realitatem actualem propriæ entitatis, vt est in via ad existendum. Sicut dum præintelligitur subsistentiæ propriæ, non est purum nihil, nec actu existit; sed tendit ad existendum. Et planè cùm natura dependeat à supposito; & existere sit esse extra causas, & dependentias; fieri non potest, vt natura existat, antequam vel sit in proprio supposito, vel assumatur ad diuinum. Quamuis autem actio productiua humanitatis potuerit illi conferre existentiam; impedita tamen

men fuit, ne vltimam actualitatem ipsi communicaret: sicut impedita est, ne subsistentiam produceret. Vnde solum produxit realitatem naturæ: subsistentia verò, & existentia aliunde communicatæ sunt, nempè à Verbo.

QVÆSTIO IV.

An in composito substantiali dentur subsistentiæ, & existentiæ partiales?

DVplici modo possunt in composito subsstãtiali constitui subsistentiæ, & existentiæ partiales: primò partialitate quasi integrali, & entitatiua: secundò partialitate essentiali. Nam sicut in composito physico, v. g. in homine distinguunt aliqui partes subsstantiales integrales vtputa caput, manum, pedes, &c. ita etiam solent distinguere subsistentias prædictis partibus correspondentes, quasi alia sit subsistentia capitis, alia manus, & alia pedis. Et quemadmodum in eodem composito subsstantiali dantur duæ partes essentiales, nempè materia, & forma: sic etiam autumant nonnulli admittẽdas esse duas subsistentias partiales, nimirum subsistentiam materiæ, & subsistentiam formæ, ex quibus coalescat vna subsistentia completa totius compositi. Idemque proportionabiliter asserunt de existentiis. Cæterum quia *suprà disp. 5. quæst. 1.* latè ostendimus falsitatem opinionis, quæ asserit dari partes subsstantiales entitatiuas intra genus subsstantiæ actu distinctas: excusamur denuò confutare sententiam, quæ adstruit subsistentias partiales, quasi integrales, illis partibus respondentes; Nam eis exclusis, nequeunt eæ subsistentiæ subsistere. Vnde difficultas deuoluitur ad subsistentias, & existentias partiales, quæ materiæ, & formæ correspondent. Et licet videatur esse diuersa difficultas circa subsistentias, ac circa existentias: vtramque tamen sub eodem titulo comprehendimus: & quia satis affines sunt, & quia vnius decisio mutuo iuuabit ad aliam. Claritatis tamen gratia eas diuersis assertionibus resoluemus.

§. I.

Statuitur non dari subsistentias partiales.

44 DIcendum est in composito subsstantiali non dari subsistentias partiales; sed materiam, formam, & compositum subsistere vna, & eadem, ac simplici subsistentia. Hanc conclusionem docet D. Th. *1. p. q. 29. art. 1. ad 2. & 3. p. q. 2. art. 2. ad 3. & in 3. ad Anibald. dist. 6. qu. vnic. art. 1. ad 1. & 4. contra gentes cap. 49.* Quem sequuntur Aluarez, & Nazarius *loc. cit. ex 3. p.* Cabrera *ibid. q. 4. art. 2. disp. 5.* Ioan. à S. Thoma *in Physic. q. 7. art. 3. & 1. p. q. 3. disp. 4. art. 2.* N. à Cruce *ibid. disp. 16. dub. 1. n. 409.* N. Philippus *3. p.*

summæ

summæ Philosoph. quæst. 18. *art.* 5. & communiter Thomistæ. Quibus etiam consentiunt Vasq. 3. *p. disp.* 32. *cap.* 2. Molina 1. *p. q.* 29. *art.* 2. *disp.* 3. Fonseca 9. *Metaph. cap.* 8. *quæst.* 5. *sect.* 4. & alij plures.

Probatur ratione: quia vnica subsistentia sufficit, vt compositum subsistat vt *quod*, & partes eius vt *quo*: ergo in composito substantiali non datur, nisi vnica, & simplex subsistentia. Consequentia patet: quia natura abhorret superflua: ergo si vnica subsistentia sufficit, vt subsistat totum, & partes eius; non datur in composito, nisi vnica, & simplex subsistentia. Antecedens verò suadetur: quia impossibile est, quod aliqua subsistentia reddat totum subsistens vt *quod*, quin reddat illius partes subsistentes vt *quo*: ergo vnica subsistentia sufficit, vt compositum subsistat, vt *quod*, & partes eius vt *quo*. ¶ Confirmatur: quia in Christo Domino non datur, nisi vnica, & simplex subsistentia, vt fides docet: ergo neque in aliis suppositis debent subsistentiæ multiplicari. Probatur consequentia, tum à paritate: si enim subsistentia Christi terminans humanitatem reddit etiam subsistentes partes illius, pariter subsistentia terminans compositum vt *quod*, terminabit partes eius vt *quo*. Tum etiam, & præcipuè, quia hoc vnico exemplo infringuntur omnes rationes, quibus Aduersarij conantur ostendere necessitatem subsistentiarum partialium: militant quippè eodem modo in partibus essentialibus humanitatis Christi, vt eas diluendo ostendemus: vnde si humanitas illa, & ipsius partes subsistunt vna, & eadem subsistentia; pariter alia composita substantialia, & eorum partes poterunt eadem subsistentia subsistere.

45 Respondebis cum Suario sufficere quidem, vt compositum, & eius partes subsistant, vnam subsistentiam hanc totalem: hanc tamen non esse simplicem; sed componi ex duabus subsistentiis partialibus: ad eum modum, quo natura totalis, quæ per subsistentiam terminatur, non est vna per simplicitatem, sed per compositionem: coalescit enim ex materia & forma. Cùm enim subsistentia sit modus, & terminus proportionatus naturæ, oportet quod sit composita eadem compositione.

Sed contra: nam in primis hæc responsio non occurrit exemplo in confirmatione adducto, ex quo manifestè deprehenditur superfluum esse ponere plures subsistentias partiales; sed sufficere vnicam, & simplicem subsistentiam. Deindè refellitur efficaciter, nam repugnat ex duabus subsistentiis partialibus constitui vnicam subsistentiam, quæ sit simpliciter, & physicè vna, & apta, vt suppositum subsistat per se simpliciter; nisi illæ subsistentiæ partiales vniantur inter se per modũ actus, & potentiæ: at sic est, quod repugnat duas subsistẽtias vniri prędicto modo: ergo non dantur subsistentiæ partiales, nec ex illis componitur subsistentia compositi. Major ostenditur: tum quia omnis compositio physica, & simpliciter talis fit ex actu, & potentia: tum quia partes essentiales, nempè materia, &

forma, quibus omninò æquiparat hæc ſolutio earum ſubſiſtentias, vniuntur inter ſe per modum actus, & potentiæ: ergo repugnat, quod ex duabus ſubſiſtentiis partialibus componatur alia ſubſiſtentia totalis, quæ ſit ſimpliciter vna, niſi ſubſiſtentiæ partiales vniantur inter ſe per modum actus, & potentiæ. Minor autem probatur: quoniam implicat aliquid intra eandem lineam habere ſimul rationem actus, & potentiæ: ſed omnis ſubſiſtentia eſt actus in linea ſubſtantiali: ergo nequit intra eandem lineam ſubſiſtendi vniri alteri ſubſiſtentiæ tanquam potentia ſuo actui.

Confirmatur primò: quia ſi vna ſubſiſtentia poſſet per modum potentiæ vniri alteri tanquam actui; eo ipſo amitteret rationem termini in linea ſubſiſtendi: ſed de ratione ſubſiſtentiæ eſt, quod ſit terminus in prædicta linea: ergo repugnat ſubſiſtentiam vniri ſubſiſtentiæ, ſicut potentia vnitur actui. Minor & conſequentia conſtant. Major autem ſuadetur: tum quia de ratione termini eſt eſſe vltimum in linea, in qua eſt terminus: ſed hoc ipſo, quod ſubſiſtentia reſpiceret aliam ſubſiſtentiam tanquam actum, non poſſet eſſe vltimum in linea ſubſiſtendi; ſed eſſet in potentia ad alium terminum intra eandem lineam: ergo amitteret rationem in linea ſubſiſtendi. Tum etiam, quia nihil magis deſtruit conceptum termini, quam ratio terminabilis: ſed ſi vna ſubſiſtentia vniretur alteri, eſſet terminabilis per illam: ergo amitteret propriam rationem termini in illa linea.

Confirmatur ſecundò: nam repugnat ſubſiſtentiam vniri ſubſiſtentiæ, & non recipere effectum formalem illius, & denominari ab ea: ſicut generaliter repugnat aliquid vniri formæ, vel termino, & non participare proprium eius effectum, & denominationem, vt inductiuè poteſt oſtendi: atqui vna ſubſiſtentia nequit recipere effectum formalem primarium alterius ſubſiſtentiæ, nec denominari ab illa: ergo repugnat, quod illi vniatur. Minor oſtenditur: quia effectus proprius, & denominatio, quæ tribuit quælibet ſubſiſtentia, eſt *eſſe ſubſiſtens*, ſicut albedo facit album, & relatio relatum, &c. ſed ſic eſt, quod vna ſubſiſtentia nequit reddi, & denominari formaliter ſubſiſtens per ſubſiſtentiam à ſe diſtinctam: ergo nequit recipere proprium effectum alterius ſubſiſtentiæ, nec denominari ab illa. Minor liquet: quia id, quod eſt formaliter tale per ſe ipſum vt *quo*, nequit reddi formaliter tale per aliud: qua ratione albedo, quia per ſe ipſam eſt alba vt *quo*, & ratio formalis dealbandi, nequit reddi formaliter alba per aliquid à ſe diſtinctum: ſed quælibet ſubſiſtentia eſt ratio formalis ſubſiſtendi, & ſubſiſtens, vt *quo*: ergo repugnat ſubſiſtentiam reddi, & denominari formaliter ſubſiſtentem per aliquid à ſe diſtinctum.

46 Confirmatur tandem: quia inexplicabile eſt, quid conferant eæ ſubſiſtentiæ partiales partibus eſſentialibus nempè materiæ, & formæ: ergo huiuſmodi ſubſiſtentiæ repugnant. Probatur antecedens: nam ſubſiſtentia nequit tribuere formæ

v.g. equi, quod sistat in se; siquidem est in subjecto: neque quod sit independens, vel incommunicabilis; cùm dependeat à materia, & illi communicetur: neque quod operetur vt *quod*; cùm solum influat vt *quo*, & cum dependentia à toto supposito: neque quod possit per se ipsam terminare actionem; cùm non fiat nisi per eductionem à materia, & per actionem productiuam totius compositi: nihil ergo est excogitabile, quod subsistentia possit tribuere prædictæ formæ: ac proinde forma materialis non habebit propriam subsistentiam. Quod si hoc concedatur (vt tandem concedit Suarius *disp.* 34. *Metaph. sect.* 5. *num.* 14.) inuictum conficitur argumentum ad ostendendum materiam primam non habere propriam subsistentiam partialem. Tum quia omnis pars debet respicere alteram partem: ergo si in equo v. g. non datur subsistentia partialis ex parte formæ, non dabitur ex parte materiæ. Tum etiam, quia perfectior est forma materialis, quam materia: ergo si illa est incapax propriæ subsistentiæ; minus capax erit hæc.

Ea verò, quæ in fauorem suæ resp̃ōsionis adducebat citatus Auctor, parùm illi fauent, sed manent exclusa ex dictis. Quia non oportet, quod terminus componatur eadem compositione, qua componitur illius terminabile; sed potius desideratur oppositum: eò quod omnis terminus importat vltimitatem, & simplicitatem. Vnde videmus partes lineæ terminari puncto, quod caret partibus. Et planè cùm humanitas Christi. Domini constans partibus essentialibus terminetur vnica, & simplici subsistentia, quæ afficiendo humanitatem terminat etiam ipsius partes: edocemur hoc exemplo oppositam Suario Philosophiam statuendam etiam esse in aliis compositis: & quia nulla est ratio, quæ non militer æqualiter tam in illa humanitate, quam in aliis: & quia illa proportio, quam inter partes subsistentiæ, & partes naturæ statuere intendit prædictus Auctor, non obseruetur in Christo. Præsertim cùm doceat formam materialem, quæ est pars essentiæ, non afferre propriam subsistentiam partialem; sed subsistere per subsistentiam totius compositi.

§. II.

Excluduntur existentiæ partiales.

47 DIcendum est in composito substantiali non dari existentias partiales; sed compositum, & eius partes vna, & eadem existentia existere. Sic docet D. Th. pluribus in locis, & præcipuè 3. *p. q.* 17. *art.* 2. & 1. 2. *quæst.* 4. *art.* 5. *ad* 2. vbi ait: *Idem est esse formæ, & materiæ, & hoc idem est esse compositi.* Vnde sic docent Capreolus, Cajet. Ferrar. Soncin. Vincentius, Bañez, Nazarius Arauxo, quos refert, & sequitur Ortiz *in Physica tract.* 2. *procemial. conferentia* 3. Nauarrete 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *controuers.* 18. Aluarez 3. *p. q.* 4. *art.* 1. Ioan. à S. Thom *in Physica q.* 7. *art.* 5. & 1. *p. q.* 3. *disp.* 4. *art.* 4. N. à Cruce *ibid. art.* 4. *disp.* 17. *dub.* 2.

à num. 460. N. Philippus 3. *p. ſummæ Philoſoph. q.* 19. *art.* 5. & communiter Thomiſtæ.

In ſuadendo hanc aſſertionem parum immorabimur: quia eius veritas ſatis apertè habetur ex alibi dictis: quæ potius colligemus, quam noua fundamenta cudamus. Primò ergo probatur ratione: quoniam exiſtentia ſubſtantiæ, & ſubſiſtentia mutuò ſibi correſpondent: eò quod vel ſubſiſtentia eſt ratio recipiendi exiſtentiam, vt aſſerunt Thomiſtæ; vel quia ſubſiſtentia eſt modus exiſtentiæ, vt autumant Aduerſarij: atqui in compoſito ſubſtantiali non eſt niſi vnica ſubſiſtentia, vt conſtat ex dictis §. *præced.* ergo in compoſito ſubſtantiali non eſt niſi vnica exiſtentia. ¶ Secunda ratio eſt huiuſmodi: quia materia prima non habet propriam exiſtentiam partialem: ergo compoſitum, & eius partes exiſtunt vnica exiſtentia. Conſequentia liquet: quia non poteſt intelligi compoſitio ex exiſtentiis, niſi quælibet pars eſſentialis ſuam vendicet exiſtentiam. Antecedens autem oſtendimus ex profeſſo *in lib. Phyſic. diſp.* 3. *qu.* 4. vbi illius probationes videri poſſunt. ¶ Tertium fundamentum eſt: quoniam exiſtere eſt ſiſtere extra cauſas, cauſalitates, & dependentiæ modos: ſed antequam exiſtat totum compoſitum, partes eius non ſiſtunt extra omnes cauſas, cauſalitates, & dependentiæ modos: ergo non habent exiſtentiam ante exiſtentiam compoſiti. Quam rationem expendimus loco nuper citato.

48. Quarto ſuadetur concluſio alio fundamento deſumpto ex Ariſtot. 7. *Metaph. text.* 26. & D. Th. 1. *p. q.* 45. *art.* 8. quod poteſt ſic formari: quoniam illius eſt *eſſe*, cuius eſt *fieri*: at fieri non eſt partium materialium; ſed ſuppoſiti: ergo exiſtentia, ſeu *eſſe*, non conuenit partibus per ſe, ſed ratione ſuppoſiti: & conſequenter per exiſtentiam, qua ſuppoſitum exiſtit, exiſtent etiam partes illius, quin opus ſit exiſtentias multiplicare. Vtraque conſequentia infertur legitimè ex præmiſſis. Major autem eſt Philoſophi, & D. Th. *locis citatis*, & ſatis ex ſe liquet: nam fieri ordinatur ad eſſe, & illud communicat rei productæ: ergo illius eſt *eſſe*, cuius eſt *fieri*. Minor verò ſuadetur: tum quia eius eſt fieri, cuius eſt facere, ſeu operari: ſed operari eſt ſuppoſiti, vt docent communiter Philoſophi: ergo & fieri. Tum etiam, quia fieri eſt rei per ſe ſubſiſtentis: ſed ſolum ſuppoſitum ſubſiſtit per ſe: non verò partes materiales: ergo. Tum denique, quia fieri eſt eius, quod per ſe primò intenditur: ſed ſuppoſitum intenditur per ſe primò, non autem partes; cùm iſtæ ſint propter totum, & ordinentur ad illud: ergo fieri, propriè loquendo, non eſt partium materialium, ſed ſuppoſiti. Quod optimè docuit Angelicus Doctor 2. *contra gentes c.* 43. his verbis: *Sicut vnicuique creato conuenit fieri, ſic ſibi conuenit eſſe: eſſe autem non conuenit formæ tantum, nec materiæ tantum; ſed compoſito; materia enim non eſt, niſi in potentia; forma verò eſt, qua aliquid eſt, eſt enim actus: vnde reſtat, quod compoſitum propriè ſit.*

Confir

Confirmatur, & explicatur: quia actio non communicat existentiam nisi in vltimo termino suæ actiuitatis, & exercitij, & in quo denique sistit: atqui actio non sistit in productione partium, sed transit ad suppositum, & eo producto sistit, & quiescit: ergo actio non communicat per se primò existentiam partibus materialibus, sed supposito; & eo mediante partibus. Consequentia patet: quia si darentur existentiæ partiales, non possent non ex vi actionis productiuæ prius communicari partibus, quam composito: ergo si actio productiua non communicat existentiam, antequam producat compositum; sequitur partes non habere proprias subsistentias partiales. Minor liquet: quia partes sub formalitate partium non sunt propter se; sed propter compositum, ad ipsumque ex natura sua ordinantur: ergo actio productiua non sistit in partibus, sed progreditur ad suppositum: imò si in partibus sisteret; jam illæ in esse termini non essent partes, sed quædam tota. Major etiam constat: quoniam existentia est id, in quo sistit actio, & quod eam vltimo terminat: eò quod fieri ordinatur ad *esse*: ergo actio non communicat *esse*, nisi in vltimo sui exercitij.

Dices: viuere in viuentibus est *esse*, vt docet Aristot. 2. *de Anima textu* 37. sed viuere non multiplicatur juxta multiplicationem suppositi; sed penes diuersitatem naturæ, vt constat in Christo domino, in quo est vnicum suppositum, & duplex viuere, creatum videlicet, & increatum: ergo cũ in cõposito substantiali sit duplex natura partialis, & vna totalis; sequitur, quod debeat etiam esse duplex *esse* partiale, & vnum totale. ¶ Respondetur ex Diuo Thoma 3. *p. quæstione* 17. *articulo secundo*, & *quodlib.* 9. *art.* 3. Aristotelem loco citato non loqui de esse existentiæ, sed de esse specifico, seu essentiæ. Quare in Christo, in quo est duplex viuere, etiam est duplex esse specificum, & essentiale, videlicet natura diuina, & humana. Et tamen esse existentiæ non multiplicatur ob multiplicationem naturæ; sed manet idem propter identitatem suppositi: vtraque enim natura existit in eo per existentiam diuinam. Vnde potius sumitur argumentum in fauorem nostræ doctrinæ.

§. III.

Refertur opinio vtrique assertioni contraria.

49 SEntentiam asserentem dari in composito substantiali plures subsistentias, & existentias partiales tuentur Suar. *disput.* 34. *Metaph. sect.* 5. & 3. *part. disp.* 14. *sect.* 4. Rubio 1. *Physic. q.* 4. Hurtado *in Physic. disp.* 2. *sect.* 6. §. 50. Conimbricens. Pereira, & alij juniores extra scholam D. Thom. Et quoad illam partem, quæ adstruit existentias partiales, potest probari omnibus argumentis quibus iidem Moderni intendunt existentiam non distingui à re existente: illis tamen satisfecimus *quæst.* 2.

§. 4.

§. 4. Potest etiam suaderi argumentis, quibus prædicti juniores probant materiam primam habere propriam existentiam: sed hæc etiam diluimus *in lib. Physicor. disput. 3. quæst. 4. §. 2.* Vnde ea solùm argumenta proponemus, quæ nouam difficultatem videntur afferre. Vtemur autem illis ad probandum indiscriminatim dari subsistentias, & existentias partiales: nam eædem ferè rationes pro vtrisque formari solent.

Arguitur primò: quia subsistentia, & existentia debent essentiæ proportionari; cùm sint modi, vel actualitates ipsius: atqui essentia compositi substantialis componitur ex duabus partibus, nimirum ex materia, & forma: ergo etiam subsistentia, & existentia compositi debent componi ex partibus, quarum vna correspondeat materiæ, & alia formæ. ¶ Confirmatur: quia modus multiplicatur juxta multiplicationem rei, cuius est modus: sed subsistentia est modus essentiæ: ergo sicut essentia compositi substantialis non est simplex, sed componitur ex essentiis partialibus; ita subsistentia totalis ex partialibus subsistentiis componi debet.

Ad hoc argumentum satis constat ex supradictis *num. 46.* Sed iterum respondemus concessis præmissis, negando consequentiam: nam proportio constituenda in subsistentia, & existentia respectu essentiæ potius petit, quod licet essentia sit composita ex partibus; subsistentia tamen, & existentia careant prædicta compositione. Nam subsistentia est terminus essentiæ, qui proinde debet importare vltimitatem, & simplicitatem: atque ideò non potest componi ex partibus: quippè si illis constaret, non terminus foret; sed compositum terminabile. Idemque à fortiori est dicendum de existentia: hæc enim ita est vltima actualitas totius lineæ substantiæ, vt illi repugnet vlterius compleri, & actuari. Quæ omnia illustrari possunt exemplis tùm subsistentiæ diuinæ, & simplicissimæ terminantis humanitatem Christi: tùm puncti terminantis partes lineæ, tùm figuræ, quæ vna existens disponit, & terminat diuersas partes quantitatis.

Ad confirmationem respõdemus modum debere multiplicari ad multiplicationem rei cuius est modus per se, & immediatè; secus verò juxta multiplicationẽ rei, quam mediatè, & secundariò modificat. Subsistẽtia autem, & existentia conueniunt per se, & immediatè composito, mediatè verò, & secundariò partibus ratione compositi. Vnde non debent multiplicari juxta multiplicationem partium; sed habent simplicitatem propter identitatem suppositi, vt constat in Christo Domino, in quo ex multiplicatione partium essentialium non sequitur multiplicandas fore subsistentias, & existentias.

50 Arguitur secundò: nam subsistere est esse per se, id est non in alio, tanquam in subjecto inhæsionis: sed quælibet substantia, siue totalis, siue partialis habet ex propriis meritis non esse in alio velut in subjecto, cui inhæreat, vt satis ex se liquet: ergo quælibet substantia habet propriam subsi-

stentiam

stentiam; partialem quidem, si fuerit substantia partialis; totalem vero, si fuerit totalis. ¶ Confirmatur: nam quælibet forma accidentalis habet proprium modum inhærentiæ: ergo quælibet forma substantialis habet proprium modum subsistentiæ: quia ita se habet subsistentia ad formam substantialem; sicut inhærentia ad formam accidentalem.

Respondetur argumento negando maiorem: nam negatio inhærentiæ conuenit cuiuis substantiæ, quin ad hoc indigeat modo sibi realiter superaddito. Subsistere autem addit realiter supra naturam indiuiduam completam modum positiuum sistendi in se, qui fundat negationem essendi in alio tanquam in habente intrinsecè ipsam naturam; vt constat *ex supra dictis num.* 12. Supra naturam vero partialem (si alicui conuenit subsistentia) addit modum essendi, & operandi vt *quod* independenter ab alio. Quarè cum materia, & forma materialis neutrum ex prædictis effectibus, nisi vt vnitæ in toto participent; sequitur, quod non habeant subsistentias partiales; sed existant in composito, & per subsistentiam illius. ¶ Ad confirmationem negamus consequentiam. Tum propter nuper dicta: quia nimirum forma accidentalis est capax inhærendi, vt ex se liquet; forma vero substantialis nequit immediate participare effectum subsistentiæ. Tum etiam, quia licet inhærere, & subsistere opponantur; nihilominus non oportet, quod quidquid non inhæret, subsistat per se, & ratione sui; sed satis est, quod subsistat in alio, & ratione eius, cui subsistere conuenit immediatè, & per se. Et ideo, vt forma substantialis excludat inhærentiam, sufficit, quod sit pars compositi substantialis, & quod subsistat in illo.

51 Arguitur tertio: nam materia prima habet propriam subsistentiam; sed non totalem, vt ex se liquet: ergo partialem: cui proinde alia partialis ex parte cuiuscumque formæ correspondebit. Probatur maior: tum quia materia prima est primum subiectum: ergo est irreceptibilis in alio: ergo subsistit per se, & per propriam subsistentiam. Tum etiam, quia materia prius creata est, quam forma, & compositum, vt docet D. Thom. 1. *p. quæst. 66. art. 1. & 4.* sed creari est proprium rei per se subsistentis: ergo materia gaudet subsistentia propria. ¶ Confirmatur: quia id, quod conseruatur per specialem actionem ad ipsum vnicè terminatam, nequit non habere propriam subsistentiam: eo quod conseruatio, sicut & productio, terminatur ad rem per se subsistentem: atqui materia prima conseruatur per actionem ad ipsam vnicè terminatam: ergo habet propriam subsistentiam. Probatur minor: quia materia prima nequit conseruari per actionem conseruatiuam totius compositi: nam huiusmodi actio est propria agentis creati, quod compositum produxit: nullum autem agens creatum potest conseruare materiam primam; sicut neque illam creare valet: eiusdem enim est conseruare, & producere: ergo materia primo conser-

uatur per ſpecialem actionem ad ipſam vnicè terminatam.

Ad argumentum neganda eſt maior, quam neutra probatio euincit. Non quidem prima: nam ex eo, quod materia prima ſit primum ſubiectum; ſolum ſequitur, quod nequeat alteri tanquam ſubiecto communicari: minime vero, quod vel exiſtat, & operetur vt *quod*; vel ſiſtat in ſe, & non in ſuppoſito tanquam in habente ipſam. Vnum autem ſaltem horum deſideratur, vt aliquid dicatur per ſe ſubſiſtere. Neque etiam ſecunda: quia S. Doct. tantum intendit, quod materia prima ex parte rei factæ præcedat aliqualiter totum, cui conuenit fieri per ſe: nam partes ſunt priores compoſito in genere cauſæ materialis: ex quo tamen minime fit, quod terminent per ſe creationem, vel per ſe ſubſiſtant. ¶ Ad confirmationem dicendum eſt materiam primam conſeruari per eandem actionem, per quam conſeruatur compoſitum, in quo eſt. Huiuſmodi autem actio conſeruatiua eſt propria Dei: nam ſicut illi conuenit producere principaliter *eſſe* rerum; vt *dub. ſeq.* dicemus, ita etiam conuenit res in ſuo eſſe conſeruare. Et licet prædicta actio de facto non producat materiam, ſed eam ſupponat productam; nihilominus eſt adeo vniuerſalis, vtpote attingens ens ſub ratione vniuerſaliſſima entis, quod ſi materiam non ſupponeret, eam extraheret è nihilo. Vnde non indigemus ad aliam ſpecialiorem actionem pro conſeruatione materiæ primæ recurre-

52 Arguitur quarto: quia in homine dantur ſubſiſtentiæ partiales: ergo idem de aliis compoſitis dicendum eſt, vt paritatis ratio videtur conuincere. Suadetur antecedens: quia anima rationalis, quæ eſt vera hominis pars, vendicat ſibi propriam ſubſiſtentiam: ſed hæc non eſt ſubſiſtentia totius hominis: nam quod eſt proprium partis nequit conuenire toti compoſito: ergo eſt ſubſiſtentia partialis, cui proinde alia ſubſiſtentia ex parte materiæ correſpondebit: ex quibus componatur ſubſiſtentia totalis, ſeu totius hominis. Maior in qua ſola poterat eſſe difficultas, eſt certa: quoniam anima rationalis ſeparata à corpore ſubſiſtit naturaliter per ſe: atqui per vnionem ad corpus non amittit prædictam ſubſiſtentiam: ergo adhuc vnita corpori retinet ſubſiſtentiam ſibi propriam.

53 Sunt, qui ab hoc argumento ſe expediant negando, quod anima rationalis habeat in rigore propriam ſubſiſtentiam ſiue in corpore, ſiue extra illud. Et ad contrariam probationem dicunt modum eſſendi per ſe, quem habet anima ſeparata, non eſſe ſubſiſtentiam: tum quia ſubſiſtentia in ſubſtantia rationali eſt perſonalitas: anima autem rationalis non eſt perſona: vnde ille modus eſſendi per ſe nequit eſſe ſubſiſtentia. Tum etiam, quia ſubſiſtentia tribuit incommunicabilitatem ſubſtantiæ, quam terminat: conſtat autem animam rationalem non eſſe incommunicabilem: ergo non terminatur per ſubſiſtentiam. Modus igitur eſſendi per ſe, qui competit

animæ

animæ rationali, est rationis longè diuersæ à subsistentia. Vnde non sequitur, quod in homine debeant diuersæ subsistentiæ distingui.

Sed propter hæc non est deserenda communis sententia Philosophorum, ac Theologorum asserentium cum D. Thom. 1. *p. q. 75. art. 2.* animam rationalem vendicare sibi propriam, & specialem subsistentiam. Quibus etiam rationes satis efficaces subsidio sunt: nam id, quod per se terminat creationem, nequit non propriam subsistentiam habere: eò quod creari per se est proprium rei per se subsistentis: sed anima rationalis terminat per se creationem: ergo habet propriam subsistentiam. Deinde: effectus proprij subsistentiæ sunt esse vt *quod*, & operari vt *quod*: sed anima rationalis est, & operatur vt *quod*; cum sit, & operetur independenter à corpore, vt separationis status attestatur: ergo terminatur per propriam subsistentiam. Ad hæc: anima Christi Domini in triduo mortis eius fuit terminata per subsistentiam diuinam, vt communiter docent Theologi: sed substantia illa subrogata est loco eius, quod anima suæ naturæ relicta haberet: ergo anima illa sibi relicta terminaretur per subsistentiam propriam: idemque de aliis animabus dicendum est. Quod amplius ostendemus *in lib. de Anima disp. 5. per totam.*

Nec oppositum euincunt contraria motiua. Non primum: quia subsistentia substantiæ rationalis solum est personalitas in natura completa; secus vero in incompleta, qualis est anima rationalis. Vnde non sequitur, quod huius subsistentia, prout ipsam præcisè afficit, sit dicenda personalitas; vel quod animam faciat personam: eò quod persona est perfectæ naturæ individua substantia: anima autem non est natura completa, sed pars illius. Videatur D. Thom. 1. *p. quæst. 29. art. 1. ad 5.* Nec etiam secundum: quia subsistentia, licet habeat ex se vim sufficientem ad tribuendam omnimodam incommunicabilitatem; nihilominus eam non tribuit, nisi subiecto, in quo aliæ præuiæ incommunicabilitates supponuntur. Vnde quia natura totalis verbi gratia humanitas habet jam incommunicabilitatem per modum formæ inhærentis, & per modum partis, & per modum vniuersalis: propterea subsistentia ei vnita tribuit illi vltimam completionem, & incommunicabilitatem, ita vt nequeat esse in alio, iuxta ea, quæ supra diximus *quæst. 1. §. 2.* Anima autem rationalis, licet sit incommunicabilis per modum formæ inhærentis, & per modum vniuersalis; adhuc tamen est communicabilis composito per modum partis: quamobrem subsistentia eius propria nequit illi vltimam incommunicabilitatem conferre, vsque dum sit in toto supposito, vel composito, super quod totam suam vim explicat, sicut in subiecto omnium suorum effectuum plenè capaci. Vnde anima rationalis solum habet à subsistentia esse vt *quod*, & operari vt *quod*, & etiam incommunicabilitatem vt *quo*: nam licet ipsa nequeat vt *quod* denominari

nati incommunicabilis ; valet tamen dici incommunicabilis vt *quo*: quia ſecundum ea, quæ ſecum, & ex ſe affert, poteſt ita vniri materiæ, vt totam humanitatem ſimpliciter compleat, & reddat alteri ſuppoſito incommunicabilem. Quod ſatis eſt, vt dicatur etiam prædictum effectum à ſubſiſtentia participare.

54 Ad argumentum ergo negatur antecedens. Et ad illius probationem conceſſa maiori, negamus minorem : quia anima rationalis communicat materiæ, & compoſito ſubſiſtentiam, & exiſtentiam, qua ipſa ſubſiſtit, & exiſtit independenter à corpore : vnde ſuperfluum foret alias ſubſiſtentias, vel exiſtentias multiplicare. Quod perſpicuè tradit Angelicus Doct. pluribus in locis, & præcipue in 1. *d.* 8. *q.* 5. *art.* 2. *ad.* 2. vbi ait : *Anima ſine dubio habet eſſe perfectum : & hoc ipſum eſſe, quod eſt animæ per ſe, fit eſſe coniuncti : eſſe enim coniuncti non eſt, niſi eſſe ipſius formæ.* Et 1. *p. quæſt.* 76. *art.* 1. *ad* 5. inquit: *Dicendum, quod anima illud eſſe, in qua ſubſiſtit, communicat materiæ corporali, ex qua, & anima intellectiua fit vnum : ita quod illud eſſe eſt totius compoſiti, & etiam ipſius animæ : quod non accidit in aliis formis, quæ non ſunt ſubſiſtentes.* Et ratio eſt, quam D. Thom. in his verbis tangit : nam forma communicando ſe, communicat quod in ſe habet : vnde ſi habuerit ex ſe ſubſiſtentiam, & exiſtentiam ; illas communicabit materiæ, & compoſito: & conſequenter tam forma, quam materia, & compoſitum ſubſiſtent, & exiſtent per eandem ſubſiſtentiam, & exiſtentiam ; quin opus ſit illas multiplicare. Porrò prædicta ſubſiſtentia non eſt dicenda, proprie loquendo, totalis, vel partialis ; ſed ſubſiſtentia vnica, & ſimplex : quæ dum afficit ſolam animam, communicat ſe totam ; ſed non totaliter : at dum ſe explicat ſupra humanitatẽ, ſe totam, & totaliter communicat ; illique, mediante anima, impertitur omnes ſuos effectus tam poſitiuos, quam priuatiuos.

55 Sed obijcies : nam ſubſiſtentia hominis non eſt purè ſpiritualis : ſed ſubſiſtentia animæ eſt pure ſpiritualis : ergo homo non ſubſiſtit per ſubſiſtentiam animæ. Maior, in qua ſola eſt difficultas, oſtenditur : quia ſi ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas hominis eſſet pure ſpiritualis, homo dicendus eſſet perſona ſpiritualis, licet habeat naturam corpoream : ſicut quia perſonalitas Chriſti eſt increata, Chriſtus dicitur perſona increata, licet habeat naturam creatam, nempe humanitatem : conſequens eſt omnino abſurdum ; cum homo ſit quædam prima ſubſtantia corporea : ergo. ¶ Confirmatur : quia cum homo moritur, corrumpitur *eſſe* hominis : & tamen non corrumpitur *eſſe* animæ ; ſiquidem hæc perſeuerat cum ſuo eſſe in rerum natura : ergo *eſſe* hominis, & *eſſe* animæ non ſunt idem.

Reſpondetur obiectioni negando antecedens : quia ſicut anima rationalis, licet pure ſpiritualis, poteſt immediate vniri, & actuare materiam : ita ſubſiſtentia animæ, licet pure ſpiritualis, valet terminare naturam

naturam corpoream ; maxime cum conueniat humanitati ratione animæ, quam terminat per se primo. Ad probationem autem in contrarium negamus sequelam, quia licet personalitas hominis sit spiritualis, debetur tamen naturæ totali corporeæ : & ideo totus homo denominatur persona corporea, ad distinctionem Angeli, qui est persona spiritualis tam ex parte personalitatis, quam ex parte naturæ. Christus autem est persona increata : quia illius subsistentia est propria naturæ increatæ, & nulli naturæ creatæ debetur, quamvis illam de facto terminet. ¶ Ad confirmationem respondemus in hominis corruptione deficere *esse* essentiæ ob dissolutionem partium essentialium : *esse* vero existentiæ non deficere absolute : sed tantum desinere *esse* hominis manendo in anima separata : & ideo prædictum *esse* est corruptibile terminatiue, non vero entitatiue : quia licet desinat terminare, non desinit absolutè. Quam responsionem tradit D.Th. *qu. vnic. de Anima, art.* 1. *ad* 14. his verbis : *Dicendum, quod illud, quod propriè corrumpitur non est forma, neque materia, neque ipsum esse; sed compositum. Dicitur autem esse corporis corruptibile, in quantum corpus per corruptionem deficit ab illo esse, quod erat sibi, & animæ commune, quod remanet in anima subsistente.* Per quod satis diluuntur alia, quæ opponit Suarez ; quin aliam solutionem exposcant.

QVÆSTIO V.

A quibus, & quomodo subsistentia, & existentia producantur ?

AD perfectam notitiam subsistentiæ, & existentiæ, quarum propriam conditionem hactenus elucidare studuimus ; superesse videtur, vt explicemus, à quibus principijs, & quo pacto producantur. In qua difficultate (vt sic titulum explicemus) supponimus subsistentiam, & existentiam non produci per se, & in abstracto, sed simul, & concretiuè ad naturam, quam afficiunt. Nam cum fieri sit rei subsistentis, & existentis per se ; nequit conuenire subsistentiæ, & existentiæ seorsim, & in abstracto consideratis : quia non sunt res subsistens, & existens ; sed modificationes, & actualitates illius. Vndè solùm potest dubitari de illis, vt conjunctis, & applicatis rei, quæ producitur. Circa quod duo possunt inquiri : primum, vtrum procedant ab essentia tanquam à principio efficiente per dimanationem eo modo, quo passiones fluunt ab illa ? Secundum, an producantur effectiuè principaliter ab agente creato ; an vero debeant in solum Deum tanquam in causam principalem reduci ? Procedunt que eæ difficultates in suppositis, quæ producuntur per genera-

tionem: nam ſubſiſtentias, & exiſtentias eorum, quæ creantur, vti ſunt Angeli, & cœli, produci à ſolo Deo extra controuerſiam eſt.

§. I.

Deciſio prioris difficultatis.

56 DIcendum eſt primo ſubſiſtentiam, & exiſtentiam non dimanere à natura. Hanc docet D. Thom. 1. *p. q. 3. art. 4. & 1. contra gentes, cap. 22. & libr. 3. cap. 65.* Quem ſequuntur Caietanus 3. *p. qu. 4. art. 3.* Medin. *ibid. art. 2.* Cabrer. *eodem art. diſput. 7.* Bañez 1. *p. qu. 3. art. 4. dubio 4. concl. vlt.* Zumel *ibidem concl. 6.* Ledeſma *de perfectione diuina, quæſt. 4. art. 3. pagina 222.* N. Blaſius *diſputat. 7. Metaphyſic. quæſt. 3. concluſ. 3.* & alij plures.

Probatur ratione: quia id, quod dimanat ab alio, comparatur vt terminus ſecundarius ad primarium reſpectu eiuſdem actionis: ſed ſubſiſtentia, & exiſtentia non ſe habent vt terminus ſecundarius ad naturam tanquam ad terminum primarium actionis generatiuæ: ergo ſubſiſtentia, & exiſtentia, non dimanant à natura. Major conſtat: tum quia ſecluſo illo ordine termini primarij, & ſecundarij eiuſdem actionis, non manet fundamentum ad explicandum dimanationem vnius ab alio. Tum etiam, quia hac ratione proprietates dicuntur dimanare ab eſſentia: quia videlicet eſſentia ſe habet vt terminus primarius productionis, defertque cauſalitatem agentis vſque ad proprietates, velut ad terminum ſecundarium. Tum denique, quia ea, quæ non comparantur inter ſe cum ordine termini primarij, & ſecundarij, vel non attinguntur per eandem actionem; vel conſtituunt eius terminum adæquatum primarium velut diuerſæ formalitates illius: ſed hoc ipſo vnum non dimanat ab alio; ſed mutuo inter ſe dependent in terminando primariò actionem: ergo id, quod dimanat ab alio comparatur ſicut terminus primarius ad ſecundarium reſpectu eiuſdem actionis. Minor liquet: quia ſola eſſẽtia nequit eſſe terminus primarius actionis productiuæ: eò quod productio eſt rei ſubſiſtentis, vt communicans ipſi exiſtentiam: eſſentia autem non habet ſubſiſtere, & exiſtere niſi per ſubſiſtentiam, & exiſtentiam: eæ igitur non comparantur ad eſſentiam tanquam termini ſecundarij ad primarium; ſed ſimul cum ea conſtituunt terminum primarium generationis.

Confirmatur primo: quia principium influens per dimanationem concurrit ad effectum in genere cauſæ efficientis: ſed eſſentia nequit concurrere in genere cauſæ efficientis ad productionem ſuæ ſubſiſtentiæ, & exiſtentiæ: ergo iſtæ nequeunt dimanare ab illa. Major conſtat ex dictis *in lib. Phyſic. diſp. 10. quæſt. 5.* Minor autem probatur: quia vnumquodque influit in genere cauſæ efficientis, ſecundum quod eſt in actu; ſed eſſentia ante exiſtentiam, & ſubſiſtentiam non eſt in actu: ergo nequit influere in genere

cauſæ

causæ efficientis. ¶ Confirmatur secundo: quia si essentia esset causa suæ subsistentiæ, & existentiæ per dimanationem; esset etiam eodem modo causa sui: consequens implicat contradictionem: ergo. Sequela ostenditur: quia producere est dare *esse*: sed si essentia esset principium à quo dimanaret sua existentia, ipsa sibi ab intrinseco daret *esse*: ergo se redderet existentem: ergo esset causa sui. Vnde D. Thom. *loco supra citato ex* 1. *p.* inquit: *Impossibile est, quod esse sit causatum ex principijs essentialibus rei: quia nulla res sufficit, quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum.* Ex quibus apparet manifesta differentia inter proprietates, & existentiam, & subsistentiam: illæ enim sufficienter continentur in essentia, eamque supponunt simpliciter productam: vnde possunt fluere ab ea. Subsistentia vero, & existentia non continentur in solis principijs essentialibus, neque supponunt essentiam productam, & existentem: quamobrem nequeunt ab ea dimanare.

57 Nec refert, si contra hanc conclusionem obijcias *primo*: nam qui dat formam, dat consequentia formam, ipsa forma actiue concurrente: sed subsistentia, & existentia consequuntur essentiam: ergo qui producit essentiam; producit, mediante essentia actiuè concurrente, subsistentiam, & existentiam. *Secundo*: quia appetitus naturalis affert secum efficaciam aliquam ad consequendum rem appetitam: sed essentia naturaliter appetit suam subsistentiam, & existentiam; cùm eæ conferant ipsi maximam perfectionem: ergo essentia habet aliquam efficaciam ad eas consequendas: & consequenter influet aliquo modo actiuè in illas. *Tertio*, quia secundum D. Thom. 3. *parte quæst.* 17. *art.* 12. *ad* 1. *Hoc est proprium homini Christo, quod persona subsistens in humana natura eius non sit causata ex principijs humanæ naturæ*: ergo in alijs hominibus subsistentia, vel personalitas causantur ex principiis naturæ; atque ideo dimanabunt ad illam. *Quarto*, & vltimo, quia idem S. Doctor. *in* 3. *distinct.* 5. *quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 3. tradit, quod si humanitas dimitteretur à Verbo, statim sine noua actione consequeretur propriam personalitatem: hoc autem non potest saluari, nisi personalitas dimanet à natura sibi relicta, eo proportionali modo, quo frigiditas, sublatis impedimentis, dimanat ab aqua: ergo ita asserendum est

Hæc inquam, non referunt; sed facilè diluuntur ex dictis. Ad primam enim obiectionem respondemus formam concurrere actiuè ad ea, quæ formam consequuntur tanquam termini secundarij eam supponentes jam existentem; non vero ad ea, quæ ita consequuntur formam, vt illam compleant in ratione termini primarij. Quarè cùm essentia comparetur ad subsistentiam, & existentiam hoc posteriori modo; sequitur, quod non cõcurrat actiuè ad illas; sed tantum in genere causæ quasi materialis receptiuæ vel terminabilis.

Ad secundam dicendum est appetitum essentiæ ad subsistentiam, &

& existentiam esse talem in genere causæ materialis : sicut materia appetit formam : vnde non affert efficaciam, vt essentia possit, adhuc per dimanationem, se reducere ad actum existendi, & subsistendi : sed hæc reductio fit purè ab extrinseco.

Ad tertiam respondemus personalitates creatas causari à principijs naturæ in genere causæ materialis, eo modo, quo D. Thom. 2. contra gentes loquens de existentia inquit : *Forma est principium essendi, in quantum est complementum substantiæ, cuius actus est ipsum esse : sicut diaphanum est aëri principium lucendi.* Diaphanum autem non influit actiuè in lucem, sed se habet materialiter, & dispositiuè. Vnde non sequitur, quod personalitas creata dimanet à natura ; sed tantum, quod causetur ab ea : in quo differt à personalitate Christi, quæ nullo modo causatur.

Ad quartam respondemus, quod si humanitas Christi dimitteretur à Verbo, sortiretur de nouo propriam subsistentiam, & existentiam non per nouam actionem, nec per dimanationem ab humanitate, sicut frigiditas dimanat ab aqua ; sed per actionem, qua primò producta est. Huiusmodi autem actio non est aliqua actio creata (cuius permanentiam, vel formalem in se, vel virtualem in termino primario arduum foret explicare in præsenti materia) sed est actio Spiritus Sancti, qui sine concursu agentis creati produxit animam, & sacram illam humanitatem, vt tradit D. Thom. 3. *p. quæst.* 32. per totam, & non communicauit illis subsistentiam, & existentiam, quia Verbum præuenit & impediuit hos effectus. Prædicta vero actio manet adhuc formaliter in Deo : vnde secluſa Verbi terminatione, se extenderet ad communicandum humanitati subsistentiam, & existentiam propriam absque alterius actionis interuentu. Ex quo tamen minime infertur fore, quod subsistentia, & existentia dimanarent tunc à natura.

§. II.

Posterior difficultas resoluitur.

58 Dicendum est secundo subsistentiam posse produci ab agente creato tanquam à causa principali. Hanc conclusionem docent vel supponunt communiter Philosophi : quos proinde superuacaneum esset referre. Et facilè suadetur : quoniam frequenter agens creatum est causa principalis alterius suppositi, vt cum ignis generat ignem, & equus equum : sed suppositum importat in recto subsistentiam, & per eam constituitur in ratione termini *qui* generationis : ergo agens creatum potest per modum causæ principalis producere subsistentiam. ¶ Confirmatur, & simul præcluditur tacita euasio : quoniam licet ad producendum principaliter suppositum, non sit necessarium efficere subsistentiam ; sed satis sit illam attingere, & venire, vt constat in generatione hominis, in qua subsistentia animæ per creationem producta applicatur, & trahitur per generationem ad

corpus.

corpus : nihilominus nullum est fundamentum ad id asserendum in alijs suppositis corruptibilibus, vt puta in equo : eò quod eorum subsistentiæ nec fiunt per creationem, nec explicant perfectionem excedentem virtutem principij : ergo agens creatum potest producere subsistentiam sui effectus.

59 Sed obijcies : nam agens creatum nihil potest producere, nisi per eductionem : semper enim debet agere circa subiectum suæ actioni præsuppositum : sed subsistentia non fit per eductionem : ergo agens creatum nequit producere subsistentiam. Probatur minor : quia subiectum formæ eductæ debet præsupponi sub reali illius priuatione, vt statuimus *in lib. Phys. disp. 4. qu. 3.* sed natura, quæ est subiectum subsistentiæ, nequit sub reali illius priuatione ad ipsam præsupponi; cum ante eam sit actu nihil : ergo subsistentia nequit fieri per eductionem.

Respondetur negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est subsistentias materiales comproduci ad productionem formæ : vnde priuatio, quæ sufficit ad eductionem formæ, sufficit, vt subsistentia etiam dicatur coeduci. Quamobrem non oportet, vel quod in forma, vel quod in tota essentia, in qua subsistentia immediatè recipitur, præfuerit priuatio subsistentiæ : sed satis est, quod præcesserit in materia, quæ est primum subiectum illius, licet non adæquatum. Fiet enim cum eius transmutatione : quod, & nihil aliud, desideratur ad eductionem eorum, quæ formam comitantur : & potest declarari exemplo accidentium, quæ rem genitam consequuntur, vt diximus *loco supra citato qu. 4.*

60 Dicendum est tertio nullum agens creatum producere principaliter existentiam sui effectus, sed tantum instrumentaliter. Hanc conclusionem non solum docet, sed acutissimis etiam rationibus probat, D. Thom. pluribus *in locis*, vt 3. *contra Gentes cap. 66.* vbi sex rationes adducit, & *qu. 3. de potentia, art. 1. in corpore* vbi ait : *Nulla res dat esse nisi in quantum est in ea participatio diuinæ virtutis.* Et *articulo 7. in corpore*, inquit : *Nec aliquid dat esse, nisi per virtutem Dei : ipsum enim esse est communissimus effectus, primus, & intimior alijs effectibus, & ideo soli Deo competit secundum propriam virtutem talis effectus. Vnde vt dicitur in lib. de causis propositione 9. intelligentia non dat esse, nisi prout est in illa virtus diuina.* Idem repetit 1. *p. qu. 8. art. 1. & qu. 45. art. 5.* vnde hanc sententiam amplectuntur Caiet. loco immediatè citato, Ferrara *loc. cit. ex 3. contra gentes*, Flandria 4. *Metaph. q. 3. a. 6.* Ledesma de perfectione diuina *q. 10.* per totam, Nauarrete *controuers. 15. concl. 2.* N. Philippus 3. *p. summæ Philos. qu. 19. art. 3.* N. Blasius *disputat. 7. Metaph. quæst. 2.* & communiter Thomistæ.

Probatur ratione primò : quia de ratione causæ principalis est continere in virtute actiua perfectionem sui effectus : at sic est, quod in agente creato nulla est virtus actiua, quæ contineat perfectionem existentiæ : ergo nullum agens crea-

tum producit existentiam sui effectus per modum causæ principalis; sed ad summum per modum instrumenti. Major, & consequentia constant. Minor autem suadetur: quia imprimis essentia, seu natura non adæquat perfectionem existentiæ, vt statuimus supra *numer.* 25. deinde existentia agentis non est virtus actiua, vt ostendemus *num.* 68. ergo nulla virtus actiua est in agente, quæ contineat perfectionem existentiæ. Quod enim potentiæ proximè operatiuæ illam non præcontineant, relinquitur manifestum ex dictis: nihil enim continetur proximè in potentiis, nisi quod præhabetur radicaliter in natura.

Confirmatur: nam aliquis effectus designandus est, qui sit proprius Dei, & quem agentia creata nequeant attingere virtute propria; sed solum vt instrumenta virtuti diuinæ subordinata: atqui nullus aptior effectus designari potest, quam existentia: hæc igitur est effectus proprius Dei; quam proinde agentia creata non valent attingere virtute propria, sed solum instrumentaliter. Probatur minor: nam effectus proprius Dei debet esse vniuersalissimus, & actualissimus, vtpotè causæ vniuersalissimæ, atque actualissimæ correspondens: sed nihil est ita vniuersale, & actuale sicut *esse*; cùm existentia in omnibus reperiatur, & omnia actuet ergo nullus aptior effectus potest excogitari, vt sit Dei proprius, quam existentia. ¶ Ad hæc ordo effectuum debet esse secundum ordinem causarum, ita vt causæ particulari effectus particularis; & vniuersali vniuersalis; & vniuersaliori vniuersalior, & denique vniuersalissimæ vniuersalissimus correspondeat: sed Deus est vniuersalissima causa, & existentia est effectus vniuersalissimus: ergo existentia est effectus proprius Dei: constat autem illum effectum dici proprium alicuius causæ, quem ipsa potest virtute propria producere, reliquæ vero solum instrumentaliter, & in virtute illius: ergo existentia producitur principaliter à solo Deo; ab aliis vero agentibus instrumentaliter.

61 Secundo probatur ratione desumpta ex D. Th *qu.* 7. *de verit. a.* 2. quam possumus sic formare: nam quando plures causæ conueniunt in productione alicuius effectus communis præter effectus particulares, qui vnicuique correspondent; prædictus effectus non attingitur ab illis causis virtute propria, sed in virtute alicuius agentis communis, cui omnes in agendo subordinantur atqui omnia agentia creata conueniunt vniuersaliter in producendo existentiam, præter effectus particulares vnicuique causæ correspondentes: ergo non producunt illam principaliter, & virtute propria; sed instrumentaliter, & cum subordinatione ad Deum tanquam ad causam vniuersalem, cui prædictus effectus correspondet. Consequentia constat. Minor etiam liquet: nam calor calefaciens facit calidum *esse*: ædificator ædificans facit domum *esse*: equus generans facit equum *esse*, & sic de aliis: ergo omnia agentia creata præter effectus particulares

res suæ virtuti correspondentes attingunt existentiam velut effectum communem, in quo conueniunt. Major autem probatur: tum quia proprius effectus dicitur ille, qui correspondet virtuti propriæ: ergo è conuerso effectus, qui non est proprius, sed communis pluribus agentibus, non correspondet eorum virtuti propriæ, sed alteri agenti superiori tribuendus est: ac proinde prædicta agentia non attingent huiusmodi effectum nisi vt instrumenta subordinata superiori agenti tanquam causæ principali. Tum etiam, nam ob hanc rationem, quia in orbibus Planetarum, præter motus illis proprios deprehendimus motum quendam omnibus communem; reducimus illum motum non in ipsos Planetarum orbes, sed in sphæram aliam superiorem, cuius sit proprius, & à qua inferiores cœli reuoluantur: ergo effectus communis pluribus causis particularibus reducendus est non ad virtutem propriam ipsarum causarum; sed ad virtutem agentis superioris, in cuius virtute causæ particulares prædictum effectum attingant. Alias rationes satis efficaces adducit D. Thom. *locis citatis*, quas breuitatis gratia non expendimus. Videatur Ledesma vbi supra, qui excellentiam huius effectus, qui est *esse*, optime explicuit, & illustrauit.

§. III.

Diluuntur argumenta contra tertiam conclusionem.

62 ADuersus primam, & secundam assertionem non occurrunt difficultates alicuius momenti, quibus opus sit satisfacere. Opinionem vero vltimæ conclusioni oppositam asserentem, quod agentia creata producunt principaliter existentiam suorum effectuum, tuetur Scotus *in 4. d. 1. q. 1.* Cui suppetias ferunt plures ex illis Modernis, quibus familiare est à D. Thom. recedere. Probatur primo ex eodem S. Doct. qui hanc sententiam tradere videtur pluribus in locis nam 3. *contra Gentes, capite 66.* inquit: *Esse est communis effectus omnium agentium: nam omne agens facit esse actu.* Et idem docet *cap. 67. & quæst. 7. de potentia art. 2.* ait: *Omnes causæ creatæ communicant in vno effectu, qui est esse.* Ex quibus testimonijs desumitur primum fundamentum huius opinionis: quia vnumquodque agens producit principaliter id, in quo effectus illi assimilatur, & per quod agens constituitur in actu ad agendum: sed causa, & effectus assimilãtur in *esse*, & causa constituitur in actu per existentiam: ergo quælibet causa producit principaliter existentiam sui effectus. Sicut enim calidum potest principaliter producere effectum vt calidum: quia assimilatur illi in calore, & agens calidum per calorem constituitur

tuitur in actu ad agendum : ita & ob eandem rationem ens actu existens poterit producere aliquid vt existens.

Respondetur quod ex auctoritatibus D. Thom. solùm conuincitur agentia creata attingere effectiuè existentiam suorum effectuum. Quod autem eam attingant per modum causæ principalis, ex illis testimonijs non deducitur ; sed potius oppositum : quia effectus, in quo conueniunt omnia agentia creata, neutrius est proprius ; sed attribuendus est primæ, & vniuersalissimæ causæ, cuius virtute alia agentia ad prædictum effectum applicantur, vt constat ex secundo fundamento nostræ assertionis. Nec contra hoc facit illud argumentum, quod ex prædictis testimonijs formatur : quoniam non omnes rationes, in quibus agens, & effectus assimilantur, producuntur principaliter ab agente creato ; sed tantum illæ, quæ intra virtutem agentis præcontinentur, vt patet in generatione hominis : nam licet pater, & filius assimilentur in anima, imo & in existentia, & subsistentia ; nihil tamen horum efficitur à patre, sed à Deo. Vnde cum existentia non contineatur in natura, quæ est primum principium agendi ; nequit attingi principaliter ab agente creato, licet assimiletur effectui in existentia. Et quamvis existentia deseruiat ad constituendum agens in actu essendi, & sit etiam conditio ad agendum ; nihilominus non est ratio agendi, nec principium radicale, aut proximum operandi, vt declarabimus *quæst. sequ.* Quamobrem valde differt à calore, per quem calidum agit : & non oportet, quod attingatur principaliter ab agente creato, sed solum instrumentaliter.

63 Arguitur secundo : nam causa attingens principaliter effectum primarium debet etiam principaliter ex vi eiusdem actionis attingere effectum secundarium : sed existentia est effectus secundarius formæ, v.g. equi : ergo cùm equus generans equũ attingat principaliter eius formam ; debet etiam principaliter ex vi eiusdem actionis existentiam illius producere. ¶ Confirmatur : quia educere formam est illam extrahere à potentia materiæ ad actum existendi : sed agens creatum educit principaliter formam genitam : ergo attingit principaliter existentiam illius. Præsertim cùm producere effectum nihil aliud sit, quam illi existentiam communicare : vnde vel nullum agens creatum producit principaliter effectum, quod est absurdum ; vel producet principaliter existentiam.

Respondetur, quod licet agens producens effectum primarium efficiat etiam effectum secundarium, qui rigorosè est talis, & dimanat à primario ; non tamen attingit indispensabiliter id, quod impropriè dicitur secundarius effectus. Existentia autem non dicitur effectus secundarius formæ, quia ab ea dimanet, vt statuimus *numero* 56. sed quia eam necessario supponit, & afficit, ac per ipsam determinatur. Et ideo non sequitur, quod si agens creatum producit principaliter formam, producat prin

principaliter existentiam: sed solum quod etiam attingat instrumentaliter & in virtute Dei. Itaque actio equi v. g. generantis equum potest sumi dupliciter: primo secundum quod est actio propria equi, & ab eo tanquam à causa principali procedit: & hoc pacto attingit principaliter formam eductam, & suppositum equi denuo geniti: & ibi sistit, quin sub hac formalitate ad existentiam effectus primariò vel secundariò extendatur. Secundò potest considerari secundum quod est actio equi moti, & applicati per virtutem Dei ad agendum: qua ratione prædicta actio correspondet Deo, vt agenti principali, & equo tanquam instrumento. Et hoc posteriori modo attingit existentiam vt effectum secundarium; non quidem formæ, sed executionis: quia videlicet formam indispensabiliter præsupponit. Vnde licet actio generatiua attingat formam, & existentiam effectus, aliter tamen & aliter: nam formam attingit principaliter, & quatenus est actio equi generantis: existentiam verò attingit instrumentaliter, & quatenus est actio equi, vt instrumenti diuinæ virtutis.

Ad confirmationem respondemus, quod licet educere formam sit eam extrahere ad actum existentiæ; ad hoc tamen non desideratur, quod actio educens formam producat principaliter existentiam, sed satis est, quod illi existentiam vniat, vel quod existentiam instrumentaliter producat, vt patet in generatione hominis: nam pater extrahit filium ad actum existendi, licet eius existentiam non producat: sed tantum communicet. Vnde patet ad id, quod additur: nam vt aliquis communicet existentiam effectui non requiritur, quod illam producat, saltem principaliter; sed satis est, quod illam determinet, & applicet effectui, quem principaliter producit.

64 Arguitur tertio: nam qui producit principaliter gradum entis, producit etiam principaliter existentiam: hæc quippe directe correspondet prædicto gradui: sed agentia creata possunt producere principaliter gradum entis: ergo & existentiam. Probatur minor: nam repugnat produci gradus inferiores, quin producatur gradus superior: sed agentia creata producũt principaliter gradus inferiores ad ens, v. g. viuere, aut sentire, vt ex se liquet: ergo producunt principaliter gradum entis.

Respondetur negando minorem: nam sicut existentia ob suam vniuersalitatem est effectus reducendus ad primum, & vniuersalissimum agens tanquam ad causam principalem, in cuius virtute attingitur ab agentibus creatis: ita etiam gradus entis, ob eandem vniuersalitatem, est effectus proprius Dei, & nequit ab agentibus creatis nisi iustrumentaliter effici. Ad probationem autem in contrarium dicendum est, quod licet gradus inferiores nequeant produci absque superioribus: non infertur, quod ab eodem agente omnes principaliter producantur: sed possunt aliqui ab vno agente, & alij ab alio principaliter produci. Sicut etiã gradus superiores nequeunt absque inferioribus produci: & nihilominus agẽs cõcurrens principaliter

ad gradum superiorem potest inferiorem instrumentaliter attingere: cælum enim producit principaliter gradum corporis, & instrumentaliter gradum viuentis, qui est inferior ad illum

Dices: omne instrumentum debet habere actionem præuiam, per quam disponat ad effectum agentis principalis, vt statuimus *in lib. Physic. disp.* 12. *quæst.* 2. sed respectu entis nequit dari aliquis effectus præuius; cum ens sit primus conceptus, qui reperitur in effectu producto: ergo vel agens creatum attingit effectiuè principaliter gradum entis: vel nequit illum effectiuè attingere adhuc instrumentaliter.

Respondetur prænotando duo: primò non esse necessarium, quod effectus agentis principalis, & instrumenti distinguantur inter se; sed sufficere, vt dicant duos conceptus obiectiuos, & diuersos gradus eiusdem rei. Secundò effectum instrumenti non debere indispensabiliter præcedere effectum agentis principalis, nisi in eo genere causæ, in quo determinat, & disponit ad illum: quare cum determinare, ac disponere pertineat ad genus causæ materialis dispositiuæ; satis est, quod effectus proprius instrumenti præcedat in hoc genere effectum agentis principalis, quamvis ad ipsum in aliis generibus subsequatur. Hinc ergo ad obiectionem, concessa maiori in prædicto sensu neganda est minor: quia licet conceptus entis sit prior gradibus inferioribus in genere causæ quasi virtualiter receptiuæ; tamen inferiores gradus præcedunt conceptum entis in genere causæ quasi virtualiter dispositiuæ: quia illum limitant, & determinant: ens quippe fit tale iuxta talitatem graduum inferiorum, per quos transcendit. Quod satis est, vt effectus proprius agentis creati præcedat illum, quem instrumentaliter attingit: & vt eorum actio, quatenus attingit gradus particulares, præcedat aliquomodo se ipsam: nam eundem ordinem seruant actiones quem habent earum termini.

65 Vltimo arguitur: nam causa principaliter concurrens ad conseruationem, concurrit etiam principaliter ad illius *esse*, quod conseruat: eò quod conseruatio est continuata productio: sed cæli, & elementa concurrunt principaliter ad conseruationem mixtorum, vt docere videtur D. Thom. 1. *p. q.* 104. *art.* 2. ergo saltem cæli, & elementa producunt principaliter *esse* mixtorum.

Respondetur negando minorem, quam non docet D. Thom. loco citato. Sed differentia intenta à S. Doctore inter cœlos, & elementa ex vna parte, & causas particulares ex alia consistit in eo, quod causa particularis attingit præcisè *esse* suorum effectuum, dum sunt in fieri: nam postea effectus non dependet ab illis. Causa vero vniuersalis, quales sunt cœli, attingit prędictum *esse*, quandiu effectus in rerũ natura persistit. Neutra tamen producit illud *esse*, nisi instrumentaliter, & in virtute agentis vniuersalissimi, & ita actualis, vt sit suum *esse*, qui est Deus O. M. Adde cœlos, & elementa dici conseruare *esse* horum inferiorum, quia conseruant vnionem materiæ ad formas,

mas, & earum esse: ad quod satis est efficere, & conseruare dispositiones, à quibus formæ mixtorum, & earum esse dependent.

QVÆSTIO VI.

Qualiter subsistentia, & existentia ad operandum concurrant?

POstquam ostendimus, quomodo subsistentia, & existentia producantur; videndum est, qualiter concurrant ad operationem, & se habeant ad agendum. Hoc enim videtur ad eorum perfectam notitiam tantum deesse: & eo explicato disputationem hanc absoluemus.

§. I.

Explicatur veritas duabus assertionibus.

66 DIcendum est primò subsistentiam se habere *per se* ad operationem, non vt principium *quo*, sed vt determinans principium *quo*, & constituens principium *quod*, & adæquatum ad operandum. Hanc conclusionem contra vnum Vazquez infra referendum docent communiter Theologi, & Philosophi, dum asserunt *Actiones esse suppositorum*, seu subsistentium: cum enim subsistentia sit ratio constituens suppositum, nequit non concurrere per se ad operationem; si semel hæc non est naturæ vt *quod*, sed suppositi. Prædictum autem axioma desumptum ex Aristot. 1. *Metaph. cap.* 1. *& lib.* 1. *de Anima text.* 64. explicant, & admittunt in hoc sensu D. Ioan. Damasc. *lib.* 3. *de fide cap.* 15. D. Thom. 1 *p. q.* 75. *art.* 2. *& 3. p. q.* 19. *art.* 1. *ad* 3. *& q.* 20. *art.* 1. *ad* 2. *& qu.* 35. *art.* 1. *& in* 1. *dist.* 5. *q.* 1. *art.* 1. vbi hæc habet: *Actiones sunt suppositorum, & essentia, non agit; sed est principium actus in supposito: non enim humanitas generat; sed Sortes virtute suæ naturæ. In creaturis autem essentia realiter differt à natura: & ideo nullus actus proprie de supposito prædicatur, nisi causaliter.* Vnde hanc sententiam docent Flandria 1. *Metaph. quæst.* 5. *art.* 2. Acturicensis *de gratia Christi quæst.* 5. *dub.* 3. *pag.* 379. Nazarius 3. *p. q.* 1. *controu.* 3. Aluarez *disp.* 5. Illustrissimus Godoi *tract.* 1. *disp.* 5. §. 2. *à num.* 18. Suarez *disp.* 4. *sect.* 5. *& in Metaph. disp.* 34. *sect.* 7. *num.* 10. & alij plures. Estque, & jam pridem fuit, sententia adeò communis, vt meritò Ioannes ille Theologus disputans contra Græcos in Concilio Florentino, ipsoque approbante dixerit *sess.* 18. *prope finem*: *Porrò autem actiones iuxta omnium Philosophorum scholam suppositorum esse videntur, vt in hominum genere fieri videmus. Quamvis enim hic homo, hoc est persona vel suppositum generet; eius tamen substantia generationis eiusmodi principium est; quandoquidem actiones suppositorum, vt diximus, sunt: quæ quidem substantia, vel essentia in homine, cum sit humanitas, humanæ generationis principium existit, quo generat hominem.*

Probatur ratione desumpta ex D. Thom.

Thom. 3. p. q. 35. art. 1. quæ potest ad hanc formam reduci: nam illud est principium *quod* proximum operationis, quod est subiectum *quod* proximum existentiæ: sed subiectum *quod* proximum existentiæ non est sola natura; sed suppositum constitutum ex natura, & subsistentia: ergo principium *quod* proximum operationis non est sola natura, sed suppositum, vt addit subsistentiam supra naturam: ergo subsistentia se habet per se in ordine ad operationem, licet non vt principium *quo* (huius quippe ratio est propria naturæ) sed saltem vt complens, & constituens principium *quod* proximum operandi. Hæc secunda consequentia manifestè ex prima colligitur: prima autem ex præmissis. Maior autem est certa: quia cum operari supponat *esse*, & illi proportionetur; illud erit principium *quod* operationis, quod est principium *quod* existentiæ. Eò vel maxime, quod non minor integritas, & vt sic dicamus, completio requiritur, vt aliquid sit principium operandi, quam vt sit subiectum recipiens *esse*. Minor denique constat ex supra dictis à *num.* 35. vbi ex professo ostendimus subsistentiam supponi per se ad existentiam, & complere naturam, vt existat. Vnde non oportet in hoc amplius immorari.

Confirmatur: nam sola humanitas v. g. non est principium *quod* generationis: ergo aliquid illi addendum est vt detur prædictum principium *quod*: atqui hoc superadditum nil aliud est, quam subsistentia: hæc igitur concurrit per se ad operationem, non quidem vt principium *quo*, seu ratio radicalis agendi, sed tãquam complens prædictam rationem, & constituens principium *quod*, & adæquatum operandi. Hæc secunda consequentia liquet ex præmissis. Minor autem subsumpta ostenditur: quia hoc ipso, quod humanitati superaddatur subsistentia, coalescit quoddam concretum substantiale nempe *homo*, quod sicut est substantialiter vt *quod*, ita potest esse principium *quod* operandi. Antecedens verò in quo præcipuè poterat esse difficultas, suadetur: tum quia si sola humanitas esset principium *quod* operandi, sola humanitas diceretur pater; huius quippe ratio propriè conuenit principio vt *quod* generanti: consequens est absurdum; cum nomen patris sit proprium suppositi, vt satis ex se liquet: ergo sola humanitas non est principium *quod* generandi. Tum quia illud, quod se habet vt forma constitutiua alterius, non est, nec operatur vt *quod*, sed vt *quo*: est enim id, *quo* aliud est, & *quo* operatur: ob quam rationem Aristot. 1. de *Anima text.* 64. asseruit: *Melius dici animam non misereri, aut discere, aut ratiocinari: sed hominem anima*: atqui humanitas est forma totalis, qua constituitur homo: ergo humanitas non generat vt *quod*. Tum denique quia principium *quod*, & terminus *qui* generationis mutuò sibi correspondent: sed sola humanitas non est terminus *qui* generationis, vt supra ostendimus *disput.* 2. *quæst.* 3. ergo sola humanitas non est principium *quod* generationis.

67 Quæ omnia vrgenter roborantur ex iis, quæ ex Fidei principiis edocemur: nam in diuinis sola natura

natura non generat, sed suppositum ex natura, & subsistentia constitutum, ita vt subsistentia pertineat per se ad principium *quod* generationis: alias distinctio realis, quæ fundatur in processione vnius ab alio, versatur inter naturam generantis, & naturam geniti, & non inter suppositum generans; & suppositum genitum: quod est hæreticum. Vnde Innocentius III. *in cap. Damnamus* de Summa Trinitate, declarauit veram esse sententiam Magistri sententiarum asserentis essentiam diuinam non generare, erroris damnans oppositam assertionem Ioachimi Abbatis. Idem etiam (licet non æquali certitudine) suadetur ex mysterio Incarnationis: nam principium pro nobis satisfaciens vt *quod* non est sola humanitas Christi, vt perperam autumat Vazquez; sed est Christus, seu Verbum in humanitate subsistens, vt omnes Theologi edocti ex innumeris testimoniis Scripturæ (quæ propriè interpretanda sunt) communiter docent. Asserere enim Christum Dominum ideò dici pro nobis satisfeciſſe, & pro nobis passum fuisse, & nos redemisse, quia sustentabat humanitatem hæc omnia vt *quod* operantem: sicut aqua (quod est Vazquez exemplum) dicitur calefacere, quia præcisè sustentat calorem calefacientem; plurimum derogat excellentiæ nostræ redemptionis, & communi Fidelium sensui. Vnde Nazarius supra citatus censet (censuram nec reiicimus, nec probamus) oppositum dicendi modum esse erroneum, & hæresi proximum. Maneat ergo principium *quod* operandi non esse solam naturam, sed id, quodex natura, & subsistentia coalescit: atque ideò subsistentiam pertinere per se ad principium *quod* operandi.

68 Dicendum est secundo existentiam neque esse principium *quo*, nec constituere principium *quod* operandi; sed tantum esse conditionem ad agendum. Hanc conclusionem docent communiter Theologi, & Philosophi, & illi præcipue, quos *supra num.* 17. *& num.* 32. dedimus. Vnde non oportet illos in particulari referre.

Suadetur breuiter quoad omnes partes: prima quidem, nam in primis existentia non est ratio agendi: ergo non est principium *quo* operationis. Antecedens probatur: tum quia proprium est naturæ esse radicem, seu rationem agendi, vt declarauimus *in lib. Physic. disp.* 7. *quæst.* 1. sed existentia est adæquate extra naturam seu essentiam, vt *supra num.* 17. statuimus: ergo existentia non est ratio agendi. Tum etiam, quia omnis operatio est quædam inclinatio principij operatiui ad communicandum, vel consequendum bonum: sed inclinatio consequitur per se naturam: & ideo in diuersis naturis sunt diuersæ inclinationes: ergo cum existentia sit adæquate extra conceptum naturæ creatæ, nequit esse principium vt *quo* operandi. Tum denique, quia si esset principium *quo* agendi, vbi non esset nisi vnica existentia, eaque increata, non possent reperiri, nisi increatæ operationes: consequens est absurdum, vt liquet in Christo Domino, qui habet existentiam increatam, & operationes creatas:

ergo &c. ¶ Secunda etiam pars ostenditur: quia hoc ipso, quod intelligatur suppositum, intelligitur principium *quod* operandi proximum, & adæquatum: sed existentia est adæquate extra conceptum suppositi; cum nec sit natura, vt modo dicebamus, nec subsistentia, vt supra statuimus *num.* 32. ergo subsistentia non constituit principium *quod* operandi. Minor liquet: nam ita se habet vnumquodque ad *esse*, sicut ad operari: sed suppositum est subiectum *quod* receptiuum existentiæ, quin hæc requiratur ad illud constituendum in esse subiecti: ergo suppositum est principium *quod* operandi, quin subsistentia intret conceptum suppositi ad constituendum illud in ratione dicti principij. ¶ Vltima denique pars est per se manifesta: nam quod actu non existit, est actu nihil: ergo vt aliquid sit realiter principium *quod* operandi, debet afferre existentiam, saltem vt conditionem.

§. II.

Occurritur fundamentis oppositis.

69 OPinionem primæ conclusioni contrariam defendit Vazquez 3. *p. disp.* 9. *cap.* 4. *& cap.* 7. Quæ potest probari ex Aristot. 1. *Metaph. cap.* 1. vbi docet *actiones esse singularium*: sed natura per se ipsam potest esse singularis; & non constituitur in esse talis per subsistentiam: ergo natura per se ipsam est principium *quod* operandi, quin subsistentia integret huius rationem.

Sed hoc parum premit: nam actiones sunt quidem singularium, non vtcumquè, sed habentium esse vt *quod*, siue completè: vnde cum natura absque subsistentia non sit vt *quod*, sed tantum vt *quo*; sequitur subsistentiam desiderari per se ad constituendum principium *quod* operandi. Idque satis liquet ex ipso contextu Philosophi: nam postquam dixit: *Actiones, & generationes omnes in singulari versantur*; statim adiecit: *Non enim hominem, nisi per accidens sanat, qui medetur: sed Calliam, aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic dicuntur.* Callias autem, & Socrates & similia nomina non naturam significant, sed suppositum, & res subsistentes in natura. Vnde auctoritas in Aduersarium retorquenda est.

70 Secundo arguitur: quia si non sola natura, sed suppositum, adeoque & subsistentia, esset principium operandi; sequeretur, quod variato supposito, variarentur etiam operationes: eæ quippe specificantur à principio operatiuo: atqui ex variatione suppositi non sequitur variatio in operationibus: ergo signum est, quod nec suppositum, nec subsistentia concurrunt per se, & tanquam principium ad operationem; sed tantum sustentant principium adæquatum operandi, nempe naturam. Minor ostenditur: quia humanitas Christi existens in supposito diuino habet eadem specie operationes, quas eliceret existens in creato, & proprio supposito: ergo ex variatione suppositi, non sequitur, quod operationes varientur. ¶ Confirmatur: quia ita se habet Verbum ad humanitatem

nitatem quam terminat, sicut aqua ad calorem, quem sustentat: sed aqua non est principium per se calefactionis procedentis à calore, sed tantum potest dici principium per accidens calefaciendi, quatenus sustentat calorem, qui calefacit: ergo Verbum sustentans humanitatem (& idem est de aliis suppositis) non est principium influens in operationes humanitatis; sed tantum poterit dici principium per accidens prædictarum operationum, quatenus sustentat humanitatem illas elicientem vt principium *quod*.

Respondetur argumento negando sequelam: nam operationes non à quocumque principio specificantur (si verum est actiones à principio efficiente sumere speciem) sed specificantur à principio *quo*, seu à ratione agendi. Vnde videmus calefactionem procedentem à diuersis suppositis, vtputa ab homine, & ab equo esse eiusdem speciei essentialis: quia videlicet procedunt vtrobique à principio *quo* eiusdem speciei, nempe à calore; licet agentia vt *quod* sint diuersa. Et ob eandem rationem visio beatifica est eiusdem speciei in homine, & in Angelo: quia nimirum procedit ab eodem principio *quo*, seu ratione agendi, scilicet à lumine gloriæ; licet principia videntia vt *quod* sint diuersa. Et quidem quod à subsistentia non sit desumenda species actionis, quamvis ad eandem concurrat ex eo liquet: quoniam subsistentia non dat speciem supposito aut principio *quod*: sed munus conferendi speciem est proprium naturæ seu formæ: subsistentia autem solum complet prædictam naturam constituendo suppositum. ¶ Ad confirmationem negamus maiorem, quæ satis deprimit excellentiam operationum, & meritorum Christi Domini; cum excludat ab eis omnem verum influxum suppositi diuini. Ratio autem differentiæ inter Verbum sustentans humanitatem, & aquam sustinentem calorem est satis manifesta: quia suppositum complet naturam tam in linea essendi, quam in linea operandi, quæ ad lineam essendi per se consequitur: vnde suppositum connaturale naturæ, & Verbum diuinum loco alterius suppositi subrogatum nequeunt non per se influere in operationes naturæ. Aqua autem nec est subiectum connaturale caloris nec illius vices potest connaturaliter supplere: cum calor sit quasi violenter, in illa: & ideo calefactio non tribuitur aquæ vt calefacienti *quod*, sed igni vel alteri supposito, cuius calor sit propria virtus. Itaque quælibet actio petit principium *quod*, connaturale, vel aliquid, quod perfectè eius rationem suppleat: & ideo operationes humanitatis existentis in Verbo sunt ab eodem tanquam à principio *quod* vtpote perfectissimè supplente defectum suppositi creati: at operatio caloris existentis in aqua nequit attribui aquæ tanquam principio *quod*; cum aqua non suppleat modo connaturali, aut excellentiori defectum proprij principij *quod*, sed tantum sit quoddam subiectum calori violenter substans.

71 Tertio arguitur: quia anima rationalis separata operatur, vt *quod*: & tamen non est suppositum: ergo operari vt *quod* non est pro-

prium ſuppoſiti : & conſequenter ſubſiſtentia , quæ eſt ratio ſuppoſiti conſtitutiua , non deſiderabitur ad operandum vt *quod*. ¶ Confirmatur: quia accidentia Euchariſtica operantur vt *quod* & nihilominus non habent ſubſiſtentiam : cum hæc ſit proprius modus ſubſtantiæ : ſubſiſtentia igitur non deſideratur ad operandum vt quid conſtituens principium *quod*.

Hæc tamen leuia ſunt : ad argumentum enim reſpondemus , quod licet anima ſeparata non ſit ſuppoſitum : eſt tamen ſubſtantia per ſe ſubſiſtens , & conſtituta per ſubſiſtentiam. Cum autem aſſerimus ſubſiſtentiam deſiderari ad conſtitutionem principij *quod* operandi, non loquimur determinate de principio *quod* importante naturam completam , vt homo ; ſed de hoc , vel de principio dicente partem ſubſtantiæ adeo nobilem, quod petat per ſe ſubſiſtere, vt anima rationalis. Siue enim aliquid ſit ſubſtantia completa , ſiue incompleta , nunquam operabitur, niſi prius conſtituatur , & compleatur in ratione principij *quod* operandi per ſubſiſtentiam. Ideò verò dicitur communiter , quod actiones ſunt ſuppoſitorum : quia in omnibus aliis naturis , intellectiua excepta , nihil ſubſiſtit , niſi ſuppoſitum. ¶ Ad confirmationem reſpondemus accidentia euchariſtica proprie loquendo , non operari vt *quod*, ſed tantum vt *quo* : ſemper enim influunt vt virtus ſubordinata proprio ſuppoſito , quod in eis virtualiter perſeuerat. Si verò dicantur operari vt *quod* , ſicut & *ſubſiſtere* , eſt locutio impropria , & reddit ſenſum negatiuum : quia videlicet illa accidentia non ſunt actu , & poſitiue in ſubiecto , vel in principio *quod* operandi : licet non habeant modum poſitiuum eſſendi in ſe, & per ſe, vel operandi ratione ſui.

72 Aduerſus ſecundam concluſionem ſentiunt plures Moderni , & præcipue illi , qui docent exiſtentiam non diſtingui à natura : ij enim conſequenter aſſerunt exiſtentiam non ſolum eſſe conditionem ad agendum ; ſed etiam principium *quo* , ſeu rationem agendi. Quod poteſt probari primo : quia vnumquodque operatur ſecundum quod eſt in actu : ſed quælibet res conſtituitur in actu per exiſtentiam : ergo exiſtentia eſt ratio , ſeu principium agendi. ¶ Confirmatur primo : quia ita ſe habet magis ad magis , ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter : ſed vnumquodque agit , ſecundum quod eſt in actu : ergo erit magis actiuum per id , per quod magis conſtituitur in actu : at ſic eſt quod per exiſtentiam vltimò & perfectè conſtituitur in actu , vt conſtat ex iis , quæ in hac diſputatione ſtatuimus: exiſtentia igitur eſt principium operandi. ¶ Confirmatur ſecundò : quia operari ſequitur *eſſe* , vt tenet commune Philoſophorum proloquium : hoc autem non poſſet verificari , ſi exiſtentia non eſſet ratio agendi : ergo &c. ¶ Confirmatur tertio : quia operari, vel ſe communicare, eſt actus perfecti: ſed exiſtentia eſt , quæ potiſſimè perficit: ergo eſt præcipua ratio agendi. ¶ Confirmatur deniquè : quia exiſtentia creata eſt participatio exiſtentiæ diuinæ : ſed hæc eſt Deo

ratio

ratio agendi: ergo illa est creaturæ ratio operandi; aliàs nil similitudinis daretur inter eos.

Sed hæc solùm conuincunt existentiam esse conditionem per se desideratam ad operandum, vt constabit ea diluendo. Ad argumentum respondetur, quod licet vnumquodque operetur secundum quod est in actu: aliter tamen ad agendum concurrit actus existentiæ, & actus specificus, seu constitutiuus naturæ. Ille enim se habet vt conditio: iste vero vt principium *quo*, seu ratio agendi. Quia esse principium, & radicem motus, & quietis est propria ratio naturæ, vt declarauimus *in libr. Physicorum, disputation.* 7. *quæstion.* 1. existentia vero est adæquatè extra conceptum cuiuscumque naturæ creatæ: vnde non se habet per modum principij? sed est ratio essendi, & conditio ad operandum. ¶ Per quod soluitur prima confirmatio: nam cùm existentia non sit absolutè principium constituens in actu agendi; vanè infertur, quod sit magis actiua, vel principium præcipuum operandi: quia comparatiuum supponit absolutum; & eo negato negatur. ¶ Ad secundam dicendum quod operari sequitur ad *esse* naturæ sicut ad principium naturæ ad *esse* vero existentiæ tanquam ad conditionem, vt natura influat: nec aliud prædicat vulgare illud axioma. ¶ Ad tertiam respondemus, quod cum dicitur *operari esse actum perfecti*, per ly *perfecti* significatur suppositum, vel substantia per se subsistens, vt sumitur ex D. Thom. *prima parte quæstione* 29. *articulo* 3. & alibi sæpe. Quare cùm existentia non sit ratio constitutiua suppositi, vel rei subsistentis; non sequitur, quod intret rationem principij *quod*, vel *quo* operandi: sed est conditio, vt prædictum principium influat. ¶ Ad vltimum negamus consequentiam ob manifestam rationem disparitatis: nam existentia in Deo pertinet ad conceptum naturæ: essentia enim diuina est absque vlla distinctione suum *esse*: vnde prædicta existentia potest, & debet esse principium operandi. Existentia vero creata est adæquatè extra conceptum naturæ: vnde nullo modo est principium agendi. Porrò similitudo reperta inter existentiam creatam & diuinam est tantummodo inadæquata, & non quoad omnia munera; sed tantum quantum ad munus vltimæ actualitatis in linea substantiæ.

73 Arguitur secundo: quia causa creata licet non producat principaliter existentiam sui effectus secundum se acceptam; illam tamen producit principaliter, saltem vt determinatam; & limitatam, vt docent aliqui Thomistæ: cùm enim agens creatum producat principaliter essentiam, per quam existentia limitatur; debet etiam attingere principaliter existentiam vt limitatã: ergo causa creata habet aliquam virtutem actiuam per quam præcontineat existentiam effectus prædicto modo consideratam: atqui nihil aptius excogitari potest ad producendum existẽtiam effectus, quam existentia principij: hæc igitur est ratio agendi, seu principium operandi.

¶ Et confirmatur : quia agentia creata attingunt saltem instrumentaliter existentiam suorum effectuum, vt supra *num.* 63. diximus: ergo habent aliquam virtutem ad id præstandum : nulla autem potest esse magis proportionata, quam existentia ob maximam similitudinem cum effectu : ergo existentia est principium operatiuum, saltem vt *quo*, & instrumentaliter.

Respondetur argumento negando majorem : nam cum existentia adhuc limitata excedat in perfectione, sicut, & in actualitate naturam, quæ est primum principium intrinsecum operandi; nequit adhuc limitata produci principaliter ab agente creato. Nec oppositum suadet inserta probatio : quia sicut ex eo, quod agens creatum producat principaliter dispositiones, per ordinem ad quas anima rationalis indiuiduatur, & fit hæc; non sequitur, quod attingat principaliter hæccitatem animæ rationalis : ita etiam ex eo, quod producat principaliter essentiam, per habitudinem ad quam existentia limitatur, minime colligitur, quod producat principaliter existentiam limitatam, vel limitationem intrinsecam existentiæ. ¶ Ad confirmationem negamus minorem: quia virtus, per quam instrumentum agit, non adæquat perfectionem effectus, nec est eiusdem rationis cum illo: vnde existentia inepta est ad producendum instrumentaliter aliam existentiam. Prædicta ergo virtus communicatur creaturis ex vi motionis, qua ad productionem suorum effectuum applicantur à Deo. Nam prædicta ratio importat duplicem formalitatem : aliam applicationis virtutis creatæ ad operandum proprios effectus : & hæc est prima, & propria ratio dictæ motionis : à qua proinde præmotio simpliciter appellatur. Alia est formalitas virtutis, qua prædicta præmotio Dei eleuat virtutem creatam ad producendum instrumentaliter existentiam suorum effectuum, ad quam virtus creata non sufficiebat: sub quo munere est virtus constitutiua creaturarum in esse instrumenti Dei vt vniuersalissimi agentis. Et hæc pro expositione librorum de Generatione, & corruptione dixisse sufficiant, quæ sint vtinam in laudem, & honorem omnipotentis Dei, B. V. Mariæ, & Angelici Doctoris D. Thomæ.

FINIS.

INDEX

INDEX

RERVM NOTABILIVM:

In quo littera D. disputationem, littera N. numerum marginalem, P. verò paginam designat.

A

Accidens.

ACCIDENS nequit recipi immediate in materia prima, d. 2. n 50. p. 45

Accidentia, quæ disponunt ad formam non recipiuntur in sola materia, n. 59. 51

Nullum accidens, quod fuit in corrupto, manet in genito, n. 62. 54

Accidentia recepta in composito denuo genito disponunt ad formam, n. 66. 59

Nullum accidens præter quantitatem habet partes integrales actu distinctas, d. 5. n. 5. 142

Accidentia sumunt suam individuationem à subiecto, d. 14. n. 36. 299

Non materialiter sumpto, sed vt est vnum in esse subiecti, num. 39. 301

Accidens, vbicumque sit, semper dicit ordinem ad proprium subiectum sibi connaturale, n. 41. 304

Duo accidentia solo numero distincta nequeunt esse in eodem subjecto, n. 49. 302

Actio

Actio.

Actio creata non efficit immediate ſubſtantiam, d. 2. numero 10. 17

Actio, quæ eſt motus, nequit recipi in ſuo termino, numer. 49. 44

Actio non communicat ſuo termino exiſtentiam, niſi in vltimo ſui exercitij, d. 15. numer. 48. 48

Actiones ſunt ſuppoſitorum, n. 66. 59.

Variato ſuppoſito non variantur actiones quoad ſpeciem, n. 70. 62.

Actus.

Actus limitatur per potentiam, diſputat. 15. numer. 17. & ſequ. 135.

Aër.

Aër non eſt ſummè humidus, diſputat. 10. numer. 14. & 16. 236 & 237.

Nec ſummè calidus, numer. 24. 240.

Aër in media regione eſt per accidens frigidus, numero 25. 241

Agens.

Agens nequit agere in paſſum omnino ſibi ſimile, diſput. 8. num. 1. & 3. 201

Actiuitas agentis debet excedere reſiſtentiam formalem paſſi, n. 9. 205

Non tamen actiuam, numer. 10. 206

Agens agendo repatitur, num. 12. 208

Agens creatum producit ſubſiſtentiam principaliter, d. 15. n. 58. 376.

Non tamen exiſtentiam, num. 60. & 64. 377 381

Nec concurrit principaliter ad conſeruationem illius, numer. 65. 382

Adhùc vt determinatam numero 73.

Alteratio.

Alteratio quibus modis dicatur, d. 4. n. 1. 86

Alteratio rigoroſa eſt motus ad qualitatem, n. 2. ibid.

Definitio alterationis, numer. 4. 88

Diuiſio illius, n. 8. 90

Eſt motus continuus n. 12. & 60. 94 & 128.

Vide *Intenſio.*

Anima.

Anima rationalis tam intra, quam extra corpus habet propriam ſubſiſtentiam, d. 15. à numer. 52. 370.

Aqua.

Aqua eſt humida in ſummo, d. 10. n. 14. 236

Et frigida citra ſummum, num. 23. 240.

Augmentatio.

Augmentatio distinguitur realiter à nutritione d. 5. numero 23. 162.
Ad quid terminatur primario ibi & num. 24. 160
Est motus successius d. 6. in principio 188
Augmentatio alia propria, & alia impropria ibidem.
Augmentatio propria conuenit solis viuentibus num. 1. ibid.
Fit per virtutem internam ibi & n. 3. 190.
Debet fieri secundum omnes partes rei quæ augetur numero 6. 191
Quomodo augeantur partes proportionales num. 7. 192
Id, quod augetur, manet idem n. 12. 194
Augmentatio non durat per totam vitam num. 14. & 16. 196. & 198

Augmentum.

Augmentum intensiuum, & extensiuum qualitatum. Vide *Intentio, & habitus.*

C

Calor.

CAlor summus conuenit igni d. 10. num. 9. 232
Quomodo est causa siccitatis n. 11. 134

Causæ.

Causæ mutuo se præcedunt in diuersis generibus d. 2. numero 68. 60

Charitas.

Charitas vide *Intensio.*

Condensatio.

Condensatio vide Rarefactio.

Corruptio.

In Corruptione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam d. 2. n. 62. 54
Datur corruptio substantialis d. 3. n. 1. 69
Est mutatio realis num. 2. ibid.
Non est actio diuersa à generatione n. 3. 70
Quem habeat terminum numero 5. ibid.
An sit mutatio naturalis num. 7. & 9. 72 & 75
Corruptio vnius est generatio alterius, & quomodo num. 16. & 18. 77 & 79
Quem ordinem habeant inter se num. 23. 82

D

Definitio.

DEfinitio alterationis d. 4. n. 4. 88
Definitiones rari, & densi d. 7. n. 9. 193

Definitio mixtionis d. 9. numero 6. 218
Definitio elementi d. 10. numero 1. 234

Denſitas.

Denſitas vide *Raritas.*

Diſpoſitiones.

Diſpoſitiones ad formam cadaueri-cam d. 2. n. 65, 56
Accidentia recepta in compoſito de-nuo genito poſſunt diſponere ad formam n. 66. 59
Accidentia dimanantia à forma diſ-ponunt ad introductionem illius n. 72. & ſeq. 64
Qui ponit vltimam diſpoſitionem ad formam, ponit formam n. 75. 67
Diſpoſitiones ad nutritionem intro-ducuntur ſucceſſiue d. 5. n. 28. & 32. 165 & 168
Diſpoſitiones antecedentes non ſunt prima radix indiuiduationis d. 14. n. 26. 290.

Diſtinctio.

Diſtinctio realis alia actualis, alia potentialis diſp. 5. numero 13. 149
Qualis detur inter principium, & terminum nutritionis numero 27. 163

E

Effectus.

Effectus ſecundarius poteſt in aliquo genere præcedere pri-marium diſput. 3. numero 26. 183

Effectus.

Effectus vniuerſalior debet atrribui vniuerſaliori cauſæ d. 15. n. 61. 278

Elementa.

Elementa quomodo maneant in mixto diſput. 9. à numero 15 221
Definiuntur diſput. 10. numero 1. 228.
Dantur quatuor elementa numero 4. 230
Quodlibet habet duas tantum qua-litates. n. 9. & ſeq. 133
Quæ qualitates conueniant vnicui-que elemento num. 10. cum ſeq. 234
Qualitas elementaris minus intenſa non habet mixtionem contrariæ num. 27. 245
Quodlibet elementum poteſt im-mediatè generari ex alio elemen-to diſputation. 11. numero 1. 246
Facilius tamen ex elemento ſymbo-lo, quam ex diſſymbolo num. 7. 250
Ex duobus elementis ſymbolis cor-ruptis nequit generari aliud ter-tium n. 11. 253

Bene

Bene autem ex elementis diſſymbolis n. 12. ibid

Eſſe.

Eſſe, & fieri eſt ſuppoſiti d. 15. n. 48. & 66. 366 & 383

Eſſentia.

Eſſentia, vide *exiſtentia.*

Exiſtentia.

Exiſtentia creata diſtinguitur realiter ab eſſentia d. 15. num. 17. 135
Si non diſtingueretur ab ea, eſſet infinita ibidem. 336
Subſtantia, quæ non identificat ſibi ſubſiſtentiam, non identificat exiſtentiam n. 20. 339
Exiſtentiæ eſt omnino extra eſſentiam rei numero 21. & ſeq. 340
Exiſtentia ſubſtantia non eſt entitatiuè accidens numero 23. 342
Non eſt modus, ſed res num. 24. ibid.
Eſt perfectior, quam eſſentia num. 25. 348
Exiſtentia conſtituit eſſentiam extra omnes cauſas perfectè & vltimatè num. 28. 345
Exiſtentia diſtinguitur realiter à ſubſiſtentia. num. 32. 351
Recipitur non in ſola natura, ſed in ſuppoſito n. 35. 353
Eſt vltima actualitas in quocumque ordine n. 38. 355
Exiſtentia, & ſubſiſtentia habent effectus diuerſos. num. 40. 357
Non dantur exiſtentiæ partiales. n. 47
Exiſtentia non dimanat à natura n. 56. 374
Nec producitur principaliter ab agente creato, ſed ſolum inſtrumentaliter n. 60. 377
Eſt effectus proprius Dei num. 61. 378
Non eſt, propriè loquendo effectus ſecundarius n. 63. 386
Non eſt ratio agendi, ſed tantum conditio n. 68. 385

Extenſio.

Extenſio in ordine ad locum dupliciter conſideratur d. 7. num. 14. 196

F

Finis.

FInis poſſibilitas vnde colligatur d. 2. n. 3. 12

Forma.

Forma ſubſtantialis terminat generationem, & quomodo d. 2. n. 27. 28
Non datur forma corporeitatis diſtincta à formis ſpecificis num. 36. & 39. 34 & 36
Forma cadauerica quas exigat diſpoſitiones n. 65. 56
Forma dupliciter intelligitur recepta in materia n. 72. 64
Forma mixti non continet eminenter formas elementorum d. 9.

numero 15. 221
Forma ſubſtantialis non eſt primum principium indiuiduationis d. 14. n. 1. 268
Frigiditas ſumma conuenit terræ. d. 10. n. 18.
Non conuenit aquæ numero 20. 239

G

Generatio

GEneratio ſubſtantialis eſt generatio ſimpliciter d. 2. num. 1. 10.
Eſt poſſibilis num. 2. ibid.
Non eſt actio diuerſa ab alteratione num. 8. 15
Nec eſt eſſentialiter mutatio num. 12. 19
Sed tantum connaturaliter numero 14. 20
Quem habeat terminum *qui* in executione num. 23. 26
Et in intentione num. 26. 28
Quem terminum *quo* totalem & partialem num. 27. ibid
Non recipitur in materia informata forma corporeitatis num. 36. 34
Nec in compoſito denuo genito, ſed in ſola materia numero 42. 40
Generatio ſubſtantialis non eſt entitatiuè accidens numero 46. 42
Per quam exiſtentiam exiſtat n. 48. 43
Recipitur immediatè in materia nuda ab omnibus accidentibus n. 50. 45
In generatione ſubſtantiali fit reſolutio vſque ad materiam primam num. 62. 54
Generatio vnius eſt corruptio alterius, & quomodo d. 3. num. 16. & 18. 77. & 79
Generatio & corruptio habent inter ſe ordinem prioris, & poſterioris n. 23. 82
Generatio elementorum. Vide *elementa.*

H.

Habitus.

HAbitus quomodo intendantur d. 4. num. 33. 108
Quomodo extendantur num. 61. & 63. 130 & 132

Habitus.

Habitus non componitur ex habitibus partialibus *ibidem*

Humiditas.

Humiditas ſumma conuenita quæ, d. 10. num. 14. 236

I.

Intentio.

INtentio conuenit qualitati diſput. 4. numero 8. & 22. 90 & 94
Non conuenit ſubſtantiæ num. 16. 99.
Nec quantitati. n. 28. 10
Nec actioni, & paſſioni numero 23. 103

Nec

Nec aliis prædicamentis numero 26. 104
Quibus qualitatibus conueniat n. 33. & 37. 108. & 112
Intentio non fit per depurationem à contrario n. 39. 113
Nec per deſtructionem qualitatis minus perfectæ numero 41. 114
Nec per deſtructionem exiſtentiæ. num. 42. 115
Nec per additionem gradus ad gradum num. 43. 116
Fit per modum radicationis in ſubiecto num. 49. 120

Ignis.

Ignis elementaris verè datur d. 10. num. 9. 232
Habet calorem ſummum, & ſiccitatem ſummam num. 10 234
Ignis non augetur propriè d. 6. n. 2. 134

Indiuiduatio.

Indiuiduatio ſubſtantiæ corporeæ non ſumitur radicaliter à forma d. 14. n. 1. 268
Indiuidua eiuſdem ſpeciei differunt penes diuerſos modos participandi ſpeciem. n. 4. 270
Indiuiduatio ſumitur à materia tanquam à prima radice numero 10. 277
Indiuiduatio accidentium ſumitur radicaliter à ſubiecto numero 36. 299

M.

Materia.

MAteria prima eſt vnicum ſubiectum generationis ſubſtantialis d. 2. n. 42. 40
Quo ordine reſpiciat generationem, & formam numero 47. 43
Non reſpicit immediatè accidentia num. 50. & 59. 45 & 51
Quo ordine reſpiciat formam ſubſtantialem, & accidentia num. 51. 45
Quid ſit materiam ſigillari ad formam n. 60. 52
Materia inclinatur ſecundò in corruptionem d. 3. n. 9. 73
Non habet partes integrales d. 5. n. 1. & 6. 138 & 143
Eſt primum, & radicale principium indiuiduationis d. 14. num. 10. 277.
Non ſecundum ſe, ſed vt ſigillata ad quantitatem ibidem
Materia vt ſigillata non importat quantitatem exercitè habitam n. 18. 284
Nec modum ſubſtantialem ſibi ſuperadditum n. 21. 187
Sed dicit ſe ipſam, vt præhabentem radicaliter determinatam quantitatem n. 23. 189
Per quid determinetur ad eam præhabendam n. 24. 290
Quo ordine præcontineat formam ſubſtantialem, & quantitatem n. 29. 294
Materia non eſt ſufficiens radix indiuiduationis accidentium d. 14.

numero 37. 300
Non habet propriam existentiam, & subsistentiam d. 15. num. 44. & 47. 362 & 365
Per quam actionem conseruatur n. 51. 369

Mixtio.

Mixtio alia propria, & alia impropria d. 9. n. 1. 211
Conditiones mixtionis propriæ n. 2. 212
Mixtio propria est naturaliter possibilis n. 4. ibid
Definitio eius n. 6. 205
Non datur vera mixtio inter liquores non habentes contrarias qualitates. n. 8. 217
Potest dari mixtio inter liquores eiusdem speciei n. 9. 218
Miscibilia quomodo maneant in mixto numero 15. & 16. & 17. 221 & 222

Mixtum.

Mixtum nequit habere naturaliter temperamentum æquale ad pondus d. 12. n. 1. & 8. 257 & 261
Qualitates mixti quomodo attribuantur elementis d. 9. num. 17. 222.

Modus.

Modus intensionis, seu radicationis quid sit d. 4. numero 90. & 57. 107 & 126
Modus extensionis num. 63. & 65. 132 & 133
Non requiritur aliquis modus superadditus materiæ, vt hæc sit principium individuationis d. 14. num. 21. 187

Motus.

Motus alterationis, vide *Alteratio.*
Motus augmentationis, vide *Augmentatio.*

N

Natura.

NAtura, & subsistentia creata realiter distinguuntur d. 15. num. 1. 321
Natura creata non prædicatur de supposito in recto numero 3. 322
Non est de se omnino incommunicabilis n. 4. 329
Non est subiectum quod existentiæ n. 35. & seq. 353
Nec principium *quod* operandi n. 66. 383

Nutritio.

Nutritio est possibilis, & existit d. 5. n. 20. 157
Non reparat humidum radicale n. 21. 158
An differat ab alteratione præcedenti n. 22. 159
Distinguitur realiter ab augmentatione n. 23. ibid
Terminus formalis nutritionis num. 25.
Nutritio est mutatio continua num. 28. 165

RERVM NOTABILIVM.

O

Obiectum.

OBiectum horum librorũ quodnam sit d. 1. n. 1. 3

Ordo.

Ordo inter causas d. 2. à num. 68. 60

Ordo inter generationem, & corruptionem d. 3. num. 23 82

P

Partes.

PArtes actuales entitatiuæ non conueniunt substantiæ intra proprium genus d. 5. numero 1. 138.

Sunt propriæ solius quantitatis n. 2. & 18. 139 & 154

Partes integrales virtualiter, & æquiualenter tales inueniuntur in substantia corporea numero 14. 150

Partes physicæ subsistunt, & existunt per vnicam subsistentiam, & existentiam totius compositi d. 15. n. 44. & 47. 362 & 365

Personalitas.

Personalitas, Vide *subsistentia, & suppositum.*

Pori.

Pori quid sint & ad quid deseruiant d. 6. n. 10. 179

Prioritas.

Prioritas mutua inter causas d. 2. n. 68

Prioritas *à quo*, & *in quo* num. 68. 60

Q

Qualitas.

QValitas est terminus alterationis d. 4. numero 2. & 3. 86 & 87

Non omnes qualitates tertiæ speciei terminant motum alterationis num. 6. 89

Quæ qualitates sunt intensibiles n. 33. & 37. 108 & 112

Quomodo intendantur num. 39. & 43. & 49. 113 116 & 120

Separata à subiecto nequit intendi num. 55. 124

Qualitates elementorum vide *Elementa.*

Quantitas.

Quantitas non inhæret immediatè soli materiæ d. 2. n. 57. & 61. 49 & 52

Quomodo concurrat ad indiuiduationem materiæ num. 58. 50

Habere partes integrales actu distinctas est proprium solius quantitatis d. 5. n. 10. 147

Quantitas pertinet ad principium indiuiduationis d. 14. numero 10. 277

Non tamen vt exercite habita, sed vt præhabita radicaliter n. 18. 284

Quantitas

Quantitas aliter desideratur ad partes subiectiuas & aliter ad integrales n. 27. 292
Quid sit quantitas interminata n. 31. 296
Quantitas potest dupliciter considerari num. 41. 304
Considerata vt totum integrale indiuiduatur per se ipsam num. 42. 305

R

Rarefactio.

RArefactio est possibilis d. 7. in principio 188
Est motus rigorosus. ibidem
Non terminatur ad vbi, nec ad extensionem localem numero 1. ibid.
Nec ad quantitatem num. 2. & 3. 189 & 190
Terminatur ad qualitatem num. 5. & seq. 191

Raritas.

Raritas est qualitas d. 7. n. 5. & 6. 191

Reproductio.

Reproductio non est possibilis per solam virtutem causarum secundarum d. 13. n. 1. 262
Res permanens potest per potentiam Dei absolutam reproduci n. 2. 263
Reproductio rei successiuæ est omnino impossibilis n. 3. ibid.

Resistentia.

Resistentia, vide *Agens.*

S

Separatio

SEparatio realis quomodo sit signum distinctionis realis d. 5. n. 17. & disput. 15. numero 30. 152 & 348

Siccitas.

Siccitas summa conuenit igni d. 10. num. 10. 234

Sigillatio.

Sigillatio materiæ ad formam quid importet d. 2. num. 60. 52

Simile.

Simile an agat in simile d. 8. à n. 1. 201

Situs.

Situs quomodo concurrat ad indiuiduationem quantitatis d. 14. n. 43. 306

Species.

Species representantes duo indiuidua eiusdem speciei differunt specie d. 14. num. 55. 217

Subiectum.

Subiectum generationis, vide *Generatio.*

Subiectum *quod* accidentium d. 2. numero 54. & 57. & 59. 47. 49 & 51

Primum subiectum informationis debet esse primum subiectum inferioritatis, & radix indiuiduationis d. 14. numero 12. & 13. 217

Subiectum est prima radix indiuiduationis accidentium d. 14. n. 36. 299

Quid dicat subiectum in esse subiecti num. 39. 30

Nequit idem subiectum connotare diuersa tempora numero 52 314

Subsistentia

Subsistentia distinguitur realiter à natura d. 15. num. 1. 321

In humanitate Christi non inuenitur subsistentia creata secundum rem n. 3. 322

Subsistentia dat vltimam incommunicabilitatem in genere substantiæ n. 4. 324

Reddit naturam sistentem positiuè in se n. 5. 325

Subsistentia addit aliquid positiuum supra naturam n. 8. 328

Quod non sit accidens numero 10. 329

Sed modus substantialis numero 11. 330

Effectus proprius subsistentiæ quid sit num. 12. 331

In quo differat à personalitate num. 13. ibid.

An in Angelis distinguatur à natura num. 16. 333

Subsistentia distinguitur ab existentia num. 32. 351

Intimior est substantiæ subsistentia, quam existentia num. 34. & 36. 353 & 354

Subsistentia præcedit existentiam num. 35. 353

Non est vltima actualitas lineæ substantiæ n. 42. 360

Non dantur subsistentiæ partiales. n. 48. 357

Eadem est subsistentia hominis, & animæ rationalis n. 54. 372

Subsistentia hominis est pure spiritualis n. 55. ibid.

Subsistentia non dimanat à natura num. 56. 374

Producitur ab agente creato principaliter n. 58. 376

Subsistentia concurrit per se ad operandum. n. 66. 383

Substantia.

Substantia non habet intra suum genus partes integrales actuales d. 5. n. 1. 138

Habet capacitatem recipiendi partes quantitatiuas n. 7. 144

Separata à quantitate maneret actu indiuisibilis, & non coexisteret loco num. 8. 146

Substantia acquisita per nutritionem identificatur cum substantia aliti num. 12. 148

Substantia corporea habet partes integrales virtualiter, & æquiualenter tales n. 14. 150

Non est indiuisibilis sicut punctum num. 16. ibid
Quomodo terminet nutritionem n. 25. 162
Generatur in instanti, & nutritur successiuè num. 31. 167 &c.

Successiua.

Successiua nequeunt reproduci à Deo d. 13. num. 3. 263

Suppositum.

Suppositum est terminus *qui* generationis d. 2. n. 23.
Suppositum Christi qualiter terminauerit generationem d. 2. num. 31. 26
Natura creata non prædicatur de supposito in recto d. 15. num. 3. 322
Suppositum nequit alteri substantialiter communicari numero 6. 326
Suppositum importat in recto aliquid positiuum num. 8. 328
An in Angelis distinguatur à natura num. 16. 333
Suppositum est susceptiuum *quod* existentiæ numero 33. & 35. 351 & 353
Et principium *quod* operandi num. 66. 383
Variato supposito non variantur operationes quoad speciem num. 70. 386

T

Temperamentum.

TEmperamentũ mixtorum aliud vniforme, & aliud difforme d. 12. in principio. 256
Temperamentum æquale ad pondus non est possibile naturaliter n. 1. 257

Terminus.

Terminus *qui* generationis d. 2. n. 23. & 26. 26 & 28
Terminus *quo* n. 27. ibid
Terminus consecrationis d. 5. n. 19. 151
Terminus augmentationis numero 23. & 24. 159 & 160
Terminus formalis nutritionis num. 25. 162
Terminus non componitur, sicut componitur terminabile d. 15. num. 46. 364. & 49. 367

Terra.

Terra non est sicca in summo d. 10. num. 12. 219
Est summe frigida numero 18. 223
Et citra summum sicca numero 23. 225

V

Beata.

BEata Virgo qualiter concurrerit ad generationem Christi d. 2. num. 31. 31

Virtus

numero 12.
Vide, *Augmentatio.*

Virtus.

Virtus vnita fortior est seipsa dispersa, & quomodo d. 8. numero 7. 203
Virtus miscibilis manet in mixto d. 9. à num. 17. 222

Viuens.

Viuens proprie augetur d. 6. num. 1. 172
Et secundum omnes partes num. 6. 176
Manet idem toto tempore augmenti

Vnio.

Vnio inter materiam, & formam non est terminus *quo* generationis d. 2. num. 32. 31

Vnitas.

Vnitas, & distinctio numerica non sumitur radicaliter à forma d. 14. num. 1. 262
Sed à materia num. 10. 277
Non conuertitur cum perfectione rei num. 45. 309

FINIS.